C 1500



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M 8
22 — D
49

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

35
E
15
35.3.H



CATECHISMI ROMANI ELVCIDATIO SCHOLASTICA,

Qua vniuerſa illius doctrina facili methodo ad captum non ſolum inferiorum parochorum et catechiſtarum, ſed et quorumcumq; ſtudioſorum accommodatur.

AVCTORE
IOANNE CHAPEAVILLE
Canonico, Poenitentiario, et Vicario Leodienſi.



LEODII, Apud Henricum Houium. M.D.C.

PRIVILEGII SENTENTIA.

SVae Celsitvdinis *Priuilegio cautum eſt & ſancitum, ne quis, quoſcunque libros hactenus nuſquã excuſos, vel alibi etiam impreſſos, Leodij autem nunquam impreſſos, Henricus Houius ciuis & Bibliopola Leodienſis iuratus primus typis procuderit, aut procudi curarit; intra proximum decennium à prima cuiuſque libri editione, vllo pacto eiuſdem, vel diuerſi characteris forma, ſiue integros, ſiue auctos, aut notis, & ſcholiis illuſtratos, vel etiam aliquam eorũ partem typis imitari, edere, excudere, aut venũdare intra Patriæ & ditionis Leodienſis fines, abſq; dicti Henrici Houij cõſenſu audeat. ſub pœnis Diplomate deſuper expedito ſingillatim expreſſis. Dat. Leodij, 27. Martij. M. D. XCIIII.*

Carondelet Vt.

Signat.

ERNESTVS.

Et inferius.

N. Lampſonius.

SERENISSIMO PRINCIPI ERNESTO, DEI GRATIA ELECTORI COLONIENSI, SACRI ROMANI

Imperij per Italiam Archicancellario, Epiſcopo & Principi Leodienſi, Comiti Palatino Rheni, vtriuſq; Bauariæ, VVeſtphaliæ, Angariæ & Bullonij Duci, Marchioni Francimontano, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

IOANNES CHAPEAVVILLE.

INTER omnes Catechiſmos, Sereniſſime Princeps, eum, quem vulgò Romanum vocamus, iuſſu Pij quinti Pōtificis Max. in lucem editum, principem locum tenere nemo Catholicorum in dubium vocare poteſt. Siue enim illius auctoritatem, & doctrinę catholicæ, apoſtolicæq́ue integritatem, ſiue argumentorum rationumq́ue pondus, ſiue perſpicuum ordinem & claram methodum, ſiue elocutionis gratiam quis cōſideret; ita in eo omnia elucēt, vt nihil illis ab-

ſolutius & perfectius à quoquam deſiderari poſſe videatur.

Vnum dumtaxat pleroſque omnes tum doctiſſimos,tum prudentiſſimos viros dolere video, minus hunc intelligi à pleriſque eorum, in quorum gratiam potiſſimum conſcriptus eſt. Cùm enim Sanctæ Synodi Tridentinæ auctoritate ideò in lucē prodierit, vt ex eo parochi & alij, quibus catechiſandi munus commiſſum eſt, certa documenta & præcepta ad fidelium inſtructionem petant;plurimos nihilominus eorum videre eſt, qui tametſi maximè ſtudium adhibeant,vix tamen aliquam præſtantiſſimarum rerum, quæ in eo tractātur, partem aſſequi poſſint. Siquidem cùm de grauiſſimis doctrinæ chriſtianæ, totiuſque theologiæ capitibus diſputet & continua quadam maximeque artificioſa orationis ſerie modò quæſtiones moueat, modò ſua argumentis cōfirmet, modò contraria confutet, modò difficultates ſubindicet, modò de prudenti huius doctrinæ vſu catechiſtas moneat, fructumque ſpiritualem, qui ex ea colligi debet, commōſtret(quæ omnia,propter perpetuum illum

illum orationis contextum, non niſi magna animi attētione adhibita, etiam ab ijs, qui Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ diutinam nauarunt operam, notari & a ſe mutuo diſtingui poſſunt) qui quæſo fieri poterit vt ſimpliciores & rudiores parochi, qui ne à limine quidem ſuperiores diſciplinas ſalutarunt, quorum tamen magnus paſſim eſt numerus, illa per ſe legendo videant, diſtinguant, & intelligant?

Hæc cùm ſuperioribus annis mecum altius perpenderem, videremque me ex officio tunc à C.V. mihi cōmiſſo, huiuſcemodi ſimplicium Sacerdotum & Clericorū ſtudijs, in Seminario veſtro Leodienſi ſeruire debere, ne tanto doctrinæ cæleſtis theſauro, qui in hoc Catechiſmo recōditus eſt, eos priuarem, pro ingenij mei exiguitate conatus fui continuum illius contextum diſſoluere, ſingulaſque periodos, ſententias & propoſitiones a ſe mutuo ita ſeparare & diſtinguere, vt quæ eſſet quæſtio, quæque concluſio quæſtioni reſponſiua, quæ item cōcluſionis ratio, quæ deīde difficultatē indicaret, quæque diſſolueret, quæ etiam

Hæreticorũ argumenta confutaret, quæ demùm Catechiſtas admoneret, quæ poſtremò fructũ ſpiritualem ex quæſtione explicata colligendum doceret, veluti digito monſtrarem.

Quam Catechiſmi explicãdi methodum ideò elucidationem ſcholaſticam nuncupaui, quia huiuſmodi ſententiarum propoſitionũq; diſtinctione more ſcholaſtico propoſita, tenebras, quas ſimplicium & minus peritorũ ingenijs continuus ille Catechiſmi cõtextus afferre videbatur, ſufficiẽter diſcutere poſſe exiſtimaui: Illa enim concluſionum, rationumque ordinata diſpoſitio adeò intellectui humano attemperata eſt, vt, ſi quis latinę linguę peritus quæſtionem hac methodo explicatã non aſſequatur, rationis diſcurſu priuatus nõ immeritò cenſeri poſſe videatur.

Vt autem huic noſtræ elucidationi eadem quæ Catechiſmo Romano maneret auctoritas, tutoque tùm in Eccleſijs, tum in ſcholis auditores noſtri eâ vti poſſent; admodùm ſtudiosè caui ne alias quæſtiones, concluſiones, aut rationes, quàm quas ipſe Catechiſmus habet, attexerem:

texerem. Et ne cuipiam hac in parte dubium relinquerem, ferè ſemper totidem verbis, quibus Catechiſmi cõtextus vtitur, illa proponere & recenſere ſtudui. Nec verò minore circumſpectione vſus ſum in ipſius Catechiſmi concluſionibus, & rationibus ſeligendis, diſtinguendis, ſuoque ordine collocãdis. Siquidem prouidi ne ſententias & propoſitiones, quas Catechiſmus non vt concluſiones ad reſpondendum quæſtioni ponit, ſed ſumit ad eiuſmodi concluſiones probãdas, ipſe facerem concluſiónes, néve cõtrà cõcluſiones cum earũ probationibus confunderem: In quo certè propter continuam illam & rethoricam maximeq; artificioſam orationis ſeriem, quâ vbiq; vtitur Catechiſmus, niſi magna circumſpectio adhiberetur, labi facile fuiſſet. Intermiſceo plerumq; meos, aut verius Doctórum ſcholaſticorũ terminos, reſcindo etiam connexiones Rethoricas, aliaque, quibus Catechiſmus vtitur, orationis ornamenta, ſed hæc non tam ad rem ipſam, quàm ad docẽdi methodum pertinent, quam immutari neceſſe fuit, vt à paruulis & ſimplicioribus, quibus

deſudaui, Catechiſmi doctrina & intellectu facilius caperetur, & memoria firmius teneretur.

Et quidem non difficile fuiſſet ad maiorem Catechiſmi lucem, ampliorem quarundam quæſtionum, difficultatum, & cōcluſionum explicationem adferre, aut etiam pleraque fundamēta ex Theologiæ penetralibus huc reuocare, & ſuis locis inſerere; verùm cùm mihi propoſuiſſem non commētarium ſcribere, ſed ipſam dumtaxat purā & integram Catechiſmi Romani doctrinam, facili & ad auditorum meorum captum accommodatā methodo tradere, ab huiuſmodi ſtudioſè ſuperſedi: Quamuis neque hac in parte, omninò defuerim: Nam loca D. Thomæ Doctorum Scholaſticorum facilè principis ad ſingulas ferè concluſiones notaui, è quibus, ſi lecta hac elucidatione necdum ſtudioſorum quieſcit animus, fundamēta fuſius explicata, aliáque argumenta atque rationes haurire poterunt, quibus abūdè ſibi ſatisfaciant.

Porrò cùm intelligerem C. V. nihil prius in votis habere, quàm vt omnes parochi pro ſui officij ratione rudioribꝰ in Chri-

in Chriſto cateſchiſandis vacarent, exiſtimaui me rē nō ſolùm paſtoribus vtilē, ſed & C. V. cumprimis gratam facturū, ſi hanc qualemcumque Catechiſmi Romani elucidationē intra Seminarij veſtri parietes quibuſdam Sacerdotibus & Clericis per me dictatam typis euulgari permitterem, quò deinde faciliùs pluribus parochis & Sacerdotibus, ad eorum pios in Catechiſmo tradendo conatus adiuuandos, communicari poſſet.

Atque vtinam ego idoneus reperiar, qui his ſanctiſſimis C. V. votis, & parochorum Catechiſtarumque pijſſimis & maximè ſalutaribus laborib⁹ cooperari valeam. Equidem ſic ſemper exiſtimaui, nihil ad ſeruandam propagādamque religionem præſtantius vtiliusúe à nobis fieri poſſe, quàm ſi rudioribus in fide pietateque inſtituēdis, quam oportet, maximam diligētiam & induſtriam adhibeamus. Ita prorſus ſenſerunt maiores noſtri, qui quantopere in Neophitis, Catechumeniſque informādis allaborarint, non ſolùm aſſiduis ea in re perpeſſis laboribus, ſed & egregijs, iiſque non paucis monumētis poſteritati trāſmiſſis, teſtati

 ſunt:

ſunt: Inter quos nō poſtremas tenuerūt D. Cyrillus in ſua Catecheſi, D. Gregorius Nyſſenus in Catechetico, Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus in ſuis Catecheſibus, Nycias Epiſcopus Romanus in ſuo Catechiſmo, D. Auguſtinus libro de Catechiſandis rudibus, & alio libello de Symbolo, ſeu regula fidei ad Catechumenos: In quibus opuſculis videre licet admirabilem eorum curam & ſolicitudinem in erudiēdis Catechumenis, aliiſque in fide necdū ſufficienter inſtructis. Etenim non contēti vna ratione omnia quæ neceſſariò ad ſalutem credenda & agenda ſunt tradidiſſe, quamdiligentiſſimè vias omnes & rationes proſecuti ſunt, quibus quàm maximè clara & facili methodo ſingula ita proponerent, vt ab omnibus quamuis ingenij hebetioris facilè intelligerētur & retinerentur; imitati in eo ſtudioſiſſimū ſalutis hominū Apoſtolū Paulum, qui Corinthijs, quòd ſolidiore ſciētiæ cibo veſci non poſsēt, ſcribit ſe lac dediſſe, hoc eſt, doctrinam eorum ingenio & captui accommodatā: Quin potius & ipſum ſalutis noſtræ auctorem Chriſtum ducem ſecutos eſſe veriſſimè

riſſimè dixero, quem non tantùm publicis, ijſque ſublimioribus ad populum cõcionibns, ſed & priuatos familiaribus colloquijs nunc Philippum, nunc Nicodemũ, nunc Matthiam, nunc cæcum natum, nunc Samaritanum, alioſque complures, adhuc cæleſtis doctrinæ ignaros, in fide, ſpe, alijſque doctrinæ christianæ elementis tanquam optimum Catechiſtam examinaſſe, informaſſeq; nouerãt. Sed & horum ſententiam fructus, qui ex huiuſmodi Catechiſandi ſtudio tum vberrimi, tùm pretioſiſſimi ſecuti ſunt, manifeſtiſſimè cõprobarunt. Siquidem populos ſibi cõcreditos barbaros adhuc & cæleſtiũ rerum ignaros ad eas virtutis beatitudiniſq; adipiſcẽdæ rationes amplectẽdas, quas Chriſtus, Apoſtoliq; orbi manifeſtârunt, ſtatim impulerunt, infidelitatis tenebras longiſſimè à finibus ſuis propulsârunt, veræ fidei lumen etiã in remotiſſimos orbis angulos inuexerunt, Chriſti Redẽptoris myſteria, vt ab õnibus eo quo par eſt honore colerẽtur effecerunt, &, vt paucis multa cõplectar, iactis hoc pacto fidei religioniſq; fũdamentis, ad illud honoris bonorũq; oĩm

faſti-

faſtigium Eccleſiã Chriſti perduxerunt, vt nihil quod deſiderare amplius poſſis, relictum videatur.

Et certè quãdiu pia hæc rudes in Chriſto inſtituendi ſolicitudo viguit, erroribus hæreſibuſq; procul pulſis, pulcherrima Eccleſiæ facies permanſit; Religio, Pietas, Reuerentia, Modeſtia, Cõcordia, Pax, cæteræq; oẽs virtutes floruerũt: Aſt vbi Catechiſandi ſtudiũ velut puerile ab Epiſcopis, parochis, alijſq; ſacerdotibus in parentũ, patrinorũ, aliorũq; rudium (vt frequẽtius) hominũ humeros reiectũ eſt; mox inimicus homo venit, furtim zizania in Eccleſiæ agrũ ſeminauit, inde Hæreſũ mõſtra cõcepta, ſtatimq; in lucẽ edita, & longè lateq; propagata fuerunt, à quibus Eccleſia fœdè deturpata fuit; hinc omnia ſcelera in eam inuecta, rerũ imprimis diuinarũ obliuio ac impietas, Superiorũ, Parentũ, Sacerdotũ contemptus, tumultus, ſeditiones, ſacrilegia, homicidia, adulteria, tandẽ innumera quæ hæc comitari ſolẽt mala, bella, fames, peſtis, & id genꝰ infinitæ calamitates, quas ſpeciatim recenſere propemodũ impoſſibile eſſet, in Eccleſiã ſubſecuta ſunt.

Vna, Sereniſſime Princeps, horũ oĩm malorũ à nobis auertendorũ ratio eaq́; facilè præcipua, sẽper, vt ante dixi, mihi viſa fuit, ſi sãctiſſimis C.V. votis ſinguli, quos in partẽ ſolicitudinis aſſumpſit, ſtrennuè, alacriter, conſtanterq́; allaborent, priſcã doctrinæ chriſtianæ tradẽdæ cõſuetudinẽ in vsũ reuocẽt, & totis virib⁹ lõgius latiuſq́; ꝓpagare ſtudeãt; Sic enim fiet, vt doctis excultiſq́; in fide & pietate hominibus, vnà cũ cæleſtiũ rerũ ignorantia, vitia quoque, atque adeò vitiorũ omniũ ſcelerũq; parentis & altricis hæreſeos ſtirpes è dominico agro funditus euellantur, atque eorũ loco, vera erga Deũ religio, erga Superiores obedientia, erga parentes pietas, erga oẽs charitas & beneuolentia in animorũ arua inſerantur, ac priſtinum virtutis omnis ſtudiũ vigorque refloreſcat.

Cæterùm has qualeſcũq; lucubrationes meas volui ſub C.V. nomine in lucẽ ꝓdire, tũ vt eſſent meæ erga eandẽ pro maximis in me collatis beneficijs, gratitudinis & obſeruãtiæ ſimbolũ, tũ etiã vt parochis & Catechiſtis, cæteriſque quos in partẽ ſolicitudinis vocauit, eò magis placerẽt,

quò

quò ſcirent maximo doctiſſimoq; Principi ſuo non diſplicuiſſe.

Accipe igitur, Sereniſſime Princeps, pro C. T. ſingulari benignitate hanc ſũmæ volũtatis & obſeruantiæ meæ ſignificationẽ; neq; munus ſed animum ſpecta, eumque iamdiu C. V. ſeruitijs dedicatum conſecratumque ſolita beneuolentia complecti & amare perge.

Leodij 5. cal. Feb. 1600.

APPROBATIO.

Hanc Catechiſmi Romani elucidationem à pluribus eruditione pietateq; præſtantibus viris lectam, probatam & expetitam, ego quoq; Carolus Oleanus Eccleſiæ Leodienſis Canonicus Theologalis ita approbo, vt propter facillimã clariſsimamq; methodum omnibus Parochis, Catechiſtis, ſtudioſiſque vtiliſsimam cenſeam.

IN CATECHISMVM CONCILII TRIDENTINI methodicôs à R.D. Ioanne Chapeauille explicatū.

GRandi cothurno maxima proſequi
Multos videmus; res ita poſtulat.
Qui parua paruis explicarent,
Fas etiam reperire plures:
At qui ſuperni dogmata Spiritus,
(Queîs orbis vnquam quid tulit altius?)
Aperta redderent, vt aquè
Hæc pueri caperent, ſeneſúe,
Sunt rariores. Hoc opus, hic labor.
Excelluerunt, vt iubar ignibus;
Aurelius, Clemens, Cyrillus,
Qui ſtygium domuêre robur.
Vt monſtra nobis extulerat noua
Rex inferorum fertilis in malis
Eccleſiæ Dei creandis,
Ipſa quoq; antidotum parauit.
Patres Tridenti conſilio graues,
Virtute ſummi, conſpicui fide,
Edunt Catechiſmum, ſuperbos
Qui feriat, doceatq; paruos.
Interpres huius lucidus aduenis,
Et explicator. Sic benè conſulis
Gregi, cui praes Chapeauil,
Nil renuens oneris ſubire.
Es rarus ergo; proximus ad Patres
Accedis illos, quos amor impulit
Diuis laborem collocare,
Maxima quò minimos docerent.
Huc quiſquis ambit doctior effici
Suæ ſalutis, promor aduolet.
Huc, quiſquis edocere certat
Aetbereæ regionis oras.

Franciſcus Valentius de Societate IESV.

I. Politus.

Ecce Catechiſmus, populos corruptus obibat,
Perfidiam incautos pro pietate docens:
Lethali morbo vt præſens medicina daretur,
Néve lupus niuea pelle lateret ouis;
Spiritui Sancto viſum eſt, Patribusq; Tridenti,
Scribere Apoſtolicam cum pietate fidem.
Illi ergo eloquio inſignes, ſophiaq; ſacrata,
Quæ doceas tuto dogmata Sancta ferunt.
Sed quum multa forent rudibus minus obuia captu:
His ſummam Chapeauille attulit auctor opem.
Diſcutit, enodat, interſerit, explicat, addit,
Ardua, ſenſa, theſes, abditiora, notas.
Vlterius poſt hæc nihil eſt quod fortè requiras,
Hæc lege, & aßidua volue, reuolue manu.
Sic doctus, doceas alios, monſtreſq; fidelis,
Ad cælum recta qua datur ire via.
Quid facit vt multi Stygium voluantur ad orcum,
Et ruat in tenebras perdita turba graues?
Nempe quod hanc pauci doceant elementa ſalutis,
Noſtra tamen cùm ſint tempora plena ſophis.
Paſtoriſne Sacri titulum præferre licebit,
Et Chriſti cauſa nolle mouere pedem?
Quin Petri & Pauli Sanctos imitare labores,
Totq; Patrum, veram qui docuêre Fidem.
Sic age, Chapeauille vigil, virtute coruſca,
Inſtrue Chriſticolas arte, labore, fide,
Perge ſacro Domini Vitem perfundere rore,
Solis vt æterni nobile germen alat.
Auſpice te nihil eſt quod quis iam clarius optet,
Grandibus, & paruis dogmata ſacra patent.
InCIpe greX ChrIſtI, CeLebrIs Modo IVbILet annVs,
stetqVe deI nVtV CondItVs Iſte Labor.

ELVCIDATIO SCHOLASTICA, QVA VNIVERSA ILLIVS DOCTRINA FACILI METHODO, AD CAPTVM non ſolum inferiorum Parochorum, & Catechiſtarum, ſed & quorumcumque ſtudioſorum accommodatur.

PRAEFATIONIS ELVCIDATIO.

CATECHISMI præfatio complectitur quatuor quæſtiones de ipſo Catechiſmo in genere;

Prima, eſt de neceſsitate parochorum, & catechiſtarum, qui tradant doctrinam fidei: & auctore talis doctrinæ.

Secunda, de fine, ſiue ad quæ tales doctores in docendo maximè ſuum laborem referre debent.

Tertia, de forma, ſiue modo tradendi hâc doctrinam.

Quarta & poſtrema, de materia, ſiue præcipuis huius doctrinæ capitibus:

Quæ reſpondent quatuor generibus cauſarum, efficienti, finali, formali, & materiali.

QVAESTIO I.

An ſit neceſſarium ad ſalutē, eſſe Paſtores & Catechiſtas doctrina fidei inſtructos? Et, Quis eſt auctor doctrinæ fidei?

CONCLVSIO PRIMA.

NEceſſaria ſemper fuit ad æternam vitã conſequendam, doctoris legitimi fidelis opera ac miniſteriũ. Eſt Catechiſmi. §. Perſpicuum eſt quã neceſſaria ſemper fuerit,&c. & D. Thomæ ſuæ Sũmæ Theologicæ parte 1. quæſt. 1. art. 1.

Ratio eſt clara, Si quidẽ ea eſt humanæ mentis, ac intelligentiæ ratio, vt quãuis multa de Deo lumine naturali, magno adhibito labore, inueſtigauerit, ac cognouerit, maximã tamen partem illorũ, quibus vita æterna cõparatur, nõ niſi ſupernaturali fidei lumine adiuta cognoſcere potuit: Sed *fides*, vt docet Apoſtolus ad Rom. 10. *ex auditu cõcipitur, & nemo*, ſicut idem docet, *audire poteſt ſine prædicantẽ nemo quoque prædicare, niſi legitimè ad prædicandum mittatur.* Neceſſaria ergo fuit ad vitã æternã conſequẽdã, doctoris legitimi fidelis opera ac miniſteriũ.

Maior propoſitio cõfirmatur auctoritate Apoſtoli, qui *ad Rom. 1. c.* docet quidem philoſophos lumine naturali *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpexiſſe, ſempiternam quoque eius virtutem & diuinitatem*; Idem tamen *ad Coloſ. 4. c.* affirmat *Chriſtum*, hoc eſt, Deum incarnatum, paſſum, mortuũ, & à morte excitatum, cuius merito vita æterna cõparatur, fuiſſe *myſterium abſconditum à ſæculis & generationibus*, donec ſanctis quibuſdam hominibus reuelatum fuit, quibus Deus voluit notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

AVctor huius doctrinæ Deus eſt, non homo aliquis.

Eſt Catech. §. Quibus voluit Deus fidei munere, &c. & D.Th. ſupra.

Patet ex præcedenti concluſione;quia ſi illa,per quæ ſalus æterna comparari debet, excedũt omnẽ humani intellectus capacitatẽ, nõ potuerũt primò per hominem aliquem tradi,ſed neceſſum fuit illa primum ab ipſoDeo quibuſdã hominibus manifeſtari & reuelari,qui fidei munere credẽtes, alijs cõſequenter illa traderent.

DIFFICVLTAS I.

A quo tempore, & quibus primũ hominibus Deus banc doctrinam reuelanit?

Ab ipſius mundi origine multifariè, multiſq́ue modis Deus locutus eſt patribus in prophetis, eiſq́; pro temporũ conditione ad cæleſtem beatitudinẽ certum ac directum iter monſtrauit. Sed quoniã prędixerat daturum ſe doctorem iuſtitiæ in lucem gẽtium, vt eſſet ſalus eius vſque ad extremũ terræ, nouiſsimè locutus eſt nobis in filio, quẽ etiã, voce è cælo delapſã à magnifica gloria,iuſsit vt oẽs audirent, eiuſque præceptis obtemperarent. Deinde verò filius alios dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios paſtores & doctores, qui verbum vitæ annũcient,ne circumferremur tanquam paruuli fluctuantes omni vento doctrinæ, ſed firmo fidei fundamento adhærentes coædificaremur in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto.

DIFFICVLTAS II.

Quantam fidem debemus tribuere Eccleſiæ paſtoribus?

Eandẽ quã ipſi Chriſto Dño. Ne quis enim verbum auditus Dei ab Eccleſiæ miniſtris tanquam

verbum hominum, ſed,ſicuti verè eſt,verbũ Chriſti acciperet; ille ipſe Saluator noſter tãtam auctoritatem eorum magiſterio tribuendã eſſe ſtatuit,vt diceret. *Luc.10. Qui vos audit,me audit,& qui vos ſpernit me ſpernit*: Quos quidem non de ijs tãtum quibuſcum ſermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiã, qui legitima ſucceſsione docendi munus obirẽt, quibus ſe omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſæculi affuturũ eſſe pollicitus eſt. *Mathai 28.*

DIFFICVLTAS III.

Quid neceſſum eſt manifeſtata ſemel hac doctrina,etiã hodie illam per Paſtores & Cathechiſtas doceri & explicari?

Ne per hæreticos & falſos prophetas corrumpatur: Quod quamuis ſemper in Eccleſia caueri debuerit,pręſertim tamen hoc tẽpore, quo plurimi falſi prophetę in mundũ exierunt, de quibus dicit Dominus.*Hier.23.Non mittebam prophetas, & ipſi currebant,non loquebar ad eos & ipſi prophetabant*,vt varijs doctrinis & peregrinis chriſtianorum animos deprauent: Qua in re illorum impietas omnibus Sathanæ artibus inſtructa, tam lõgè hodie progreſſa eſt,vt nullis ferè certis finibus cõtineri poſſe videatur,ac niſi ſaluatoris noſtri pręclara illa promiſsione niteremur, qui ſe adeò ſtabile Eccleſiæ ſuæ fundamentum poſuiſſe affirmauit, vt portæ inferi aduerſus eam præualere nunquam poſsint; maximè verendum eſſet, ne tot vndique hoſtibus obſeſſa, tot machinis tentata,& oppugnata cõcideret. Nam vt omittamus nobiliſsimas prouincias, quæ olim veram, & catholicam religionẽ,quam à maioribus accepe-

acceperant, piè & ſanctè retinebant, nunc autem derelinquentes viam rectam errauerunt, atque in eo ſe maximè pietatem colere palam profitentur, quod à patrum ſuorum doctrina quam lógiſsimè receſſerunt: Nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus chriſtianę reip. angulus inueniri poteſt, quò hæc peſtis occultè irrepere nó tentarit.

DIFFICVLTAS IIII.

Quo potiſsimum modo hæretici hoc tempore corrumpũt doctrinam fidei?

Falſis & erroneis catechiſmis; Nam præter illa ingétia volumina, quibus catholicam fidem euertere conantur (à quibus tamen cauere, cùm apertã hęreſim contineant, non magni fortaſſe laboris eſt ac diligentiæ) infinitos quotidie libellos conſcribunt, qui cùm pietatis ſpeciem præ ſe ferant, incredibile eſt quàm facilè incautos fidelium animos decipiant.

DIFFICVLTAS V.

Qua ratione huic tanto & tam pernicioſo malo ſalutaris medicina adhibita eſt?

Patres œcumenicæ Tridentinæ ſynodi cupientes huic tam pernicioſo malo mederi: primũ grauiora catholicæ doctrinę capita contra noſtri temporis hæreſes definiuerũt: Deinde certam formulam, & rationem chriſtiani populi ab ipſis fidei rudimentis inſtituendi tradiderunt, quam in omnibus Eccleſijs illi ſequerentur, quibus legitimi paſtoris, & doctoris munus obeundum eſſet.

DIFFICVLTAS VI.

Quid neceſſe fuit poſt tot doctores catholicos, qui Catechiſmos

chiſmos conſcripſerunt, etiam iſtum ſanctæ Synodi Tridentinæ auctoritate in lucem edi?

Verum quidem eſt multos in hoc ſcriptionis genere, cum magna pietatis & doctrinæ laude verſatos fuiſſe, ſed tamen patribus viſum eſt maximè referre, ſi liber ſanctæ Synodi auctoritate ederetur, ex quo parochi & omnes alij, quibus docendi munus impoſitũ eſt, certa præcepta petere, atque depromere ad fidelium ædificationem poſſent: vt quemadmodum vnus eſt dominus, vna fides, ita etiam ſit vna tradendæ fidei, ad omniaque pietatis officia populum chriſtianum erudiendi cõmunis regula atque præſcriptio.

DIFFICVLTAS VII.

In quorum gratiam potiſsimum conſcriptus eſt hic Catechiſmus? Et, Quæ potiſsimum doctrinæ chriſtianæ capita in eo explicantur?

Sanctæ Synodi præcipuum inſtitutum eſt, hoc libello parochorum, ſacerdotumque animarum curatorum, qui in difficilioribus diuinarum rerũ diſputationibus nõ ita verſati ſunt, pium ſtudium adiuuare. Quare non omnia chriſtianæ fidei dogmata hoc libro ſubtiliter explicari voluit, quod ab ijs fieri ſolet, qui ſe profitentur vniuerſæ religionis inſtitutionem & doctrinam tradere, ſed ea tantùm quæ paſtoralis muneris maximè propria ſunt, & ad captum fidelium accommodata.

Hactenus de neceſsitate doctrinæ chriſtianæ, eiuſque auctore: Sequitur de fine.

QVAESTIO II.

Quis eſt finis huius doctrinæ: Siue,

Quæ imprimis conſiderare, & ſibi ante oculos ponere debent qui tradunt hanc doctrinam?

CONCLVSIO I.

Illud primũ videtur eſſe, vt ſemper meminerint omnẽ chriſtiani hominis ſciẽtiam hoc capite comprehẽdi, vel potius quemadmodum Saluator noſter ait Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.*

Eſt Catech. §. Illud primum videtur eſſe, &c.

Ex qua concluſione ſequitur, in eo precipuè eccleſiaſtici doctoris operam verſari debere, vt fideles ſcire ex animo cupiant Ieſum Chriſtum & hũc crucifixum, ſibiq́ue certò perſuadeãt, atque intima cordis pietate & religione credant aliud nomen nõ eſſe datum hominibus, vt dicitur. *Act.* 4. *c.* in quo oporteat nos ſaluos fieri; Siquidem, vt habet Ioan. *1.* epiſt. c. *2. Ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris.*

CONCLVSIO II.

Proximum eſt, & cum eo quod diximus maximè coniunctum, vt ſimul etiam oſtendant vitam à fidelibus non in otio & deſidia degendam eſſe, verum oportere, vt quemadmodũ ipſe ambulauit, ita & nos ambulemus, ſectemurq́; omni ſtudio iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, manſuetudinem.

Eſt Catech. §. Proximum eſt, & cum eo, &c.

Hanc clarè docet D. Ioannes *1. epiſt. c. 2.* illis verbis, *In hoc ſcimus quoniam cognouimus Ieſum Chriſtum, ſi mãdata eius obſeruemus.* Et Apoſtolus 1. ad Ti. 3 *Dedit,* inquit, *ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſecta-*

torem bonorum operum: Quæ idem Apoſtolus paſtoribus præcipit, vt loquantur & exhortentur.

CONCLVSIO III.

P*Oſtremum eſt, vt omni diligẽtia curent, vt fidelis populus ad immẽſam Dei erga nos bonitatẽ amandam excitetur, ac diuino quodam ardore incẽſus ad ſummum illud & perfectiſsimum bonum rapiatur, cui adhærere, ſolidam & veram felicitatem eſſe is planè ſentit, qui illud prophetæ.* Pſal. 72. *dicere poterit: Quid enim mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram.*

Eſt Catech.§. Cum autem Dominus, &c.

Nam Dominus ac Saluator noſter non ſolum dixit. *Math. 22.* ſed etiam exemplo ſuo demonſtrauit, legem & prophetas ex dilectione pendere. Et Apoſtolus deinde *ad Timoth. 1.* confirmauit charitatem eſſe finem præcepti, ac legis plenitudinem. Et idem *1. ad Corinth. 12.* docet eſſe viam excellentiorem, cum omnem doctrinæ & inſtitutionis ſuæ rationem ad charitatem, quæ nunquam excidit, dirigit.

Ex quibus ſequitur paſtores & catechiſtas, ſiue credendum, ſiue ſperãdum, ſiue agendum aliquid auditoribus ſuis proponant, ita in eo ſemper charitatem Domini noſtri commendare debere, vt quiuis perſpiciat, omnia perfecta chriſtianæ virtutis opera non aliunde quàm à dilectione ortum habere, neque ad alium finem quàm ad dilectionem referenda eſſe.

Hactenus de fine, quem ſibi præſtituere debent Catechiſtæ, nunc de forma & ratione docendi Catechiſmum aliquid dicendum eſt.

QVAESTIO III.

Quæ eſt forma, ſiue modus tradendi doctrinam chriſtianam?

CONCLVSIO VNICA.

Non eſt vna certa, & præſcripta tradēdi hāc doctrinam formula, ſed varia, prout eſt varia auditorū conditio, ætas, ingenium, mores.

Eſt Catech. §. Obſeruandum eſt enim, &c.

Nam cum inter auditores alij ſint veluti modò geniti infantes, alij in Chriſto adoleſcere incipiāt, nonnulli vero quodammodo confirmata ſint ætate, neceſſe eſt diligenter conſiderare quibus lacte, quibus ſolidiore cibo opus ſit, ac ſingulis ea doctrinæ alimenta præbere, quæ ſpiritum augeāt, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in mēſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Hoc docet ſuo exēplo Apoſtolus cùm *ad Rom. 1.* dicit, ſe græcis & barbaris, ſapientibus & inſipiētibus debitorem eſſe, vt videlicet intelligerent, qui ad hoc miniſterium vocati ſunt, ita in tradendis fidei myſterijs, ac vitæ præceptis, doctrinam ad audiētium ſenſum, atque intelligentiam accommodari oportere, vt cum eorum animos, qui exercitatos ſenſus habent, ſpirituali cibo expleuerint, ne interim paruulos fame perire patiantur, vt qui panem petant, & non ſit qui frangat eis; *Thren. 4. c.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Debent ne ergo doctores, & alij quorum animus in ſublimium rerum contemplatione verſatur, auditoribus rudioribus inſtruendis vacare?

Omninò debent; neque eorum in docedo ſtudium retardare debet, quod earum rerum præceptis inſtrui debeant, quæ leuiores & humiliores videntur&quæ nó ſine moleſtia à doctioribus tractari ſoleant: Nam ſi ipſa æterni patris ſapientia in terras deſcendit, vt in carnis noſtræ humilitate cæleſtis vitæ præcepta nobis traderet, quem non compellat charitas Chriſti, vt paruus fiat in medio fratrum ſuorum, & tanquam nutrix fouẽs filios ſuos, ita cupidè proximorũ ſalutem deſideret, vt, quod de ſe ipſo Apoſtolus teſtatur *1. ad Theſſal. 8. c.* eis velit non ſolum euangelium Dei, ſed etiam animã tradere?

QVAESTIO IIII.

Quæ eſt materia huius doctrinæ: Siue, Quæ ſunt præcipua doctrinæ chriſtianæ capita? Et, Quis eſt, inter illa ordo conſtituendus?

CONCLVSIO I.

Materia huius doctrinæ eſt verbum Dei. Eſt Catech. §. Omnis autẽ doctrinæ ratio.

CONCLVSIO II.

Verbum Dei diſtribuitur in ſcripturã, & traditiones. Eſt Catech. §. Quod in ſcripturam, &c.

MONITIO.

Ex his duabus concluſionibus infertur paſtores & catechiſtas in ſcripturarum & traditionum meditatione noctes dieſque verſari debere; memores illius D. Pauli admonitionis, quam ad Thimotheũ ſcriptam, omnes, quicumque animarum curæ præpoſiti ſunt, ad ſe pertinere exiſtimabũt: Eſt autem

hæc admonitio in hunc modum, Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ; Eſt enim omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonũ inſtructus.

CONCLVSIO III.

Scriptura, & traditiones rurſus diſtribuuntur in quatuor hæc capita, Apoſtolorum ſymbolum, ſacramenta, Decalogum, Dominicam orationem.

Eſt Catech. §. Sed quoniã quę diuinitus tradita sũt.

Probatur dupliciter; Primò, auctoritate maiorũ, & patrum Eccleſiæ, qui totam hanc vim & rationẽ ſalutaris doctrinæ in quatuor hæc capita redactam diſtribuerunt.

Deinde ratione theologica tali: Nam omnia quę chriſtianę fidei diſciplina tenenda ſunt, ſiue ad Dei cognitionem, ſiue ad mundi creationem, & gubernationem, ſiue ad humani generis redemptionem, ſiue ad bonorum præmia, & malorum pœnas pertineant, ſymboli doctrina cõtinentur. Quæ autem ſigna ſunt, & tanquam inſtrumenta ad diuinam gratiam conſequendam, hæc ſeptem ſacramentorũ doctrina complectitur. Iam verò quæ ad leges referuntur, quorũ finis eſt charitas, decalogo deſcripta ſunt. Quicquid denique ab hominibus optari, ſperari, ac ſalutariter peti poſſit, dominica precatione comprehenditur. Quare ſequitur, vt explanatis quatuor his, quaſi cõmunibus ſacræ ſcripturę locis, nihil ferè ad eorum intelligentiam quæ chriſtiano homini diſcenda ſunt, deſiderari poſſit.

Ex quibus parochi & catechiſtæ facile colligere poſſunt, quotieſcũmque vſu venerit, vt illi aliquem

quem euangelij, vel quemuis alium diuinæ ſcripturę locum interpretentur, eius loci, quicumque is fuerit, ſententiam cadere ſub vnũ aliquod quatuor illorum capitum quæ diximus, quo, tanquam ad eius doctrinæ fontem, quod explicãdum ſit confugient: Exempli cauſa, ſi explanandum ſit illud euãgeliũ primę dominicę aduentus, *Erunt ſigna in ſole & luna* & cetera quæ ad eam rationẽ pertinent, tradita ſunt in illo ſymboli articulo, *Venturus eſt iudicare viuos & mortuos:* Quibus inde aſſumptis paſtor vna, eademque opera fidelem populum & ſymbolũ, & euangelium docebit. Quare in omni docendi & interpretandi munere: hanc conſuetudinem tenebit dirigẽdi omnia ad prima illa quatuor genera, ad quæ referri vniuerſam diuinæ ſcripturæ vim atque doctrinam diximus.

CONCLVSIO IIII. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

INter hæc quatuor præcipua doctrinæ christianæ capita, operæpretiũ eſt quæ ad fidem pertinẽt prius explicare. Eſt Catech. §. Docendi autem ordinem, &c.

Probatur patrum auctoritate, qui initiandis Chriſto Domino, & in eius diſciplina inſtruendis hominibus à fidei doctrina initium fecerunt.

CONCLVSIO POSTREMA.

NIhilominus liberũ erit paſtoribus & Catechiſtis eũ ordinẽ in docendo adhibere, qui & perſonis, & temporibus accommodatus videbitur.

Eſt Cath. §. Docendi autem ordinem, &c.

Et hæc pro Elucidatione præfationis ſufficiunt.

PRIMAE

CATECHISMI ROMANI, QVAE EST DE FIDE, ET SYMBOLO FIDEI, ELVCIDATIO Scholaſtica.

PRAEFATIONIS ELVCIDATIO.

De fide & fidei ſymbolo in genere.

Primæ partis præfatio continet aliquot quæſtiones de fide & fidei ſymbolo.

QVAESTIO I.

Quid eſt fides?

CONCLSIO I.

I*N diuinis litteris multiplex eſt fidei ſignificatio.*
Eſt Catech.§. Sed quoniã in diuinis,&c.

CONCLVSIO II.

Nos hic de ea loquimur, cuius vi omnino aſſentimur ijs quæ tradita ſunt.

Eſt Catech.§.Nos hic de ea loquimur,&c.&colligere licet ex D.Thoma 2. 2. quæſt. 4. & explicatur ſequentibus difficultatibus.

DIFFICVLTAS I.

An fides ſic accepta, ſit neceſſaria ad Salutem?

Eſt neceſſaria; Sic enim ſcriptum eſt ab Apoſtolo *ad Hebreos 11. Sine fide impoßibile eſt placere Deo.*

Conuincit hoc ipſum ratio theologica: Cùm enim finis, qui ad beatitudinẽ propoſitus eſt, altior

ſit

ſit, quàm & humanæ mentis acie perſpici poſſit, neceſſe ei erat ipſius à Deo cognitioné accipere: hæc autem cognitio nihil aliud eſt niſi fides.

DIFFICVLTAS II.

Quanta eſt differentia inter illam fidem quam Deo, & illam quã humanæ hiſtoriæ ſcriptoribus adhibemus?

Eſt maxima: Nam nulla poteſt accidere dubitatio in ijs quorum Deus auctor eſt, qui eſt ipſa veritas: Secus in ijs quorum homines ſunt auctores, qui mendaces ſunt.

DIFFICVLTAS III.

An ſit vna fides, vel multiplex?

Dicendum quod quamuis fides latè pateat, & magnitudine ac dignitate differat, eſt enim vna fides quæ modica dicitur, & augeri petitur: eſt etiam quædam mortua: eſt quædam viua, quæ per charitaté operatur; tamen eſt eadem ſpecie: Nam vna & eadem fidei definitio omnibus illis ex ęquo conuenit.

De hac difficultate & ſuperioribus conſule D. Thom. locis ante allegatis.

DIFFICVLTAS IIII. & poſtrema.

Quem fructum & vtilitatem adfert nobis fides?

Quam fides ſit fructuoſa, & quantam ex ea vtilitatem capiamus, in ſingulorum articulorum explicatione dicetur.

QVAESTIO II.

Quæ ſunt primùm chriſtianis hominibus credenda, & quando, & qua

de cau-

de cauſa Apoſtoli duodecim fidei articulos compoſuerunt.

CONCLVSIO I.

QVæ primum chriſtiani homines credere debent, illa ſunt, quæ fidei duces doctoreſq́; ſancti Apoſtoli diuino ſpiritu afflati, duodecim ſymboli articulis diſtinxerunt.

Eſt Catech. §. Quæ igitur primum chriſtiani. & D. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 6.

CONCLVSIO II.

CVm Apoſtoli mandatū à Domino accepiſſet Math. 22. *vt pro ipſo legatione fungētes in vniuerſū mūdū proficiſcerentur, atque omni creaturæ euāgelium prædicarent, Chriſtianæ fidei formulam compoſuerunt, vt ſcilicet idipſum omnes ſentirent ac docerēt, neque vlla eſſent inter eos ſchiſmata, quos ad fidei vnitatem vocaſſent, ſed eſſent perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.*

Eſt Catech. §. Nam cum mandatum, &c. & explicatur ſequentibus difficultatibus, ſicut & præcedens concluſio.

DIFFICVLTAS I.

Quare hanc fidei formulam à ſe compoſitam Apoſtoli appellarunt Symbolum?

Dicendum, ſiue quia ex varijs ſententijs, quas ſinguli in commune contulerunt, cōflata eſt, ſiue, quia ea veluti nota, & teſſera quadam vterentur, qua deſertores, & ſubintroductos falſos fratres, qui euangelium adulterabant, ab ijs, qui verè Chriſti militiæ ſacramento ſe obligarent, facilè poſſent internoſcere.

DIFFICVLTAS II.

Quare duodecim ſymboli articuli, primò & maximè neceſſariò omnibus credendi ſunt?

Quia illud primò ac maximè neceſſariò omnibus credendum eſt, quod veluti veritatis fundamentum, ac ſumma de diuinæ eſſentiæ veritate, & trium perſonarum diſtinctione, earumque actionibus quæ præcipua quadam ratione illis attribuuntur Deus ipſe nos docuit: Quæ myſterij doctrina duodecim ſymboli articulis pulcherrimo ordine comprehenſa eſt.

DIFFICVLTAS III.

Quot ergo ſunt partes principales ſymboli Apoſtolici?

Sicut maiores noſtri, qui in hoc argumento piè & accuratè verſati ſunt, obſeruauerũt, Symbolum in tres potiſsimum partes ita diſtributum videtur, vt in prima, diuinæ naturæ prima perſona & creationis opus deſcribatur: In ſecunda, ſecunda perſona & humanæ redemptionis myſterium: In tertia, tertia item perſona, caput & fons ſanctitatis noſtræ, varijs & aptiſsimis ſententijs concludatur.

DIFFICVLTAS IIII.

Quare duodecim ſymboli ſententias, appellamus articulos?

Similitudine quadam à patribus noſtris frequenter vſurpata; Vt enim corporis membra articulis diſtinguuntur; Ita etiam in hac fidei confeſſione, quicquid diſtinctè & ſeparatim ab alio credendum eſt, rectè & appoſitè articulum dicimus.

CAPITIS

CAPITIS PRIMI ELVCIDATIO.

DE PRIMO SYMBOLI ARTICVLO.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

QVAESTIO I.

Quæ eſt horum verborum ſententia?

CONCLVSIO VNICA.

His verbis ea ſententia ſubiecta eſt, Certò credo, ac ſine vlla dubitatione profiteor Deum patrem, primā ſcilicet Trinitatis perſonam, qui ſua omnipotenti virtute cælum ipſum, & terram, & omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur ac regit: neque eum ſolùm corde credo, & ore confiteor, verùm ſummo ſtudio ac pietate ad illum veluti ſummum & perfectiſsimum bonum contendo.

Eſt Catec. §. His verbis ex ſententia, &c.

Hæc concluſio ex ſequentibus fiet manifeſta; ſingulæ enim ſequentes quæſtiones cum ſuis concluſionibus & reſponſionibus explicabunt ex ordine ſingulas particulas huius concluſionis: Nam ſicut elegāter dicit Catechiſmus in ſingulis fere verbis huius articuli magna latent myſteria.

QVAESTIO II.

Quid prima vox, Credo, ſignificat?

CONCLVSIO I.

Credendi vox hoc loco non ſignificat putare, exiſtimare, opinari.

Eſt Catech. §. Igitur credendi vox.

CONCLVSIO II.

Credendi vox certiſſima aſſenſionis vim habet, qua mens Deo, ſua myſteria aperienti, firmè conſtanterq́ aſſentitur.

Eſt Catech. §. Sed vt docent ſacræ litteræ, &c.

Quamobrem is credit (quod ad huius loci explicationem attinet) cui aliquid ſine vlla hęſitatione certum & perſuaſum eſt.

Non obſtat certitudini fidei, quod ea non cernãtur quæ nobis credenda fides proponit; quia diuinũ lumẽ fidei, quo ea percipimus, tametſi perſpicuitatẽ rebus non afferat, nos tamen de his dubitare nõ ſinit: *Deus* enim (vt inquit Apoſtolus *2.* ad Corinth. 4.) *qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, vt non ſit nobis opertũ Euangeliũ ſicut ijs qui pereunt.*

Ex ijs quæ dicta ſunt, conſequitur eum, qui cæleſti hac fidei cognitione præditus eſt, inquirendi curioſitate liberũ eſſe: Deus enim cùm iuſsit nos credere, non diuina iudicia ſcrutanda, eorumq́ue rationem, & cauſam perquirendam nobis propoſuit, ſed immutabilem fidẽ præcepit, quæ efficit, vt animus in æternæ veritatis notitia conquieſcat. Ac profectò cùm Apoſtolus teſtetur, ad Rom. 3. *Deus verax eſt, omnis autẽ homo mendax,* ſi arrogantis, & impudẽtis hominis eſt, graui, ac ſapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, ſed prætera vrgere, vt quod dixerit, rationibus aut teſtibus probetur, cuius temeritatis, atq; adeò ſtultitiæ fuerit, Dei voces audientem, cæleſtis ac ſalutaris doctrinæ rationes requirere?

CONCLVSIO III.

CREDO, *præterquam quod intimum mentis aſſenſum declarat*

declarat, qui interior fidei actus eſt, tacitè etiam ſignificat eũ qui credit, debere id quod animo incluſum habet, aperta fidei profeſſione præ ſe ferre, ſummaq; alacritate palam fateri ac prædicare.

Eſt Catech. §. Verum illud præterea doceat parochus. & D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2.

Oportet enim fideles eum ſpiritum habere, quo fretus Propheta dixit Pſalm. 115. *Credidi propter quod locutus ſum:* imitari Apoſtolos qui ad principes populi reſponderunt, Act. 4. *Non poſſumus quæ vidimus & audiuimus, nõ loqui:* Diui Pauli præclara illa voce excitari, ad Rom. 1. *Non erubeſco Euangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Item, quo maximè huius ſententiæ veritas confirmatur, ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

QVAESTIO III.

Quomodo differt chriſtiana philoſophia ab huius ſæculi ſapientia: hoc eſt, ſcientia, quam chriſtiani habent de Deo & rebus diuinis per lumen ſupernaturale fidei, à ſcientijs quas Philoſophi habuerũt de ijſdem per ſolum lumen naturale intellectus?

CONCLVSIO I.

PRimò in hoc multum inter ſe differunt chriſtiana philoſophia, & huius ſæculi ſapientia; Quòd hæc quidem naturalis tãtùm luminis ductu ab affectibus & ab ijs quæ ſenſibus percipiuntur, paulatim progreſſa, non niſi poſt longos labores, vix tandem inuiſibilia Dei contemplatur, primamq; omnium rerũ cauſam & auctorem agnoſcit, atque intelligit:

Contrà verò illa humanæ mentis aciem ita exacuit, vt in cælũ nullo labore penetrare poſſit, atque diuino labore colluſtrata, primum quidem æternum ipſum luminis fontem, deinde quæ infra ipſum poſita ſunt intueri, vt nos vocatos eſſe de tenebris in admirabile lumen, quod eſt apud Apoſtolorum principem, 1. Petr. 2. cum ſumma animi iucunditate experiamur, & credentes exultemus lætitia inenarrabili.

Eſt Catech. §. In hoc enim multum inter ſe, &c. & D. Thom. p. 1. q. 1. art. 1.

Hæc differentia indicatur primis his ſymboli verbis, *Credo in Deum*, quibus rudes & pueri ſtatim vſque ad perfectam Dei cognitionem inſtruuntur.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ ſunt quæ philoſophi ex effectibus & rerum creatarũ contemplatione, de Deo lumine naturali intellectus cognouerunt & inueſtigârunt?

Magna & præclara ſunt quæ de Deí natura, ſacrorum librorum auctoritate conſentanea & conſequẽtia ex rerum effectarum inueſtigatione philoſophi cognouerunt.

Primò enim quicquid corporeum, quicquid concretum & admiſtũ eſt, ab eo longiſsime remouerunt.

Deinde & bonorum omnium vim & copiam tribuerunt, vt ab eo tanquam à perpetuo quodam & inexhauſto fonte bonitatis ac benignitatis, omnia ad omnes creatas res atque naturas perfecta bona dimanent.

Præterea Deum ſapientem, veritatis auctorem; & amantem, iuſtum, beneficentiſsimum, & alijs nominibus appellauerunt, quibus ſumma & abſoluta perfectio continetur, ciuſque immenſam, & infinitam virtutem, omnem complentem locum, & per omnia pertinentem eſſe dixerunt, hæc tamen omnia ex di-

uinis

uinis litteris longè facilius, melius, & illuſtrius conſtant, vt Ioan.4.c. *Spiritus eſt Deus*.Item Math.5. *Eſtote vos perfecti,ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*.Tum ad Hebreos 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius*. Et illud ad Rom. 11. c. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*. Deinde ad Rom.3. *Deus verax eſt*. Et Ioann.14. *Ego ſum via,veritas, & vita*.Preterea Pſalm.47. *Iuſtitia plena eſt dextera tua*. Denique Pſalm. 144. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Poſtremò Pſalm.138. *Quò ibo à ſpiritu tuo,& quò à facie tua fugiã? Et ſi aſcendero in cælum,tu illic es,Si deſcendero in infernum,ades:ſi ſumpſero pennas meas diluculò & habitauero in extremis maris,&c*.Et Hier. 23. *Nunquid non cælum & terram ego impleo dicit Dominus*.

Conſule D. Thom. p.1.q. 12. art.12.& 13.

CONCLVSIO II.

SEcundò differunt, quòd fides & chriſtiana philoſophia nõ ſolum hoc præſtat, quemadmodum ſupra dictum eſt, vt quæ viri tantum ſapientes longo ſtudio conſecuti ſunt, ea rudibus quoque & imperitis hominibus ſtatim pateant atque in promptu ſint; Verum vt rerum notitia, quæ fidei diſciplinã comparatur, multò certior, atque ab omni errore purior in mentibus noſtris inſideat, quàm ſi eas ipſas res humana ſcientia comprehenſas animus intelligeret.

Eſt Catech.§. Si animaduertamus fidẽ non ſolùm hoc preſtare, &c. Et D. Thom. ſup. & patet ex definitione & natura fidei ſuperiùs aſsignata.

CONCLVSIO III.

POſtremò differunt: Quia præſtantior eſt diuini numinis cognitio, ad quam nõ cõmuniter omnibus natura contẽplatio, ſed propriè credentibus fidei lumen patefecit, quæ ſymboli

BIBLIOTECA ... UNIVERSITARIA

ſymboli articulis continetur, qui nobis diuinæ eſſentiæ vnitatem, & trium perſonarum diſtinctionem, tum verò ipſum Deum eſſe vltimu hominis finem aperiunt, à quo cæleſtis æternaq́ue beatitudinis poſſeſſio expectanda ſit.

Eſt Catech. §. Sed quantò præſtantior, &c. & D. Thom. ſup.

Deum eſſe vltimum hominis finem, ab eoq́ue eius generis bona expectanda, ad quæ humana conditio aſpirare nunquã potuerit, Iſaias Propheta 64. c. his verbis oſtendit: *A ſæculo non audierũt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.*

QVAESTIO IIII.

An Deus ſit vnus, & non plures, ſicut ſignificare videtur hæc vox, in Deum, ſingulari numero prolata?

CONCLVSIO VNICA.

VNum Deum eſſe non plures confitendum eſt.

Eſt Catech. §. Sed ex his quæ diximus, &c. & D. Thom. p. 1. q. 11.

Hæc multis ſacrarum litterrarum locis comprobatur. Scriptum eſt enim Deut. 6. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt.* Præterea eſt Domini iuſſum. Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me.* Deinde per Prophetam ſæpè admonet. Eſaiæ 44. *Ego primus & ego nouiſsimus, & abſque me non eſt Deus.* Apoſtolus etiam palam teſtatur ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.*

Probatur ſecundò ratione theologica: Nam cùm Deo ſummam bonitatem & perfectionẽ tribuamus, fieri nõ poteſt vt id quod ſummũ & abſolutiſsimum

eſt inueniatur in pluribus: Quòd ſi cui aliquid ad ſummum deeſt, eo ipſo imperfectus eſt; quare nec Dei natura illi conuenit.

Non obſtat concluſioni, quòd interdum ſacræ litteræ Dei nomen creatis etiam naturis imponant; Nã quòd Prophetas & judices Deos appellârunt, non gentium more factum eſt, quæ ſibi plures Deos ſtultè & impiè finxerunt, ſed quâdam loquendi conſuetudine ſignificare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quę Dei munere illis conceſſa ſit.

QVAESTIO V.

Quotuplici ratione vox Patris Deo tribuitur: & quâ ratione peculiariter hoc loco Deũ credimus eſſe Patrem?

CONCLVSIO I.

P*Rimò Deus vocatur Pater ratione creationis, & gubernationis.*

Eſt Catech. §. Deum nonnulli etiam, &c.

Hac ratione Deum Patrem vocauerunt etiam gẽtiles philoſophi; intellexerunt enim, ſicut ante diximus, Deum æternam eſſe ſubſtantiam, à qua res ortæ eſſent, & cuius prouidentiâ omnia gubernarétur, ſuumque ordinem & ſtatum conſeruarent.

Ex humanis igitur rebus ducta ſimilitudinę, quẽadmodum eum, à quo familia propagata eſt, cuiuſq; conſilio & imperio regitur, patrem vocabant; ita hac ratione factum eſt, vt Deum, quem omnium rerum opificem & rectorem agnoſcebant, Patrem appellari voluerint.

Eodem modo etiam ſacræ litteræ vſæ ſunt, cùm

de Deo loquẽtes vniuerſorum creationem, poteſtatem, admirabilemque prouidentiam ei tribuendam iudicarent: Sic enim legimus Deut. 32. *Nunquid nō ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & creauit te?* Et Malachię 2. *Nunquid non pater vnus omniū noſtrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos?*

CONCLVSIO II.

SEcundò, *multò frequentiùs, præſertim in noui teſtamēti libris, peculiari quodā nomine Deus dicitur Pater Chriſtianorum, videlicet ratione adoptionis.*

Eſt Catech. §. At verò multò frequentiùs, &c.

De chriſtianis enim dicit Apoſtolus, ad Rom. 8. *Quòd non acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed acceperunt ſpiritum adoptionis filiorū Dei, in quo clamamus Abba pater*, ſiquidem, vt dicit D. Ioannes 1. epiſtolę 3. c. *eam charitatē dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Quod ſi filij (vt argumētatur Apoſtolus, ad Rom. 8.) & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, qui eſt primogenitus in multis fratribus, nec confunditur nos vocare fratres.

CONCLVSIO III.

TErtiò *Deus vocatur Pater, quia genuit & perpetuò generat filium ſibi conſubſtantialem.*

Eſt Catech. §. Verùm præter eas notiones.

De quâ generatione aliquíd ſequenti quæſtione dicendum erit.

CONCLVSIO IIII. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

SIue *communem rationem creationis & prouidentiæ, ſiue præcipuam & peculiarem ſpiritualis adoptionis ſpectemus,*

mus, meritò fideles Deum Patrem ſe credere profitentur.

Eſt Catech. §. Siue igitur communem, &c.

Et ratio patet ex proximè præcedentibus.

CONCLVSIO V.

SI rationem tertiam, hoc eſt, æternæ generationis Filij cõſubſtantialis ſpectemus, maximè propriè & peculiariter Deum Patrem eſſe Filij ſui vnici & conſubſtãtialis credimus.

Eſt Catech. §. eodem.

Quod enim in luce inacceſsibili, quam inhabitat Deus, magis reconditum & abſtruſum eſt, quodque humana ratio & intelligentia non conſequi, aut ne ſuſpicari quidem poterat, id Patris vocabulo, diuina oracula nobis aperire incipiunt, cùm dicimus *Credo in Deum Patrem*; Indicat enim hoc nomẽ, in vna diuinitatis eſſentia, non vnam tantum perſonam, ſed perſonarum diſtinctionem credendam eſſe: De qua modò aliquid dicendum eſt.

QVAESTIO VI.

An ſit Trinitas perſonarum in vnitate diuinæ eſſentiæ: Et, Vnde oritur diſtinctio diuinarum perſonarum?

CONCLVSIO I.

TRes ſunt in vna diuinitate perſonæ; Patris, qui à nullo genitus eſt; Filij, qui ante omnia ſæcula à Patre genitus eſt; Spiritus Sancti, qui itidem ab æterno ex Patre & Filio procedit.

Eſt Catech. §. Tres enim ſunt in vna diuinitate, & D. Thom. p. 1. q. 30. art. 20.

Ita enim Deus nos docuit, Math. 28. *Docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &*

Spiritus Sancti. Rurſus 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimoniū dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, Et hi tres vnum ſunt.*

Ex quo vlterius ſequitur, quòd Pater eſt in vna diuinitatis ſubſtātia, prima perſona, qui cum vnigenito Filio ſuo, & Spiritu Sancto, vnus eſt Deus, vnus eſt Dominus, non in vnius ſingularitate perſonę, ſed in vnius Trinitate ſubſtantię.

Vide D. Thom. p. 1. q. 33. art. 1. & q. 42. art. 3.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

HAE *tres perſonæ, cùm in ijs quiddam diſsimile aut diſpar cogitare nefas ſit, ſuis tantummodò proprietatibus diſtinctæ intelliguntur; Pater ſiquidem ingenitus eſt: Filius à Patre genitus: Spiritus Sāctus ab vtroque procedit.* Eſt. Catech. §. Iam verò hæ tres perſonæ.

Ex qua concluſione ſequitur nos confiteri ita triū perſonarum eandem eſſentiam, eandem ſubſtātiam, vt in confeſsione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietatem, & in eſſentia vnitatem, & in Trinitate ęqualitatem piè, ſanctè colendā credamus.

Conſule D. Thom. p. 1. q. 28. art. 3.

Non obſtat dictis, quòd Patris primam perſonam eſſe dicimus: Nam non ita hoc accipiendum eſt, perinde ac ſi aliquid in Trinitate prius aut poſterius, maius, aut minus cogitemus: Abſit enim hæc à fidelium mentibus impietas, cùm eandem æternitatem, eandē gloriæ maieſtatem in tribus perſonis chriſtiana religio prædicet; ſed Patrem propterea primam eſſe perſonā verè & ſine vlla dubitatione affirmamus, quòd ipſe ſit

ipſe ſit principiũ ſine principio: quæ prima perſona vt Patris proprietate diſtincta eſt, ita in vnam illam hoc propriè conuenit, quòd Filium ab æterno genuerit; ſemper enim Deum ſimul & Patrẽ fuiſſe nobis ſignificatur, cum Dei & Patris nomina coniũcta in hac confeſsione pronunciamus.

Hanc doctrinam explicat D. Thom.p.1.q.33.art.1.

MONITIONES.

HOc loco cum Catechiſmo tria nobis diligenter aduertenda ſunt;

Primùm, quòd quoniam in nullius rei, quam huius omnium altiſsimæ ac difficillimæ notitia atque explicatione, aut periculoſiùs verſari, aut grauiùs errare poſſumus, vt religioſe retineamus eſsẽtiæ & perſonæ propria vocabula, quibus hoc myſterium appoſitè ſignificatur, & ſciamus vnitatẽ eſſe in eſſentia, diſtinctionem autem in perſonis.

Secundum vt hæc ſubtiliùs non exquiramus, memores illius vocis. Prouerb. 25. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria:* Satis enim videri debet, quòd fide certum & exploratum habeamus, nos à Deo (cuius oraculis nõ aſſentiri extremæ ſtultitiæ ac miſeriæ eſt) ita edoctos eſſe.

Poſtremùm, vt oremus aſsiduè ac precemur Deũ & Patrem, qui vniuerſa ex nihilo condidit, diſponitque omnia ſuauiter, qui dedit nobis poteſtatẽ filios Dei fieri, qui Trinitatis myſterium humanæ menti patefecit: Oremus inquam ſine intermiſsione qui diuino beneficio hęc credimus, vt aliquando in ęterna tabernacula recepti, digni ſimus, qui videamus, quæ tanta ſit Dei Patris fæcunditas, vt ſeipſum intuens, atque intelligens, parem & æqualem ſibi filium

gignat:

gignat: quóve modo duorum idem planè & par charitatis amor, qui Spiritus Sanctus eſt, à Patre & Filio procedens, genitorem, & genitum æterno, atque indiſſolubili vinculo inter ſe connectat atque ita diuinæ Trinitatis vna ſit eſſentia, & trium perſonarum perfecta diſtinctio.

QVAESTIO VII.

Quo nomine Deus frequentius appellatur in ſacris litteris: Et, quid ſignificatur hoc nomine, Omnipotens?

CONCLVSIO PRIMA.

Solent ſacræ litteræ multis nominibus Dei ſummam vim & immenſam maieſtatem explicare, vt oſtendant quãta religione & pietate illius ſanctiſſimum numen colendum ſit; ſed imprimis illi omnipotentẽ vim frequẽtiſſimè tribuunt.

Eſt Catech. §. Solent ſacræ litteræ.

Ipſe enim de ſe dicit. Geneſ. 17. *Ego Dominus omnipotens.* Et rurſus, Iacob, cum filios ad Ioſeph mitteret, ita illis precatus eſt. Geneſ. 43. *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.* Deinde vero in Apocalypſi, c. 1. ſcriptum eſt, *Dominus Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Et alibi, Dies magnus Dei omnipotentis appellatur.

Nonnunquam etiam pluribus verbis illud idem ſignificari ſolet. Atque huc pertinet quod dicitur. Luc. 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Et Num. 11. *Nunquid manus Domini inualida eſt?* Item, Sap. 12. *Subeſt tibi, cùm volueris, poſſe.* Et alia generis eiuſdem, ex quibus varijs dicendi formis id percipitur, quòd vno omnipotẽtis verbo cõprehendi perſpicuũ eſt.

CONCLVSIO II.

Nomine Omnipotentis, ſignificatur nihil eſſe, nihil animo & cogi-

& cogitatione fingi poſſe quod Deus efficere nequeat.

Eſt Catech. §. Intelligimus autem. & D. Thom. p. 1. q. 25.

Etenim, non ſolùm hæc, quæ, tametſi maxima ſunt, aliquo tamen modo in cogitationem noſtram cadunt, efficiẽdi poteſtatem habet, nimirum vt omnia ad nihilum recidant, atque vt plures mundi ex nihilo repentè exiſtant, verumetiam multa maiora in illius poteſtate ſita ſunt, quæ humanæ menti & intelligentiæ ſuſpicari non licet.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si Deus omnia poteſt, quare ergo dicitur, non poſſe mentiri, fallere, aut falli, peccare, aut interire, aut aliquid ignorare?

Dicendum quia hæc in eam naturam cadunt, cuius imperfecta actio eſt; Deus verò, cuius perfectiſſima ſemper eſt actio, ideò hæc non poſſe dicitur, quia poſſe ea infirmitatis eſt, non ſummæ & infinitæ omnium rerũ poteſtatis quam ille habet. Ita igitur Deũ omnipotentem eſſe credimus, vt ab eo tamen longè omnia abeſſe cogitemus, quæ perfectæ eius eſſentię maxime coniuncta & conuenientia non ſunt.

QVAESTIO VIII.

Cum Deus in ſacris litteris vocetur pluribus nominibus, quare alijs omiſſis Apoſtoli vſi ſunt nomine Omnipotentis?

CONCLVSIO I.

Rectè ſapienterq́; factum eſt vt prætermiſſis alijs nominibus, quæ de Deo dicuntur, hoc vnum nobis in ſymbolo credendum proponeretur: Primò, quia qui credit Deum eſſe omnipotentem, conſequens omninò eſt, vt cetera etiam omnia

omnia de illo explorata habeat: Quæ ſi deſint, quomodo omnipotẽs ſit prorſus intelligere non poſſumus: Cùm enim Deum omnipotentem eſſe agnoſcamus, ſimul etiam fateamur neceſſe eſt eum omnium rerum ſcientiam habere, omnia item eius ditioni & imperio ſubiecta eſſe, & cætera ſine quibus non cõſiſtit Dei omnipotentia.

Eſt Catech. §. Quia vbi Deum omnipotentem.

CONCLVSIO II.

S*Ecundò, quia nulla res tam ad fidem & ſpem noſtram confirmandam valet, quàm ſi fixum in animis noſtris teneamus nihil non fieri à Deo poſſe.*

Eſt Catech. § Præterea nulla res, &c.

Quidquid enim deinceps credere oportet, quamuis magnum & admirabile ſit, rerumq́ue ordinem ac modum ſuperet, illi tamen facile humana ratio, poſtquam Dei omnipotẽtis notitiam perceperit, ſine vlla hæſitatione aſſentitur, quin potiùs quò maiora ſunt, quæ diuina oracula doceant, eò libentiùs fidem eis habẽdam eſſe exiſtimat. Quòd ſi boni etiam aliquid expectandum ſit, nũquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur, ſed erigit ſeſe atque confirmat, ſæpè illud cogitans, nihil eſſe, quod ab omnipotenti Deo effici non poſſit.

Quare hac fide præcipuè munitos eſſe oportet, vel cùm admiranda aliqua opera ad proximorum vſum, & vtilitatem edere cogimur, vel cùm à Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterũ enim ipſe Dominus docuit, cum Apoſtolis incredulitatem obijciens diceret. Mathæi 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* De altero autem Sanctus Iacobus ita teſtatus eſt ſuę epiſt. 1. *Poſtulet in fide*

nihil

nihil haſitans: qui enim haſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, Non ergo aſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.

CONCLVSIO III.

TErtiò, quia fides omnipotentia Dei multa præterea commoda & vtilitates nobis præbet; Imprimis verò ad omnem animi modeſtiam & humilitatem nos inſtituit.

Eſt Catech. §. Multa præterea hæc fides, &c.

Sic enim inquit Princeps Apoſtolorũ.1. epiſt. 5. c. *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* Monet etiam nõ eſſe trepidandum vbi non ſit timor, ſed vnum Deum timendũ eſſe, in cuius poteſtate nosipſi noſtraque poſita ſunt; Inquit enim Saluator noſter. Luc. 12. *Oſtendã vobis quem timeatis, Timete eum qui poſtquã occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.*

CONCLVSIO IIII.

DEinde vtimur hac fide, ad immenſa erga nos Dei beneficia cognoſcenda & celebranda.

Eſt. Catech. §. Vtimur deinde, &c.

Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo eſſe non poteſt, quin ſæpius exclamet illud Lucæ. 1. c. *Fecit mihi magna qui potens eſt.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An Omnipotentia ita tribuatur Patri, vt Filio etiã, & Spiritui Sancto communis non ſit.

Dicendum neminem ex errore duci oportere; Nam quemadmodum Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, neque tamen tres Deos, ſed vnum Deum eſſe dicimus: Ita ęquè Patrem, ac Filium, & Spiritum Sanctum omnipotentem, neque tamen tres omnipotentes, ſed vnum omnipotentem

eſſe confitemur. At verò præcipua quadam ratione Patrem, quia omnis originis fons eſt, hoc nomine vocamus, vti etiam Filio, qui æternum Patris verbũ eſt, ſapientiam, & Spiritui ſancto, qui vtriuſque amor eſt, bonitatem tribuimus. Quamuis hæc & alia huiuſmodi nomina communiter in tribus perſonis ex catholicæ fidei regula, dicantur.

QVAESTIO IX.

Quid ſignificatur cum Deus dicitur, Creator cæli & terræ?

CONCLVSIO VNICA.

Significatur Deus fabricâſſe mundum non ex materia aliqua, ſed ex nihilo.

Eſt Catech. §. Deus enim non ex materia aliqua. & D. Thom. p. 1. q. 45. art. 1.

DIFFICVLTAS I.

An Deus creauerit mundũ alia vi aut neceßitate coactus, an verò ſua ſponte & voluntate?

Dicendum quod Deus mundum nulla vi aut neceſsitate coactus, ſed ſua ſpõte & volũtate inſtituerit.

DIFFICVLTAS II.

Quæ fuit cauſa finalis creationis mundi?

Nulla alia cauſa fuit, quæ Deum ad opus creationis impelleret, niſi vt rebus quę ab ipſo effectę eſſent, bonitatem ſuam impertiretur; Nam Dei natura ipſa per ſe beatiſsima nullius rei indigẽs eſt, vt inquit, Dauid Pſalm. 15. *Dixi domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

DIFFICVLTAS III.

Quæ fuit cauſa exemplaris rerum à Deo creatarum?

Quemadmodum Deus ſua bonitate adductus

quæcum-

quæcumque voluit fecit, ita non exemplum aliquod aut formam, quæ extra ſe poſita eſſet, cum vniuerſa cõderet ſecutus eſt: Verùm quia rerum omniũ exemplar diuina intelligẽtia continetur, id ſummus artifex in ſe ipſo intuẽs, ac veluti imitatus, ſummâ ſapientiâ & infinitâ virtute, quæ ipſius propria eſt, rerũ vniuerſitatem initiò procreauit; *Ipſe enim dixit & facta ſunt; ipſe mandauit & creata ſunt*. Pſalm. 148.

QVAESTIO X.

Quid nomine cæli & terræ intelligendum eſt?

CONCLVSIO VNICA.

CAEli & terræ nomine, quicquid cælum & terra complectitur, intelligendum eſt.

Eſt Catech. §. Verum cæli & terræ nomine, &c.

Hoc eſt, ipſa rerum creatarum vniuerſitas, quam breuiter Propheta cõplexus eſt. Pſalm. 88. illis verbis: *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundâſti.* Et multò etiã breuiùs Patres Nyceni Concilij additis in ſymbolo duobus illis verbis: *Viſibilium & inuiſibilium.* Quæcũque enim rerum vniuerſitate comprehenduntur, atque à Deo creata eſſe cõfitemur, ea vel ſub ſenſum cadũt, & viſibilia dicũtur, vel mẽte & intelligentia percipi a nobis poſſunt, quę inuiſibilium nomine ſignificantur.

DIFFICVLTAS I.

Enumera ſigillatim illa quæ nomine cæli ſunt intelligenda.

Primò, omnes cælorum orbes, deinde innumerabiles Angeli.

DIFFICVLTAS II.

An cælorum orbes à Deo ſint creati, & quales, & quare?

Orbes cælorum ſunt à Deo creati; ideo enim Propheta, Pſalm. 8. vocat opera digitorum Dei, illiqúe pulcherrimi; illis enim ſolis ſplendorem, lunæque & cæterorum ſyderũ ornatum addidit, vt eſſent in ſigna & tempora, & dies, & annos, ideoque eos ita certò & conſtanti curſu temperauit, vt nihil perpetua eorũ cõuerſione mobilius, nihil nobilitate illa certius videri poſsit.

Vide D. Thom. p.1.q.65.art.1.

DIFFICVLTAS III.

An Angeli ſint à Deo creati: quales, & quare?

Deus innumerabiles Angelos ex nihilo creauit, vt illi miniſtrarent atque aſsiſterent: Quos deinde gratiâ ſuâ, ſcientiâ, & poteſtate auxit atque ornauit.

Angelos omnes fuiſſe ornatos gratiâ Dei, patet; Nam cùm illud ſit in diuinis litteris, Ioan. 8. *Diabolū in veritate non ſtetiſſe*, perſpicuum eſt eum, reliquoſq; deſertores Angelos ab ortus ſui initio gratiâ prędıtos fuiſſe. De quo ita apud Sanctum Auguſtinum lib. 12. de Ciuit. Dei, c. 9. *Cum bona voluntate, cum amore caſto, quo illi adhærent, Angelos creauit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Vnde ſine bona voluntate, hoc eſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt.

Quòd ad ſcientiam attinet, extat illud ſacrarum litterarum teſtimonium. 2. Reg. 14. *Tu Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram.*

Quòd ad poteſtatem, diuinus Dauid illam eis tribuit. Pſalm. 102. illis verbis: *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Atque ob eam rem ſæpè in ſacris litteris virtutes & exercitus Domini appellantur.

Quamuis autẽ omnes Angeli, ſicuti iam diximus,

initiò, ijs cæleſtibus donis ornati fuerint, plurimi tamen qui à Deo Patre & Creatore ſuo defecerunt, ex altiſsimis illis ſedibus deturbati, atque in obſcuriſsimũ terræ carcerē incluſi, æternas ſuperbię ſuę pœnas luunt, de quibus Princeps Apoſtolorũ ſcribit in hunc modũ. 2. Epiſtolæ c. 2. *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.*

Conſule ſi vis D. Thom. p. 1. q. 41. 42. & 43.

DIFFICVLTAS IIII.

Ennmera ſigillatim illa quæ nomine terræ ſunt intelligēda?

Primò, ipſum terræ elementum, cum aqua, aere, igne, & reliquis tum animatis, tum innanimatis corporibus, quibus Deus elementa ipſa ornauit, & repleuit: Deinde ipſe homo.

DIFFICVLTAS V.

An terra ſit à Deo creata, & prout nunc eſt ſucceſsiuè exornata: quomōdo, & quibus rebus?

Eſt à Deo creata, Deus enim terram ſuper ſtabilitatem ſuam fundatam ſolo ſuo verbo iuſsit in media mundi parte conſiſtere; effecitque, vt aſcenderent montes, & deſcenderent campi in locum, quem fundauit eis: ac ne aquarum vis illam inundaret, terminum poſuit, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram.

Deinde non ſolùm arboribus omniq́ue herbarũ & florum varietate conueſtiuit, atque ornauit, ſed innumerabilibus etiam animantium generibus, quemadmodũ anteà aquas, & aëra, ita etiã terras cõpleuit.

Explicat hanc difficultatem D. Thom. p. 1. q. 66. & q. 70.

DIFFICVLTAS VI.

Primus homo ex qua materia effectus, & qualis tum ſe-

cundum corpus, tum ſecundum animam?

Deus primum hominem ex limo terræ effinxit, ſecundum corpus quidem immortalem & impaſſibilem, non quidem ipſius naturæ vi, ſed diuino beneficio:

Secundum animam verò, cum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam formauit, liberumq́ue arbitrium ei tribuit: omnes præterea motus animi atque appetitiones ita in eo temperauit, vt rationis imperio nũquam non parerent: tum originalis iuſtitiæ admirabile donum addidit, ac deinde cæteris animantibus præeſſe voluit, vt cuilibet ex ſacra Geneſis hyſtoria cognoſcere licet.

Tractat hanc difficultatem D. Thom. p. 1. q. 90. & 96.

QVAESTIO XI.

An ſicut Deus res omnes ſuâ ſummâ poteſtate, ſapientiâ, & bonitate creauit, ita etiam eaſdem ſuâ prouidẽtiâ conſeruet & gubernet?

CONCLVSIO PRIMA.

Qvemadmodum omnia vt eſſent, Creatoris ſummâ poteſtate, ſapientiâ, & bonitate effectum eſt: Ita etiam niſi conditis rebus perpetua eius prouidentia adeſſet, atque eádem vi quâ initiò conſtitutæ ſunt illas confirmaret, ſtatim ad nihilum reciderent.

Eſt Catech. §. Nec verò ità Deum Creatorem, & D. Thom p. 1. q. 103. art. 1. 2. & 3.

Declarat eam Scriptura cùm inquit. Sàp. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?*

CON-

CONCLVSIO II.

Non ſolùm Deus vniuerſa quæ sũt prouidẽtiâ ſua tuetur atque adminiſtrat, verumetiam quæ mouentur & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem impellit.

Eſt Catech. §. Non ſolùm autem, &c. & D. Thom. ſup.

Teſtatur Sapiens 8. c. illis verbis: *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Et Apoſtolus Act. 17. cùm apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: *Non longe eſt*, inquit, *ab vnoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Euertitne ergo Deus virtutem & actionem cauſarum ſecundarum?

Dicendum quod nõ, ſed Deus ita omnia ſuâ intimâ virtute ad motum atque actionem impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam nõ impediat, præueniat tamẽ, cùm eius occultiſsima vis ad ſingula pertineat, vt ex ſcripturis ante allegatis facile cuilibet videre eſt.

QVAESTIO POSTREMA.

An opus creationis ſit proprium Deo Patri, an verò cõmune toti Trinitati?

CONCLVSIO VNICA.

Opus creationis omnibus Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis perſonis commune eſt.

Eſt Catech. §. Atque hæc de primi articuli, &c. Et D. Thom. p. 1. q. 45. art. 6.

Nam hoc loco ex Apoſtolorum doctrina Patrem Creatoré cæli & terræ confitemur. In ſcripturis ſacris legimus de Filio, Ioann. 1. c. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et de Spiritu ſancto. Geneſ. 1. c. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Et Pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Atque hæc pro primi articuli Elucidatione ſufficiunt.

CAPITIS SECVNDI ELVCIDATIO.

DE SECVNDO ARTICVLO.

Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum noſtrum.

Ante Elucidationem ſingularum partium huius articuli duo cum Catechiſmo prænotanda ſunt.

Primùm, mirificam & vberrimam eſſe vtilitatem, quæ ex huius articuli fide & confeſsione confluxit ad humanum genus. Hoc oſtendit illud S. Ioannis teſtimonium. 1. epiſtolæ 4. c. *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Declarat hoc quoque illud beatitudinis teſtimonium, quod à Chriſto Domino tributum eſt principi Apoſtolorum, Math. 16. c. *Beatus es Simō Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt;* Hoc enim eſt fundamētum firmiſſimum noſtræ ſalutis ac redemptionis.

Secundùm, vtilitatem hanc admirabilem intelligi ex tribus; Primò ex peccato primi hominis & eius ruina à feliciſsimo ſtatu, in quo Deus eum condiderat, vt priore articulo oſtendimus, ad infeliciſsimum & omnis generis miſeriarum pleniſsimum. Secundò ex remedio, quod neceſſarium fuit ad hominem in priſtinum fælicitatis gradum reſtituendum. Tertiò ex modo applicandi hominibus hoc remedium.

Quòd ad primum attinet, peccatum & ruinâ primi hominis ſic paucis verbis depingit Catechiſmus: *Cùm à Dei obedientia deſciuiſſet Adam, interdictumq́ illud violâſſet. Geneſ. 2. Ex omni ligno Paradyſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; in ſummam illam incidit calamitatem, vt ſanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amitteret, & reliqua ſubiret mala, quæ ſancta Tridentina Synodus vberiùs explicat ſeſſ. 5. c. 2. & 3. Quod peccatum & peccati pœna in vno Adam non conſtitit, ſed ex eo tamquam ex ſemine, & cauſa, ad omnem poſteritatem iure permanauit.*

Quòd ad ſecundum, de remedio neceſſario ad ſubleuandum humanum genus, & in priſtinum fælicitatis ſtatum reſtituendum, credendum eſt hominẽ nullo modo potuiſſe in illum ſtatum reſtitui, hominum aut Angelorum viribus. Quare reliquum fuit illud ruinæ & malorum ſubſidium, vt Dei Filij infinita virtus, aſſumpta carnis noſtræ imbecillitate, infinitam tolleret peccati vim, & nos recõciliaret Deo in ſanguine ſuo.

Quòd àd tertium & poſtremum attinet, de modo applicandi hominibus hoc remedium, hic primus & pręcipuus eſt, fides Redemptoris, hoc eſt, vt credamus quæ hoc articulo de Filio Dei credenda propo-

nuntur. Fides ſiquidem redemptionis, & confeſſio hominibus ad ſalutem cōſequendam, neceſſaria eſt, ſemperque fuit, quæ cauſa fuit vt redemptionis myſterium iam ab initio mundi ſtatim à peccato primi hominis præmonſtratum fuerit. Nam in illa damnatione humani generis, quæ ſtatim peccatum conſecuta eſt, oſtenſa etiam fuit ſpes redēptionis illis verbis, quibus proprium Diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, denunciauit. Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius: Ipſa cōteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius:* Et deinceps eandem promiſsionem ſæpè confirmauit, maioremque ſui conſilij ſignificationem ijs præſertim hominibus dedit, quibus voluit ſingularem beneuolentiam præſtare. Inter cęteros verò, cùm Patriarchæ Abrahæ ſæpenumerò hoc myſterium ſignificâſſet, tum eo tempore apertiùs declarauit, cùm ille Dei iuſsis obediens, filium ſuum vnicū Iſaac immolare voluit; Geneſ. 22. Inquit enim, *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poßidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Ex quibus verbis facilè colligi poterat, ex progenie Abrahæ futurum, qui omnibus ab immaniſsima Sathanæ tyrānide liberatis ſalutem afferret: Illum autem Dei Filium, natum ex ſemine Abrahæ ſecundum carnem, fore neceſſe erat. Non ita multò poſt Dominus, vt eiuſdem promiſsionis memoria cōſeruaretur, idem fœdus cū Iacob Abrahæ nepote ſanciuit. Geneſ. 28. Nam cùm ille in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos, Angelos

quoque

quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam,vt ſcriptura teſtatur Geneſ.28. Audiuit etiam Dominũ innixum ſcalæ dicentem ſibi: *Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac,terrã in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo; eritq́, ſemen tuum quaſi puluis terræ,Dilataberis ad orientem, & occidentem, & ſeptentrionem. & meridiem,& benedicentur in te,& in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Neque poſtea deſtitit Deus eadem ſui promiſsi memoria renouanda, & generi Abraham, & multis præterea hominibus Saluatoris expectationẽ commouere: ſiquidem Iudæorum republica & religione cõſtituta notior populo ſuo fieri cœpit. Nam & multæ res ſignificarunt, & homines prędixerunt, quæ & quãta nobis bona Saluator ille & Redẽptor noſter Chriſtus Ieſus allaturus eſſet. Ac Prophetæ quidem,quorum mens cęleſti lumine illuſtrata fuit, Filij Dei ortum,admirabilia opera,quę homo natus efficit,doctrinam,mores,conſuetudinem, mortem, reſurrectionem,cæteraq; eius myſteria, hæc omnia, quaſi tum adeſſent,palam docentes, populo pręnunciarũt: Ita vt ſi futuri,& præteriti temporis tollatur diuerſitas, nihil iam inter Prophetarum prædicta & Apoſtolorum prædicationem, nihil inter veterum Patriarcharum fidem & noſtrã intereſſe videamus.

Sed iam de ſingulis articuli partibus dicendum videtur.

QVAESTIO I.

Quid nomen Ieſus ſignificat: Cui proprium & à quo impoſitum?

CONCLVSIO I.

IESVS *Saluatorem ſignificat.*

Ieſus vnctus eſt ad dictorum trium numerũ functionem, non quidem alicuius mortalis opera, ſed cæleſtis Patris virtute; non terreno vnguento, ſed ſpirituali oleo. quippe cùm in ſanctiſsimam eius animam Spiritus ſancti plenitudo, gratiaque & omniũ donorũ vberior copia effuſa ſit, quàm vlla alia creatura capere potuerit: Quod præclarè Propheta oſtẽdit cum Redemptorem ipſum affatus diceret, Iſaiæ 44. *Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Idem etiam ac multò apertiùs Iſaias demonſtrauit c. 61. his verbis, *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me ad annunciandum manſuetis miſit me.*

DIFFICVLTAS II.

An Chriſtus fuerit Propheta?

Ieſus Chriſtus ſummus Propheta & magiſter fuit, vtpote qui nos Dei volũtatem docuit, & à cuius doctrinâ orbis terrarum Patris cæleſtis cognitionem accepit.

Imò nomen Prophetæ ei præclariùs ac præſtantiùs cõuenit quàm reliquis; quia omnes quicumque Prophetę nomine dignati ſunt, eius diſcipuli fuerũt, atque ob illam præcipuè cauſam miſsi, vt Prophetã hunc, qui ad ſaluandos omnes venturus erat, prænunciarent.

Plura de hac materia habes apud D. Tho. p. 3. q. 7. art. 8.

DIFFICVLTAS III.

An Ieſus Chriſtus etiam ſacerdos fuerit?

Chriſtus item ſacerdos fuit, non quidem ex ordine ex quo in veteri lege Leuiticæ tribus ſacerdotes exſtiterunt, verùm ex illo, de quo Dauid Propheta cecinit, Pſalm. 109. *Tu es ſacerdos in æternum, ſecũdum ordinem Melchiſedech.* Cuius rei argumentũ Apoſtolus

ad Hæ-

ad Hebræos ſcribens, accuratè perſecutus eſt.

Si vis plura cognoſcere de Chriſti Sacerdotio, vide D. Thom. p. 3. q. 22.

DIFFICVLTAS IIII.

An Chriſtus etiam Rex fuerit?

Chriſtus non ſolùm vt Deus, verùm vt homo, ac noſtræ naturæ particeps Rex agnoſcendus eſt: Sic enim Angelus teſtatur. Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Vt hoc Chriſti regnũ pleniùs intelligatur, aliquot cum Catechiſmo notanda ſunt;

Primùm, iſtud regnum eſſe ſpirituale & æternũm, in terris inchoari, & in cælo perfici, teſtantur officia regis, quæ admirabili ſuâ prouidentiâ præſtat Eccleſiæ dum ipſe eam regit, ipſe eam ab hoſtium impetu atque inſidijs tuetur, ipſe ei leges præſcribit, ipſe non ſolùm ſanctitatem & iuſtitiam largitur, verumetiam ad perſeuerandum facultatem & vires præbet.

Secundùm, quod quãquam huius regni finibus tam boni quàm mali contineantur, atque adeò omnes homines iure ad illud pertineant; ij tamen præ cæteris ſummam regis noſtri bonitatem & beneficẽtiam experiuntur, qui ex eius præceptis integram atque innocentem vitam degunt.

Poſtremùm, quod hoc regnũ nõ illi hęreditario, aut humano iure obtigit, tametſi genus à clariſsimis regibus duceret; ſed Rex fuit, propterea quod Deus in illũ hominem cõtulit, quicquid poteſtatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere poſſet: Illi ergo etiam regiam dignitatem tradidit, eiq; omnia, quod iam fieri cęptum eſt, plenè perfecteq; in die iudicij, ſubijcientur.

Conſule D. Thom. p. 3. q. 59. art. 1. & 2.

QVAESTIO III.

Quid ſignificatur per hoc quod Chriſtus dicitur Filius Dei vnicus?

CONCLVSIO I.

HIs verbis altiora myſteria de Ieſu credenda & contemplanda proponuntur, nimirum illum Filium Dei eſſe, & verum Deum, ſicuti Pater eſt, qui eum ab æterno genuit.

Eſt Catech. §. His verbis altiora. & D. Thom. p.1.q.31.art.2.

CONCLVSIO II.

PRaterea illum diuinæ Trinitatis ſecundam perſonam, alijs duabus omnino æqualem confitemur.

Eſt Catec. §. Prætérea illũ. Et D. Thom. p.1.q.42.

Et ratio eſt, Nihil enim impar & diſsimile in diuinis perſonis aut eſſe, aut fingi animo debet; cùm vnam omnium eſſentiam, voluntatem, poteſtatem agnoſcamus.

Vtraque Concluſio probatur plurimis diuinæ ſcripturæ oraculis: Et inter alia præclariſsimè illas oſtendit Sancti Ioannis teſtimonium. c. 1. *In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbũ.*

Deinde ſymboli Nyceni auctoritate, quod explicatiùs hunc articulum ſic effert: *Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumẽ de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quẽ omnia facta ſunt.*

DIFFICVLTAS I.

Poteſtne explicari modus, quo Filius Dei ab æterno generatur à Patre?

Ortus

Ortus ille, quo ab omni æternitate Pater Filium genuit, ratione percipi atque perfectè intelligi nullo modo poteſt: debet autem conſtanter credi & ſumma animi pietate coli. Sic Iſaias Propheta teſtatur, cùm myſterij huius admiratione obſtupefactus exclamat.c.53. *Generationem eius quis enarrabit?*

Ex omnibus autem, quæ ad indicandum modum rationemque æternæ generationis ſimilitudines afferuntur, illa propriùs ad rem videtur accedere, quæ ab animi noſtri cogitatione ſumitur, quamobrem Sanctus Ioannes filium eius verbũ appellat. Vt enim mens noſtra ſeipſam quodam modo intelligens, ſui effingit imaginem, quam verbum Theologi dixerunt: Ita Deus, quantum tamen diuinis humana cõferri poſſunt, ſeipſum intelligens, verbum æternum generat, etſi præſtat contemplari, quod fides proponit & ſincera mente Ieſum Chriſtum verum Deum, & verum hominem credere & confiteri, genitum quidem vt Deum, ante omnium ſæculorum ætates, ex Patre; vt hominem verò, natum in tempore ex matre Maria Virgine.

Vt pleniùs intelligas hanc materiam lege D. Thom.p.1.q.27.

DIFFICVLTAS II.

Cùm duplicem filij Dei natiuitatem credamus & agnoſcamus æternam & temporalem, quomodo dicimus illũ eſſe vnicum filium?

Dicendum quia vna eſt perſona, in quam diuina & humana natura conuenit.

Rationem fundamẽtalem habes apud D. Thom. p.1.q.35.art.5.

DIFFICVLTAS III.

Filius Dei dicitur in ſcripturis habere fratres & cohæredes

des, quomodo ergo confitemur hîc vnicum eſſe filium?

Dicendum, quòd ad diuinam generationem attinet, nullos aut fratres, aut cohæredes habet, cùm ipſe Patris vnicus ſit Filius; nos verò homines, figmentũ, & opus manuum eius ſimus. At ſi humanum ortum conſideremus, multos ille non ſolùm fratrum nomine appellat, ſed fratrum etiam loco habet, vt vnà cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiſcantur: ij ſunt, qui fide Chriſtum Dominum receperunt, & fidem quam nomine profitentur, re ipſa charitatis officijs præſtant: quare *primogenitus in multis fratribus* ab Apoſtolo vocatur, ad Rom. 8.

QVAESTIO IIII.

An Chriſtus rectè appelletur Dominus noſter, & ſecundum quam naturam, vtramque vel alteram?

VT melius intelligatur quæſtio, & plures aliæ, quæ de Chriſto moueri ſolent, prænotãdũ eſt multa nomina de Saluatore noſtro in ſacris litteris dici, quorũ alia vt Deus eſt, alia vt homo, alia vt Deus & homo illi cõuenire perſpicuũ eſt, quoniam à diuerſis naturis diuerſas earũ proprietates accepit. Sic dicimus vere Chriſtum eſſe omnipotentẽ, æternũ, immenſum, quod à diuina natura habet: Rurſus de illo dicimus, paſſum, mortuũ eſſe, reſurrexiſſe, quæ naturæ hominum conuenire nemo dubitat. Prȩterea verè dicimus Dominũ, quod vtrique naturæ congruit.

Hoc prænotato ſit iſta concluſio.

CON-

CONCLVSIO VNICA.

SEcundum vtramque naturam Chriſtus meritò Dominus prædicandus eſt.

Eſt Catech. §. Igitur ſi ad vtramque naturam. & D.Thom.p.7.q.16.& alijs pleriſque.

Nam quemadmodùm ipſe æternus Deus eſt, vt Pater, ita etiam omnium rerum æquè Dominus eſt ac Pater: & quemadmodùm ipſe & Pater nō eſt alius atque alius Deus, ſed idem planè Deus: etiam ipſe & Pater non eſt alius atque alius Dominus.

Rectè etiam multis rationibus, vt homo eſt, Dominus noſter appellatur: Primùm quidem, quoniá ipſe redemptor noſter fuit, atque à peccatis nos liberauit, iure hanc poteſtatem accepit, vt verè Dñs noſter eſſet, ac diceretur: Ita enim Apoſtolus docet, ad Philipp.2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediēs vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomē, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriū, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Atq; ipſe de ſe poſt reſurrectionem, Math.28. *Data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.*

Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quòd in vna perſona duæ naturæ, diuina & humana cōiunctę ſint: hac enim admirabili coniunctione meruit, vt quamuis pro nobis mortuus non eſſet, tamē Dominus conſtitueretur, cōmuniter quidem omnium rerum, quæ conditæ ſunt, præcipuè autem fidelium, qui illi parent, atque ſummo animi ſtudio inſeruiūt.

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſub finem

articuli infert tria documenta ſpiritualia, quæ imprimis memoriâ repetere, ac ſępius cum animis noſtris cogitare debemus, vt ſalutaris fructus ad nos redundare poſsit.

Primum, æquiſsimum eſſe nos, qui à Chriſto nomen inuenimus, chriſtianiq́; vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non poſsumus, ob id maximè, quod eius munere hæc omnia fide intelligimus, æquum eſſe inquã, nos ipſos non ſecus ac mãcipia Redẽptori noſtro, & Dño in perpetuũ addicere, & conſecrare: quapropter nos meritò id profeſſos eſſe antè Eccleſiæ fores cum baptizaremur: Declaramus enim nos Sathanæ & mundo renunciare & Ieſu Chriſto totos nos tradere.

Secundum, grauiſsimo dignos eſſe ſupplicio illos, qui poſtquam ſolenni profeſsione ſeipſos Chriſto Domino deuouerũt, & Eccleſiam ingreſsi ſunt, Deiq́ue voluntatem & leges cognouerunt, ex mundi & Diaboli præceptis ac legibus viuunt, perinde ac ſi cũ baptiſmo abluti ſunt, mundo & diabolo, nõ Chriſto Domino ac Redemptori nomen dediſſent.

Poſtremùm, Dominatum Chriſti in Redemptos non eſſe formidandum, ſed amandum. Cuius enim animum amoris facibus non incendat tanti Domini tam benigna, & propenſa in nos volũtas, qui tametſi nos in poteſtate ſua, & dominatu veluti ſeruos, ſanguine ſuo redemptos habeat, ea tamen charitate cõplectitur, vt non ſeruos vocet, ſed amicos, ſed fratres? Hęc profectò iuſtiſsima cauſa eſt, atque haud ſcio an omninò ſit maxima, cur eum perpetuò debeamus Dominum noſtrum agnoſcere, venerari, & colere.

CAPITIS TERTII ELVCIDATIO.

DE TERTIO ARTICVLO.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria virgine.

ANte verborũ huius articuli explicationẽ, duo cum Catechiſmo obſeruanda ſunt.

Primùm, hunc Articulum bono ordine proximè ſequi ſecũdũ: Nam ex hoc maximo quidem & ſingulari beneficio humanum genus à Deo affectũ eſſe, vtpote qui nos è duriſsimi tyranni ſeruitute in libertatem vindicarit, docti ſumus: Iſto autem conſilium & rationem, quâ potiſsimum id efficere voluit, diſcimus.

Alterùm, in conſilio hoc illuſtre & magnificum cõtineri myſterium diuinæ beneficentiæ & bonitatis erga genus humanùm, quod nobis tanquam ſalutis noſtræ præcipuum caput ſacræ litteræ conſiderandum ſæpiſsimè proponunt, quod nunc diligẽter explicandum eſt.

QVAESTIO I.

Quis eſt ſenſus prioris partis articuli: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?

CONCLVSIO VNICA.

H*Vius articuli hæc eſt ſententia; Credo & confiteor eum ipſum Ieſum Chriſtum, vnicum Dominum no-*

ſtrum, Dei Filium, cùm pro nobis humanam carnem ſuſcepit in vtero Virginis, non ex virili ſemine vt alij homines, ſed ſupra omnem naturæ ordinem, Spiritus Sancti virtute, conceptum eſſe, ita vt eadē perſona Deus permanēs, quod ex æternitate erat, homo fieret, quod ante non erat.

Eſt Catech. §. Cuius hanc eſſe ſententiam.

Hunc eſſe prioris partis huius articuli ſenſum, ex ſacri Concilij Conſtantinopolitani cōfeſsione planè perſpicitur: Inquit enim: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.*

Atque id etiam Sanctus Ioannes Euangeliſta explicauit, vt qui ex ipſius Domini Saluatoris pectore, altiſsimi huius myſterij cognitionem hauſiſſet. Nam cùm diuini verbi naturam declaràſſet illis verbis, c. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:* ad extremum concluſit: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Verbum, quod diuinæ naturæ hypoſtaſis eſt, ita humanam naturam aſſumpſit, vt vna & eadem eſſet diuinæ & humanæ naturæ hypoſtaſis ac perſona: quò factum eſt, vt tam admirabilis coniunctio vtriuſque naturæ actiones & proprietates conſeruaret, atque, vt eſt apud S. Leonē magnum illum Pōtificē, Serm. 1. de Natiuitate Domini: nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.

Nunc ad ſingulorum verborum huius articuli explicationem veniendum eſt.

QVAESTIO II.

[illegible] ſolus Spiritus ſanctus myſterium Incarnationis perfecerit?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

CVm confitemur Dei filium Spiritus ſancti virtute conceptum eſſe, non dicimus vnam hanc diuinæ Trinitatis perſonam incarnationis myſterium cõfeciſſe: quamuis enim vnus filius humanam naturam aſſumpſerit, tamen omnes diuinæ Trinitatis perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus huius myſterij auctores fuerunt.

Eſt Catech. §. Doceat Parochus, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 32. art. 1.

Si quidem illa chriſtianæ fidei regula tenẽda eſt: Omnia quę Deus extra ſe in rebus creatis agit, tribus perſonis communia eſſe, neque vnam magis quàm aliam, aut vnam ſine alia agere. Quòd autem vna perſona ab alia procedat, hoc vnum omnibus commune eſſe non poteſt: Nam Filius à Patre tantùm generatur, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit: quicquid verò extra illas ab ipſis proficiſcitur, tres perſonæ ſine vllo diſcrimine agunt, atque ex hoc genere Filij Dei incarnatio cenſenda eſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si conceptio & incarnatio Filij Dei ſit opus totius Trinitatis, qua ratione ergo Spiritui sãcto ſingulariter tribuitur?

Solent ſacræ litteræ earum rerum quæ omnibus perſonis communes ſunt, aliam alijs tribuere: quemadmodùm ſummam omnium rerum poteſtatem Patri, ſapientiam Filio, Spiritui ſancto amorem adſcribunt. Et quoniam diuinę Incarnationis myſteriũ ſingularem atque immenſam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadã ratione hoc opus Spiritui ſancto tribuitur.

De hac attributione docet D. Thom. p. 1. q. 39. art. 7. & 8.

nuntur. Fides ſiquidem redemptionis, & confeſſio hominibus ad ſalutem cōſequendam, neceſſaria eſt, ſemperque fuit, quæ cauſa fuit vt redemptionis myſterium iam ab initio mundi ſtatim à peccato primi hominis præmonſtratum fuerit. Nam in illa damnatione humani generis, quæ ſtatim peccatum conſecuta eſt, oſtenſa etiam fuit ſpes redēptionis illis verbis, quibus proprium Diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, denunciauit. Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius: Ipſa cōteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius:* Et deinceps eandem promiſsionem ſæpè confirmauit, maioremque ſui conſilij ſignificationem ijs præſertim hominibus dedit, quibus voluit ſingularem beneuolentiam præſtare. Inter cęteros verò, cùm Patriarchæ Abrahæ ſæpenumerò hoc myſterium ſignificâſſet, tum eo tempore apertiùs declarauit, cùm ille Dei iuſsis obediens, filium ſuum vnicū Iſaac immolare voluit; Geneſ. 22. Inquit enim, *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Ex quibus verbis facilè colligi poterat, ex progenie Abrahæ futurum, qui omnibus ab immaniſsima Sathanæ tyrānide liberatis ſalutem afferret: Illum autem Dei Filium, natum ex ſemine Abrahæ ſecundum carnem, fore neceſſe erat. Non ita multò poſt Dominus, vt eiuſdem promiſsionis memoria cōſeruaretur, idem fœdus cū Iacob Abrahæ nepote ſanciuit. Geneſ. 28. Nam cùm ille in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos, Angelos quoque

quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, vt ſcriptura teſtatur Geneſ.28. Audiuit etiam Dominũ innixum ſcalæ dicentem ſibi: *Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac, terrã in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo; eritq́ʒ ſemen tuum quaſi puluis terræ, Dilataberis ad orientem, & occidentem, & ſeptentrionem, & meridiem, & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Neque poſtea deſtitit Deus eadem ſui promiſsi memoria renouanda, & generi Abraham, & multis præterea hominibus Saluatoris expectationẽ commouere: ſiquidem Iudæorum republica & religione cõſtituta notior populo ſuo fieri cœpit. Nam & multæ res ſignificarunt, & homines prędixerunt, quæ & quãnta nobis bona Saluator ille & Redẽptor noſter Chriſtus Ieſus allaturus eſſet. Ac Prophetæ quidem, quorum mens cęleſti lumine illuſtrata fuit, Filij Dei ortum, admirabilia opera, quę homo natus efficit, doctrinam, mores, conſuetudinem, mortem, reſurrectionem, cæteraq́; eius myſteria, hæc omnia, quaſi tum adeſſent, palam docentes, populo pręnunciarũt: Ita vt ſi futuri, & præteriti temporis tollatur diuerſitas, nihil iam inter Prophetarum prædicta & Apoſtolorum prædicationem, nihil inter veterum Patriarcharum fidem & noſtrã intereſſe videamus.

Sed iam de ſingulis articuli partibus dicendum videtur.

QVAESTIO I.

Quid nomen Ieſus ſignificat: Cui proprium & à quo impoſitum?

CONCLVSIO I.

IESVS *Saluatorem ſignificat.*

Eſt Catech. §. IESVS proprium eſt, &c. Et D. Thom. p.3. q.37.art.2. ad 2.

CONCLVSIO II.

IESVS *proprium eſt nomen eius qui Deus & homo eſt.* Eſt Catech. §. eodem. Et D. Thom. p.3. q. 16. 5.

Non obſtat concluſioni, multos eſſe in diuinis litteris, qui eodem appellantur nomine: Nam idem nomen Naue filio fuit, qui Moyſi ſucceßit, & populum à Moyſe ex AEgypto liberatum, in terram promiſſionis, quòd illi negatum fuerat, deduxit: Eodem etiã nomine Ioſedech ſacerdotis filius appellatus eſt; Quia reſponderi poteſt, quòd non eâdem ratione hoc nomine vocati ſunt, quâ Chriſtus, qui non vni populo, ſicut illi, ſed vniuerſis omnium ætatum hominibus, non quidem fame, aut AEgyptiaco vel Babylonico dominatu oppreßis, ſed in vmbra mortis ſedentibus, & durißimis peccati & Diaboli vinculis obſtrictis, lucem, libertatem, & ſalutem dederit, qui eis cæleſtis regni ius & hæreditatem acquiſierit, qui eos Deo Patri reconciliauerit.

Conſule D. Thom. locis ſtatim allegatis & præſertim, q.37. art.2.

CONCLVSIO III.

N*omen Ieſus fuit impoſitum non fortuitò, aut hominũ iudicio & voluntate, ſed Dei conſilio & præcepto.* Eſt Catech. §. eodem.

Ita enim Angelus Mariæ matri annunciauit. Luc. 1. c. *Ecce concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum.*

Deinde Angelus non ſolùm Ioſeph virginis ſpõſo vt eo nomine puerum appellaret præcepit, ſed etiam

tur ita nominādus eſſet declarauit. Math.1.c. Inquit enim: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt; Pariet autem Filium. & vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum.*

Non obſtat quod Prophetæ prædixerunt Dei filium multis alijs nominibus vocandum; quia reliqua omnia nomina quę prædicta ſunt Dei filio diuinitus imponenda ad vnum hoc Ieſu nomen referuntur; Cùm enim cætera ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipſum vniuerſę ſalutis humanæ vim rationemque complexum eſt.

Vide ſi vis D. Thom. p.3.q.77.art.2.ad 1.

QVAESTIO II.

Chriſtus quale nomen eſt, & quot rationibus Chriſtus appellatur?

CONCLVSIO I.

Chriſtus vnctum ſignificat, & eſt nomen honoris & officij, nec vnius rei proprium, ſed cōmune multorum.

Eſt Catech. §. Ieſu nomini Chriſti etiā nomē, &c. Veteres enim illi patres noſtri Chriſtos appellabāt Sacerdotes, Reges, Prophetas, quos Deus propter muneris dignitatem vngi præceperat.

CONCLVSIO II.

Ieſus ob eas cauſas Chriſtus dictus eſt, quia cùm in mundū venit, trium perſonarum partes & officia ſuſcepit, Prophetæ, Sacerdotis, ac Regis.

Eſt Catech. §. At verò cùm Ieſus Chriſtus.

DIFFICVLTAS I.

An Ieſus fuerit vnctus, & quo oleo?

Ieſus

Ieſus vnctus eſt ad dictorum trium numerũ functionem, non quidem alicuius mortalis opera, ſed cæleſtis Patris virtute; non terreno vnguento, ſed ſpirituali oleo. quippe cùm in ſanctiſsimam eius animam Spiritus ſancti plenitudo, gratiaque & omniũ donorũ vberior copia effuſa ſit, quàm vlla alia creatura capere potuerit: Quod præclarè Propheta oſtẽdit cum Redemptorem ipſum affatus diceret, Iſaiæ 44. *Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Idem etiam ac multò apertiùs Iſaias demonſtrauit c. 61. his verbis, *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me ad annunciandum manſuetis miſit me.*

DIFFICVLTAS II.

An Chriſtus fuerit Propheta?

Ieſus Chriſtus ſummus Propheta & magiſter fuit, vtpote qui nos Dei volũtatem docuit, & à cuius doctrinâ orbis terrarum Patris cæleſtis cognitionem accepit.

Imò nomen Prophetæ ei præclariùs ac præſtantiùs cõuenit quàm reliquis; quia omnes quicumque Prophetę nomine dignati ſunt, eius diſcipuli fuerũt, atque ob illam præcipuè cauſam miſsi, vt Prophetã hunc, qui ad ſaluandos omnes venturus erat, prænunciarent.

Plura de hac materia habes apud D. Tho. p. 3. q. 7. art. 8.

DIFFICVLTAS III.

An Ieſus Chriſtus etiam ſacerdos fuerit?

Chriſtus item ſacerdos fuit, non quidem ex ordine ex quo in veteri lege Leuiticæ tribus ſacerdotes exſtiterunt, verùm ex illo, de quo Dauid Propheta cecinit, Pſalm. 109. *Tu es ſacerdos in æternum, ſecũdum ordinem Melchiſedech.* Cuius rei argumentũ Apoſtolus

ad He-

ad Hebræos ſcribens, accuratè perſecutus eſt.

Si vis plura cognoſcere de Chriſti Sacerdotio, vide D. Thom. p. 3. q. 22.

DIFFICVLTAS IIII.

An Chriſtus etiam Rex fuerit?

Chriſtus non ſolùm vt Deus, verùm vt homo, ac noſtræ naturæ particeps Rex agnoſcendus eſt: Sic enim Angelus teſtatur. Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Vt hoc Chriſti regnũ pleniùs intelligatur, aliquot cum Catechiſmo notanda ſunt;

Primùm, iſtud regnum eſſe ſpirituale & æternũm, in terris inchoari, & in cælo perfici, teſtantur officia regis, quæ admirabili ſuâ prouidentiâ præſtat Eccleſiæ dum ipſe eam regit, ipſe eam ab hoſtium impetu atque inſidijs tuetur, ipſe ei leges præſcribit, ipſe non ſolùm ſanctitatem & iuſtitiam largitur, verumetiam ad perſeuerandum facultatem & vires præbet.

Secundùm, quod quãquam huius regni finibus tam boni quàm mali contineantur, atque adeò omnes homines iure ad illud pertineant; ij tamen præ cæteris ſummam regis noſtri bonitatem & beneficẽtiam experiuntur, qui ex eius præceptis integram atque innocentem vitam degunt.

Poſtremùm, quod hoc regnũ nõ illi hęreditario, aut humano iure obtigit, tametſi genus à clariſsimis regibus duceret; ſed Rex fuit, propterea quod Deus in illũ hominem cõtulit, quicquid poteſtatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere poſſet: Illi ergo etiam regiam dignitatem tradidit, eiq; omnia, quod iam fieri cęptum eſt, plenè perfecteq; in die iudicij, ſubijcientur.

Conſule D. Thom. p. 3. q. 59. art. 1. & 2.

QVAESTIO III.

Quid ſignificatur per hoc quod Chriſtus dicitur Filius Dei vnicus?

CONCLVSIO I.

His verbis altiora myſteria de Ieſu credenda & contemplanda proponuntur, nimirum illum Filium Dei eſſe, & verum Deum, ſicuti Pater eſt, qui eum ab æterno genuit.

Eſt Catech. §. His verbis altiora. & D. Thom. p.1.q.31.art.2.

CONCLVSIO II.

Præterea illum diuinæ Trinitatis ſecundam perſonam, alijs duabus omnino æqualem confitemur.

Eſt Catec. §. Præterea illũ. Et D. Thom. p.1.q.42.

Et ratio eſt, Nihil enim impar & diſsimile in diuinis perſonis aut eſſe, aut fingi animo debet; cùm vnam omnium eſſentiam, voluntatem, poteſtatem agnoſcamus.

Vtraque Concluſio probatur plurimis diuinæ ſcripturæ oraculis: Et inter alia præclariſsimè illas oſtendit Sancti Ioannis teſtimonium. c. 1. *In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbũ.*

Deinde ſymboli Nyceni auctoritate, quod expliciatiùs hunc articulum ſic effert: *Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumẽ de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quẽ omnia facta ſunt.*

DIFFICVLTAS I.

Poteſtne explicari modus, quo Filius Dei ab æterno generatur à Patre?

Ortus

Ortus ille, quo ab omni æternitate Pater Filium genuit, ratione percipi atque perfectè intelligi nullo modo poteſt: debet autem conſtanter credi & ſũma animi pietate coli. Sic Iſaias Propheta teſtatur, cùm myſterij huius admiratione obſtupefactus exclamat.c.53. *Generationem eius quis enarrabit?*

Ex omnibus autem, quæ ad indicandum modum rationemq́ue æternæ generationis ſimilitudines afferuntur, illa propriùs ad rem videtur accedere, quæ ab animi noſtri cogitatione ſumitur, quamobrem Sanctus Ioannes filium eius verbũ appellat. Vt enim mens noſtra ſeipſam quodam modo intelligens, ſui effingit imaginem, quam verbum Theologi dixerunt: Ita Deus, quantum tamen diuinis humana cõferri poſſunt, ſeipſum intelligens, verbum æternum generat, etſi præſtat contemplari, quod fides proponit & ſincera mente Ieſum Chriſtum verum Deum, & verum hominem credere & confiteri, genitum quidem vt Deum, ante omnium ſæculorum ætates, ex Patre; vt hominem verò, natum in tempore ex matre Maria Virgine.

Vt pleniùs intelligas hanc materiam lege D. Thom.p.1.q.27.

DIFFICVLTAS II.

Cùm duplicem filij Dei natiuitatem credamus & agnoſcamus æternam & temporalem, quomodo dicimus illũ eſſe vnicum filium?

Dicendum quia vna eſt perſona, in quam diuina & humana nãtura conuenit.

Rationem fundamẽtalem habes apud D. Thom. p.1.q.35.art.5.

DIFFICVLTAS III.

Filius Dei dicitur in ſcripturis habere fratres & cohæredes

des, quomodo ergo confitemur hîc vnicum eſſe filium?

Dicendum, quòd ad diuinam generationem attinet, nullos aut fratres, aut cohæredes habet, cùm ipſe Patris vnicus ſit Filius; nos verò homines, figmentũ, & opus manuum eius ſimus. At ſi humanum ortum conſideremus, multos ille non ſolùm fratrum nomine appellat, ſed fratrum etiam loco habet, vt vnà cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiſcantur: ij ſunt, qui fide Chriſtum Dominum receperunt, & fidem quam nomine profitentur, re ipſa charitatis officijs præſtant: quare *primogenitus in multis fratribus* ab Apoſtolo vocatur, ad Rom. 8.

QVAESTIO IIII.

An Chriſtus rectè appelletur Dominus noſter, & ſecundum quam naturam, vtramque vel alteram?

VT melius intelligatur quæſtio, & plures aliæ, quæ de Chriſto moueri ſolent, prænotãdũ eſt multa nomina de Saluatore noſtro in ſacris litteris dici, quorũ alia vt Deus eſt, alia vt homo, alia vt Deus & homo illi cõuenire perſpicuũ eſt, quoniam à diuerſis naturis diuerſas earũ proprietates accepit. Sic dicimus vere Chriſtum eſſe omnipotentẽ, æternũ, immenſum, quod à diuina natura habet: Rurſus de illo dicimus, paſſum, mortuũ eſſe, reſurrexiſſe, quæ naturæ hominum conuenire nemo dubitat. Pręterea verè dicimus Dominũ, quod vtrique naturæ congruit.

Hoc prænotato ſit iſta concluſio.

CON-

CONCLVSIO VNICA.

Secundum vtramque naturam Chriſtus meritò Dominus prædicandus eſt.

Eſt Catech. §. Igitur ſi ad vtramque naturam. & D. Thom. p. 3. q. 16. & aliijs pleriſque.

Nam quemadmodùm ipſe æternus Deus eſt, vt Pater, ita etiam omnium rerum æquè Dominus eſt ac Pater: & quemadmodùm ipſe & Pater nō eſt alius atque alius Deus, ſed idem planè Deus: etiam ipſe & Pater non eſt alius atque alius Dominus.

Rectè etiam multis rationibus, vt homo eſt, Dominus noſter appellatur: Primùm quidem, quoniā ipſe redemptor noſter fuit, atque à peccatis nos liberauit, iure hanc poteſtatem accepit, vt verè Dñs noſter eſſet, ac diceretur: Ita enim Apoſtolus docet, ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediēs vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomē, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriū, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Atq; ipſe de ſe poſt reſurrectionem, Math. 28. *Data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.*

Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quòd in vna perſona duæ naturæ, diuina & humana cōiunctę ſint: hac enim admirabili coniunctione meruit, vt quamuis pro nobis mortuus non eſſet, tamē Dominus conſtitueretur, cōmuniter quidem omnium rerum, quæ conditæ ſunt, præcipuè autem fidelium, qui illi parent, atque ſummo animi ſtudio inſeruiūt.

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſub finem

D articuli

articuli infert tria documenta ſpiritualia, quæ imprimis memoriâ repetere, ac ſæpius cum animis noſtris cogitare debemus, vt ſalutaris fructus ad nos redundare poſsit.

Primum, æquiſsimum eſſe nos, qui à Chriſto nomen inuenimus, chriſtianiq́; vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non poſsumus, ob id maximè, quod eius munere hæc omnia fide intelligimus, æquum eſſe inquã, nos ipſos non ſecus ac mãcipia Redẽptori noſtro, & Dño in perpetuũ addicere, & conſecrare: quapropter nos meritò id profeſſos eſſe antè Eccleſiæ fores cum baptizaremur: Declaramus enim nos Sathanæ & mundo renunciare & Ieſu Chriſto totos nos tradere.

Secundum, grauiſsimo dignos eſſe ſupplicio illos, qui poſtquam ſolenni profeſsione ſeipſos Chriſto Domino deuouerũt, & Eccleſiam ingreſsi ſunt, Deique voluntatem & leges cognouerunt, ex mundi & Diaboli præceptis ac legibus viuunt, perinde ac ſi cũ baptiſmo abluti ſunt, mundo & diabolo, nõ Chriſto Domino ac Redemptori nomen dediſſent.

Poſtremùm, Dominatum Chriſti in Redemptos non eſſe formidandum, ſed amandum. Cuius enim animum amoris facibus non incendat tanti Domini tam benigna, & propenſa in nos volũtas, qui tametſi nos in poteſtate ſua, & dominatu veluti ſeruos, ſanguine ſuo redemptos habeat, ea tamen charitate cõplectitur, vt non ſeruos vocet, ſed amicos, ſed fratres? Hęc profectò iuſtiſsima cauſa eſt, atque haud ſcio an omninò ſit maxima, cur eum perpetuò debeamus Dominum noſtrum agnoſcere, venerari, & colere.

CAPITIS TERTII ELVCIDATIO.

DE TERTIO ARTICVLO.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria virgine.

ANte verborũ huius articuli explicationẽ, duo cum Catechiſmo obſeruanda ſunt.

Primùm, hunc Articulum bono ordine proximè ſequi ſecũdũ: Nam ex hoc maximo quidem & ſingulari beneficio humanum genus à Deo affectũ eſſe, vtpote qui nos è duriſsimi tyranni ſeruitute in libertatem vindicarit, docti ſumus: Iſto autem conſilium & rationem, quâ potiſsimum id efficere voluit, diſcimus.

Alterùm, in conſilio hoc illuſtre & magnificum cõtineri myſterium diuinæ beneficentiæ & bonitatis erga genus humanùm, quod nobis tanquam ſalutis noſtræ præcipuum caput ſacræ litteræ conſiderandum ſæpiſsimè proponunt, quod nunc diligẽter explicandum eſt.

QVAESTIO I.

Quis eſt ſenſus prioris partis articuli: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?

CONCLVSIO VNICA.

H*Vius articuli hæc eſt ſententia; Credo & confiteor eum ipſum Ieſum Chriſtum, vnicum Dominum noſtrum,*

ſtrum, Dei Filium, cùm pro nobis humanam carnem ſuſcepit in vtero Virginis, non ex virili ſemine vt alij homines, ſed ſupra omnem naturæ ordinem, Spiritus Sancti virtute, conceptum eſſe, ita vt eadē perſona Deus permanēs, quod ex æternitate erat, homo fieret, quod ante non erat.

Eſt Catech. §. Cuius hanc eſſe ſententiam.

Hunc eſſe prioris partis huius articuli ſenſum, ex ſacrì Concilij Conſtantinopolitani cōfeſsione planè perſpicitur: Inquit enim: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.*

Atque id etiam Sanctus Ioannes Euangeliſta explicauit, vt qui ex ipſius Domini Saluatoris pectore, altiſsimi huius myſterij cognitionem hauſiſſet. Nam cùm diuini verbi naturam declarâſſet illis verbis, c. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:* ad extremum concluſit: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Verbum, quod diuinæ naturæ hypoſtaſis eſt, ita humanam naturam aſſumpſit, vt vna & eadem eſſet diuinæ & humanæ naturæ hypoſtaſis ac perſona: quò factum eſt, vt tam admirabilis coniunctio vtriuſque naturæ actiones & proprietates conſeruaret, atque, vt eſt apud S. Leonē magnum illum Pōtificē, Serm. 1. de Natiuitate Domini: nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.

Nunc ad ſingulorum verborum huius articuli explicationem veniendum eſt.

QVAESTIO II.

An ſolus Spiritus ſanctus myſterium Incarnationis perfecerit?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

CVm confitemur Dei filium Spiritus ſancti virtute conceptum eſſe, non dicimus vnam hanc diuinæ Trinitatis perſonam incarnationis myſterium cõfeciſſe: quamuis enim vnus filius humanam naturam aſſumpſerit, tamen omnes diuinæ Trinitatis perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus huius myſterij auctores fuerunt.

Eſt Catech. §. Doceat Parochus, &c. Et D. Thom. p.3. q.32. art.1.

Si quidem, illa chriſtianæ fidei regula tenẽda eſt: Omnia quę Deus extra ſe in rebus creatis agit, tribus perſonis communia eſſe, neque vnam magis quàm aliam, aut vnam ſine alia agere. Quòd autem vna perſona ab alia procedat, hoc vnum omnibus commune eſſe non poteſt: Nam Filius à Patre tantùm generatur, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit: quicquid verò extra illas ab ipſis proficiſcitur, tres perſonæ ſine vllo diſcrimine agunt, atque ex hoc genere Filij Dei incarnatio cenſenda eſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si conceptio & incarnatio Filij Dei ſit opus totius Trinitatis, qua ratione ergo Spiritui ſãcto ſingulariter tribuitur?

Solent ſacræ litteræ earum rerum quæ omnibus perſonis communes ſunt, aliam alijs tribuere: quemadmodùm ſummam omnium rerum poteſtatem Patri, ſapientiam Filio, Spiritui ſancto amorem adſcribunt. Et quoniam diuinę Incarnationis myſteriũ ſingularem atque immenſam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadã ratione hoc opus Spiritui ſancto tribuitur.

De hac attributione docet D. Thom. p. 1. q. 39. art. 7. & 8.

QVAESTIO III.

An opus Incarnationis ſit ſecundum naturam factum, vel ſupra naturam?

CONCLVSIO VNICA.

IN myſterio Incarnationis, quædam ſuprà naturæ ordinē, quædam naturæ vi effecta animaduertimus.

Eſt Catech.§. In hoc myſterio quædam,&c. & D. Thom. p.3.q.33.art. 4.

Nam quòd ex puriſsimo Virginis Matris ſanguine Chriſti corpus formatum credimus, in eo humanam naturam agnoſcimus.

Quòd verò naturæ ordinem & humanam intelligentiam ſuperat, illud eſt: Simulatque Beata virgo Angeli verbis aſſentiens dixit, Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſtatim ſanctiſsimũ Chriſti corpus formatum, eiq; anima rationis cōpos coniuncta fuit.

Deinde & illud, quod vt primum cum corpore anima coniuncta fuit, ipſa etiam diuinitas cum corpore & anima copulata eſt: Quare ſimul corpus formatum atque animatum eſt, corpori & animæ diuinitas coniuncta: Ex quo fit, vt eodem tēporis puncto perfectus Deus & perfectus homo eſſet.

Poſtremò, & illud eſt ſupra naturã, quòd vt primum Filius Dei cōceptus eſt, illius anima vberrimã Spritus ſancti copiam, atque omnem charifmatum abundantiam accepit.

DIFFICVLTAS I.

An ſit ſecundum naturam, corpus Chriſti formatum eſſe ex ſanguine Virginis?

Dicendum, eſſe. Nam illud commune omnium homi-

hominum corporibus eſt, vt ex, Matris ſanguine formentur.

DIFFICVLTAS II.

An ſit ſupra naturam, quod ſtatim aliquot vocibus à Virgine prolatis corpus in vtero eius perfectè formatum, atque anima rationali animatum fuerit?

Hoc nouum eſſe atque admirabile Spiritus ſancti opus, nemo dubitare poteſt, cùm ſeruato naturæ ordine, nullum corpus, niſi intra præſcriptum tẽporis ſpatium hominis anima informari queat.

DIFFICVLTAS III.

An ſit ſupra naturam, animam Chriſti in primo creationis inſtanti omnem chariſmatum abundantiam accepiſſe?

Dicendum, eſſe. Nam alijs hominibus, qui ſanctitate & gratiâ ornantur, Deus dat ſpiritum ad menſuram, vt teſtatur S. Ioannes, c. 3. In Chriſti autem animam tam affluenter omnem gratiam infudit, vt de plenitudine eius nos omnes accepérimus.

DIFFICVLTAS IIII.

An ergo liceat Chriſtum appellare Filium Dei adoptiuũ?

Ratio difficultatis eſt: Diximus enim ſtatim animam Chriſti Spiritus ſancti gratiam accepiſſe, quâ homines filiorum Dei adoptionem conſequuntur.

Dicendum, quamuis Chriſtus ſpiritum illum habuerit, quo ſancti homines filiorum Dei adoptionẽ conſequuntur, non debet tamẽ appellari Filius Dei adoptiuus. Nã cùm naturâ Filius Dei ſit, adoptionis gratiam aut nomen in eum conuenire nullo modo exiſtimandum eſt.

Eſt doctrina D. Thom, p. 3. q. 23. art. 4.

DIFFICVLTAS POSTREMA.

An ex dictis rectè conſequatur B. Mariam Virginem verè & propriè Matrem Dei & hominis appellari?

Dicendum rectè ſequi. Nam cùm Chriſtus in vtero Virginis eodem temporis momento Spiritus ſancti virtute, & perfectus Deus, & perfectus homo cōceptus fuerit, ſequitur illam eodem modo Deum & hominem concepiſſe, quod eſt Dei & hominis eſſe matrem.

Sic D. Thom. p. 3. q. 35. art. 4.

Documenta Spiritualia.

In fine explicationis prioris partis articuli, quæ eſt de myſterio Incarnationis Chriſti, Catechiſmus ex omnibus antedictis infert quatuor documēta ſpiritualia, quæ imprimis fideles memoriâ repetere, ac ſæpius cum animis ſuis cogitare debent, vt ſalutaris fructus ad eos redundare poſsit.

Primum, vt ſæpè cogitent Deum eſſe qui humanā carnem aſſumpſit.

Secundum, ea ratione hominem factum, quā mēte nobis aſſequi non licet, nedum verbis explicare.

Tertium, ob eum finem hominem fieri voluiſſe, vt nos homines filij Dei renaſceremur.

Poſtremum, vt cùm hæc attentè conſiderauerint, tum verò omnia myſteria, quæ hoc articulo continentur, humili ac fideli animo credant, & adorent, nec curioſè, & quòd ſine periculo vix vnquam fieri poteſt, illa inueſtigare ac ſcrutari velint.

Hactenùs de myſterio Incarnationis & Conceptionis Filij Dei; nunc de myſterio Natiuitatis eiuſdē, ex B. Maria Virgine aliquid dicendum eſt.

QVAESTIO IIII.

Quis eſt ſenſus alterius partis articuli, Natus ex Maria Virgine?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

Credo & confiteor Ieſum Dominum, non ſolùm conceptum Spiritus ſancti virtute, ſed etiam ex Maria Virgine natum, & in lucem editum eſſe.

Eſt Catech. §. Hæc altera eſt huius articuli pars, &c.

MONITIO.

Vnum hoc loco diligenter obſeruandũ eſt, fidem myſterij Natiuitatis Chriſti magnâ cum lætitiâ & iucunditate animi fidelibus meditandum eſſe. Hoc Angeli vox, qui primus fœliciſsimum nuncium mũdo attulit, declarat, Luc. 2. his verbis: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Tum ex illius cæleſtis militiæ cantico: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax bonæ voluntatis*, quod Angeli cecinerunt facile eſt intelligere.

Materia huius tantæ lætitiæ eſt: quia ampliſsimũ illud Dei promiſſum ad Abraham impleri cæptum eſt, cui dictum eſt, Geneſ. 22. fore aliquando vt in eius ſemine omnes gẽtes benedicerẽtur. Maria enim, quam verè Dei Matrem prædicamus & colimus, quòd eam perſonam, quæ ſimul Deus & homo erat, peperit, à Dauide Rege originem duxit, Matth. 1. c.

QVAESTIO V.

An Naituitatis Chriſti myſterium ſit ſecundum naturã, vel ſupra naturã?

CONCLVSIO VNICA.

Quemadmodum conceptio ipſa naturæ ordinem prorſus vincit: ita in ortu nihil non diuinum licet contemplari.

Eſt Catech. §. Sed quemadmodùm conceptio. Et D. Thom p.3. q.28.

Nam Chriſtus, quo nihil admirabiliùs dici omninò, aut cogitari poteſt, naſcitur ex matre ſine vlla maternæ virginitatis diminutione: Quo modo ſcilicet poſtea ex ſepulchro clauſo&obſignato egreſſus eſt, atque ad diſcipulos clauſis ianuis introiuit.

Vel ne à rebus etiam, quæ natura quotidie fieri videmus, diſcedatur: quo modo ſolis radij concretã vitri ſubſtantiam penetrant, neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt: Simili inquam, altiori modo, Ieſus Chriſtus ex materna aluo, ſine vllo maternæ virginitatis detrimento editus eſt.

DIFFICVLTAS I.

An ergo Beata Maria in Conceptione & partu Virgo permanſerit?

Dicendum cum Eccleſia, nos Beatæ Mariæ incorruptam & perpetuam virginitatem veriſsimis laudibus celebrare, quæ Spiritus ſancti virtute & beneficio illi conſeruata fuit, vtpote, qui in Filij Dei conceptione &partu, ita matri affuit, vt ei fœcunditatem dederit, & perpetuam virginitatem conſeruârit. Conſule D. Thom. p.3. q.28. art.1.

DIFFICVLTAS II.

An ergo ſicut Chriſtus benè comparatur Adamo: Ita etiã B. Maria Virgo ab Eccleſia & Doctoribus benè comparetur cum Eua?

Dicendum, quòd propter ſingularia dona Beatæ Mariæ à Spiritu ſancto collata, optimè, ſicut dictum eſt, comparatur & confertur. Nam vt in Adamo primo homine omnes homines moriuntur: Ita in ſecundo, qui eſt Chriſtus, omnes ad vitam reuocantur; atque vt Adam, quòd ad naturalẽ conditionem attinet,

attinet, humani generis parens fuit, ita Chriſtus gratiæ, & gloriæ auctor eſt. Ad eum modum nobis etiã licet Virginem Matrem cum Eua ita conferre, vt priori Euæ ſecunda Eua, quæ eſt Maria, reſpondeat, quemadmodum ſecundum Adam, hoc eſt, Chriſtũ, primo Adam reſpondere oſtẽdimus. Eua enim, quia Serpẽti fidem habuit, maledictum & mortem in humanum genus inuexit: Et Maria, poſtquam Angelo credidit, Dei bonitate effectum eſt, vt benedictio, & vita ad homines perueniret. Propter Euam naſcimur filij iræ: A Maria Ieſum Chriſtum accepimus, per quem filij gratiæ regeneramur. Euæ dictum eſt, In dolore paries filios: Maria hac lege ſoluta eſt, vt quę, ſalua virginalis pudicitiæ integritate, ſine vllo doloris ſenſu, vt antea dictũ eſt, Ieſum Filiũ Dei peperit.

QVAESTIO VI.

An Conſentaneum fuerit diuinæ prouidentiæ admiranda huius conceptionis & Natiuitatis myſteria præfigurare in veteri teſtamento: Et, quæ fuerunt illæ figuræ?

CONCLVSIO I.

CVm tanta & tam admiranda ſint huius Conceptionis & Natiuitatis Chriſti Sacramenta, diuinæ prouidentiæ conſentaneum fuit, vt ea multis figuris & oraculis ſignificarentur.

Eſt Catech. §. Cùm igitur tanta, &c.

CONCLVSIO II.

PRæcipuæ figuræ & prophetiæ Conceptionis & Natiuitatis Ieſu Chriſti ſunt: Porta illa ſanctuarij quã Ezechiel

chiel clauſam vidit, c. 44 Lapis de mōte ſine manibus abſciſſus, vt eſt apud Danielem, c. 2. qui factus eſt magnus mons & impleuit vniuerſam terram: Deinde Aaron virga, quæ vna inter virgas Principum Iſraëlis germinauit, Numer. 17. Et Rubus quem Moyſes vidit ardere & non comburi. Exod. 3. c.

Eſt Catech. §. Quare huc pertinere, &c.

Probatur Sanctorum Doctorum auctoritate, qui hæc omnia, quæ in varijs ſacræ ſcripturæ locis legimus, ad myſteria Cóceptionis & Natiuitatis Chriſti præfigurandi pertinere intellexerunt.

Et hæc de myſterio Natiuitatis Chriſti ſufficiunt. Qui plura videre volet, legat illius hyſtoriam à Sancto Luca Euangeliſta, c. 2. deſcriptam.

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis ſub finé explicationis huius articuli Catechiſmus ſuo more infert quatuor Documenta Spiritualia.

Primum, nos pro tantis beneficijs aliquam gratiá auctori Deo referre debere.

Secundum, eximium & ſingulare humilitatis exemplum quod his duobus myſterijs oſtenditur, nobis ad imitãdum proponere debere. Quid enim (inquit eleganter Catechiſmus) nobis vtilius, atque ad animorum noſtrorum ſuperbiam & elationem cóprimédam accommodatius eſſe poteſt, quàm ſæpius cogitare, Deum ita ſeſe humiliare, vt cum hominibus gloriam ſuam communicet, & hominum infirmitatem, fragilitatemq́ue aſſumat, Deum hominem fieri, ſummamq́ue illam, & infinitam maieſtatem homini miniſtrare, ad cuius nutum columnæ cæli, vt inquit ſcriptura, Iob. 26. contremiſcunt & pauent, eumq́ue in terra naſci, quem in cælis Angeli adorant?

adorant? Quid igitur, cum hæc Deus noſtra cauſa faciat, quid inquam, nos vt illi obſequamur, facere oportet? Quàm libenti, atque alacri animo debemus omnia humilitatis officia amare, amplecti, præſtare? Videant fideles, quam ſalutari doctrina Chriſtus naſcens nos inſtituat, antequam vocem aliquam emittere incipiat. Naſcitur egenus: naſcitur vt peregrinus in diuerſorio: naſcitur in vili præſepio: naſcitur media hyeme. Ita enim ſcribit ſanctus Lucas, c. 2. *Factum eſt cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Potuítne Euangeliſta humilioribus verbis omnem cæli & terræ maieſtatem, & gloriam includere? Neq; verò ſcribit non fuiſſe locũ in diuerſorio, ſed ei non fuiſſe, qui dicit Pſalm. 46. *Meus eſt orbis & plenitudo eius.* Quod etiam alius Euangeliſta teſtatus eſt: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Ioann. 1. c.

Tertium, per Chriſti Conceptionem & Natiuitatem humanum genus in altiſsimo dignitatis gradu collocatũ eſſe. Nam illud vnum ſatis declarat excellentem hominis dignitatem & præſtantiam, quæ illi diuino beneficio tributa eſt, quod homo fuerit, qui idem verus & perfectus Deus ſit, vt iã gloriari nobis liceat Filium Dei, os noſtrum & carnẽ noſtram eſſe, quod beatiſsimis illis ſpiritibus non licet: Nuſquã enim, vt eſt apud Apoſtolum ad Hæbreos 2. Angelos apprehendit.

Poſtremum cauendum eſſe, ne maximo noſtro malo eueniat: vt quemadmodùm illi in diuerſorio Bethleem locus vbi naſceretur, defuit: Ita etiam, quando iam in carne non naſcitur, locũ in cordibus noſtris inuenire non poſsit, vbi in Spiritu naſcatur.

Hoc

Hoc enim, cum ſalutis noſtræ cupidiſsimus ſit, vehementer optat: Nam vt ille Spiritus ſancti virtute ſupra naturæ ordinem homo factus & natus eſt, ſanctuſque atque adeò ſanctitas ipſa fuit: Ita nos oportet, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo naſci, ac deinde veluti nouam creaturam in nouitate Spiritus ambulare, ſanctitatem illam, ac mentis integritatem cuſtodire, quæ homines Spiritu Dei regeneratos maximè decet: hac enim ratione ſanctæ huius Filij Dei Conceptionis & Natiuitatis imaginem aliquã in nobis ipſis exprimimus, quam fideli animo credimus, & credentes Dei ſapientiã in myſterio quæ abſcõdita eſt, ſuſpicimus & adoramus.

CAPITIS QVARTI ELVCIDATIO.

DE QVARTO ARTICVLO.

Paſſus ſub pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

EXPLICATIONI ſingulorum verborum huius articuli vnũ cum Catechiſmo præmittendum eſt.

Summam eſſe neceſsitatem cognitionis huius articuli, ſiquidem tota ſcientia chriſtiano homini ad ſalutem neceſſaria, ferè hoc articulo continetur. Docet hoc Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. cum nihil

nihil aliud ſe ſcire teſtatur, niſi Ieſum Chriſtũ & hũc crucifixum.

Quamobrem Paſtorum & Catechiſtarum eſt ſedulò curare, vt chriſtiani omnes myſterium Paſsionis Chriſti benè cognoſcant, & frequenter cum gratiarum actione memoriâ repetant.

QVAESTIO I.

Quis eſt ſenſus prioris partis huius articuli, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus?

CONCLVSIO VNICA.

Fides priore articuli parte illud nobis credendum proponit, Chriſtum Dominum, cùm Pontius Pilatus Tyberĳ Cæſaris iuſſu, Iudæam prouinciam adminiſtraret, cruci affixum eſſe; nam captus, irriſus, varĳs iniuriarum, & cruciatuum generibus affectus, demùm in crucem ſublatus eſt.

Eſt Catech. §. Fides itaq; priore articuli parte, &c.

Vt intelligatur quæſtio, notandum eſt duas eſſe huius articuli partes. Prima eſt, de Paſsione & crucifixione: Altera de eius morte & ſepultura.

Mors autem proponitur ſeparatim & diſtinctim credenda ab ipſa Paſsione & Crucifixione; quia ſtatim initio Eccleſiæ non defuerunt, qui licet crederẽt Chriſtum cruci affixum fuiſſe, tamen in cruce mortuum negarent; vt docet infrà Catechiſmus, & teſtatur Irineus, lib. 5. contra hæreſes, c. 17. Tertullianus lib. de præſcript. Epiphanius & alĳ.

Concluſio ſequentibus quæſtionibus & difficultatibus particulatim explicabitur.

QVAE-

ploratior: Quæ quoque cauſa fuit, vt Apoſtolus de Paſsione Chriſti loquens etiam Præſidis Pilati meminerit 2. ad Timoth. 6. c. his verbis *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimoniū reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſsionem.*

Altera, vt declararetur vera fuiſſe prædictio Saluatoris, Matth. 20. quâ dixerat ſe traditurum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendū: Milites enim Pilati præſidis, à quibus Chriſtus fuit illuſus, flagellatus, & crucifixus, fuerunt gentiles & Romani.

DIFFICVLTAS II.

Quare Chriſtus in ligno crucis pati & mori voluit?

Diuino hoc conſilio tribuendum eſt, vt ſcilicet vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, vt canit Eccleſia in præfatione miſſæ de Sancta Cruce.

Plures eius rei rationes afferri poſſunt, quas Sācti Patres latiùs proſecuti ſunt.

MONITIO.

Hoc loco Parochi & Catechiſtæ curabunt, vt cum iis, quæ dicta ſunt, auditores ſumma ſaltem Paſsionis Chriſti myſteria, quæ ad confirmandam fidei noſtrę veritatem magis neceſſaria videntur, cognita habeant: hoc enim articulo, veluti fundamento quodā tota chriſtiana religio & fides nititur, eoque poſito reliqua omnia rectè conſtituta ſunt. Nā ſi quid aliud humanæ menti & intelligentiæ difficultatem affert, certè, Crucis myſterium omniū difficillimum exiſtimandum eſt, vixque percipi à nobis poteſt, ſalutē noſtram ex cruce ipſa, & ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus eſt, pendere. Sed in hoc, vt docet Apoſtolus, 1. ad Corinth. 1. c. ſummam Dei prouidentiā licet

admirari: Nam *quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes*. Quare mirandum non eſt, ſi Prophetæ ante Chriſti aduētum, Apoſtoli poſt eius mortem, & reſurrectionem, tantoperè laborârunt, vt hominibus perſuaderēt hunc eſſe mundi redemptorem, eoſque in crucifixi poteſtatem atque obedientiam redigerent.

QVÆSTIO III.

An fuerit conſentaneum, myſterium Paſſionis Chriſti ſtatim ab initio mundi poſt peccatum multis figuris & prophetijs præſignificari: Et, quæ fuerunt præcipuè illius figuræ & prophetiæ?

CONCLVSIO I.

Conſentaneum diuinæ prouidentiæ fuit, vt myſterium crucis ſtatim poſt peccatum multis tum figuris, tum prophetarum oraculis præſignificaretur.

Eſt Catech. §. Quare Dominus cùm nihil tam ab humana ratione, &c.

Nam cognitio & fides myſterij crucis maximè ad ſalutem neceſſaria eſt, & nihil eſt difficilius cognitu aut creditu in tota fide & religione chriſtiana. Benè ergo Dominus vt nobis non deeſſet, ab initio mundi illā hominibus præfigurare & inculcare non deſtitit.

CONCLVSIO II.

Præcipuæ figuræ Paſſionis & Mortis Chriſti fuerunt, Abel primum, Genes. 4. qui fratris inuidiâ occiſus eſt: Deinde Iſaac ſacrificium, Genes. 28. c. Præterea Agnus, Exod.

Exod. 18. quem Iudæi cùm è terra Ægypti egrederentur, immolârunt: Tum ſerpens æneus, Num. 21. quem Moyſes in deſerto exaltauit.

Eſt Catech. §. Atque vt de figuris pauca quædam.

CONCLVSIO III.

Vaticinia Prophetarum de Paſsione Chriſti notiora ſunt, quàm vt hoc loco illa referre neceſſum ſit: Inter reliquos tamen Prophetas Dauid omnia præcipua religionis noſtræ myſteria in Pſalmis complexus eſt: Et Eſaiæ oracula tā aperta & clara ſunt, vt rectè dici queat eum potius rem geſtā expoſuiſſe, quàm futuram prædixiſſe.

Eſt Catech. §. Quòd autem ad Prophetas pertinet.

QVAESTIO IIII.

An Chriſtus fuerit verè mortuus in Cruce? Et an decēs fuerit cum mori?

CONCLVSIO I.

Chriſtus poſtquam crucifixus eſt, verè mortuus fuit.

Eſt Catech. §. His verbis Parochus, &c. Et D. Thom. p.3. q.50.

Nam hoc expreſsis verbis dicit Symbolum, *Crucifixus, mortuus, &c.*

Deinde omnes Euangeliſtæ concorditer dicunt Ieſum Spiritum emiſiſſe.

Conuincit quoque ratio, Nam cùm Chriſtus verus & perfectus homo fuerit, verè etiā mori potuit: Moritur autem homo cùm anima ſeparatur à corpore; Cùm ergo Chriſti anima à corpore ſeparata fuerit, verè omninò Chriſtus mortuus fuit.

Vnum hoc loco obſeruandum, quòd quamuis verè credamus & cōfiteamur animam Chriſti à cor-

pore verè ſeparatam fuiſſe, non tamen concedere debemus diuinitatem à corpore ſeiunctam fuiſſe, quin potius conſtanter credimus & confitemur, animâ eius à corpore diuisâ, diuinitatem tùm corpori in ſepulchro, tùm animæ apud inferos coniunctam ſemper fuiſſe.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Decebat Filium Dei mori, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.

Eſt Catech. §. Decebat autem Filium Dei, &c.

DIFFICVLTAS VNICA.

An aliqua in Chriſti morte ſint propria & peculiaria, quæ ſcilicet in aliorum hominum morte non reperiantur?

Illud imprimis in Chriſti morte ſingulare fuit, quod tùm mortuus eſt cùm ipſe mori decreuit, & mortem non tam aliena vi illatam, quàm voluntariam obijt.

Nec verò mortem ſolùm, ſed locum etiam & tempus, in quo moreretur ipſe ſibi conſtituit. Ita enim Iſaias ſcripſit, c. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Atque idem Dominus de ſe ante Paſsionem dixit, Ioan. 10. *Ego pono animam meam, vt iterùm ſumam eam: Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo: poteſtatè habeo iterum ſumendi eam.*

Quòd autem ad tempus, & locum attinet, cùm Herodes eius vitæ inſidiaretur, ipſe inquit, Luc. 13. *Dicite vulpi illi, Ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie,*

die & cras, & tertia die conſumar: veruntamen oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem. Ille igitur nihil inuitus aut coactus fecit, ſed ipſe ſe volens obtulit, atque inimicis ſuis obuiam procedens, dixit Ioan. 18. *Ego ſum:* & ſponte ſua ea omnia ſupplicia pertulit, quibus illú iniuſtè & crudeliter affecerunt.

Conſule de his omnibus D. Thom. p. 3. q. 46.

MONITIO.

Hæc doctrina erit per parochos, & Catechiſtas, diligenter auditoribus inculcanda: Nihil enim ad commouẽdos animi noſtri ſenſus maiorem vim habere poteſt, quàm cùm pœnas tormentaque Chriſti cogitatione perpendimus: Nam ſi quiſquam noſtra cauſa omnes dolores patiatur, non quos ipſe ſua voluntate ſuſcipiat, ſed quos vitare nequeat: hoc verò haud magni beneficij loco à nobis ponetur. Verùm ſi noſtro tantum nomine, mortem quam defugere poterat, libenter occumbat, profectò hoc beneficij genus tantum eſt, vt omnem non ſolum referendæ, ſed etiam habendæ gratiæ facultatem vel gratiſsimo cuique eripiat, ex quo Ieſu Chriſti ſumma & eximia charitas, eiuſque diuinum & immenſum in nos meritum perſpici poteſt.

QVAESTIO V.

Cur Chriſtum non modo mortuum, ſed etiam ſepultum eſſe dicimus?

CONCLVSIO PRIMA.

QVòd Chriſtum ſepultum eſſe confitemur, hoc quidem veluti articuli pars ſeparata non conſtituitur, quaſi

nouam aliquam difficultatem haberet, præter ea quæ iam de morte dicta ſunt.

Eſt Catech. §. Quòd Chriſtum ſepultum &c. Et D. Thom. p. 3. q. 51, art. 2.

Nam ſi Chriſtum mortuum credimus, facilè etiam nobis perſuaderi poteſt eum ſepultum eſſe.

CONCLVSIO II.

CHriſtum ſepultum eſſe, additum eſt; primùm, vt minus de morte dubitare liceat: maximo enim argumento eſt aliquem mortuum eſſe, ſi corpus eius ſepultum probemus. Deinde, vt reſurrectionis miraculū magis declaretur atque eluceat.

Eſt Catech. §. Verùm hoc additum eſt, &c. Et D. Thom. ſup.

DIFFICVLTAS I.

An ſicut præfatis verbis credimus Chriſti corpus ſepultum eſſe: Ita etiam iiſdem verbis credendum nobis proponatur Deum ſepultum eſſe?

Dicendum, proponi: Nam cùm diuinitas nunquā fuerit diuiſa à corpore, quod in ſepulchro conditum eſt, rectè confitemur Deum ſepultum eſſe: quemadmodum ex fidei catholicæ regula veriſsimè etiam dicimus, Deum mortuum & ex Virgine natum eſſe. Ita docet D. Thom. p. 3. q. 51. art. 1.

DIFFICVLTAS II.

Quo genere ſepulturæ, & quo loco Chriſtus ſepultus fuit?

De genere & loco ſepulturæ chriſti habes apud Sanctos Euāgeliſtas ſatis clarè. Matthæi 27. Marci 15. Ioan. 19. Luc. 23.

Duo hoc loco cum catechiſmo obſeruanda ſunt;

Alterū chriſti corpus in ſepulchro nulla ex parte corruptum eſſe: de quo Propheta vaticinatus erat, Pſalm. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Alterum

Alterum eſt, quod ad omnes huius articuli partes attinet, ſepulturam ſcilicet, Paſsionem etiam, & mortem Chriſto Ieſu, vt homini, non vt Deo conuenire: Nam pati & mori, in humanam tantum naturam cadunt: quamuis Deo etiam hæc omnia tribuantur, quoniam de illa perſona, quæ ſimul perfectus Deus, & perfectus homo fuit, rectè dici perſpicuum eſt.

Et hæ quidem quæſtiones ſic explicatæ ſufficere videbãtur pro intellectu huius articuli; verùm quia plurimum intereſt vt omnes fideles magnitudinem & præſtantiam myſterij paſsionis chriſti exactè cognoſcant, Catechiſmus quaſdam alias quæſtiones ſubnectit, ex quibus fideles, ſi non comprehendere, certè aliquo modo contemplari poterunt tanti myſterij immenſitatem & præſtantiam.

QVAESTIO VI.

Vt fideles aliquouſque contemplari poſſint magnitudinem & præſtantiã myſterij Paſſionis Chriſti, quæ debent ſibi imprimis ante oculos ponere?

CONCLVSIO VNICA.

Qvicumque volent præſtãtiam myſterij Paſsionis Chriſti aliquouſque videre & contemplari, quinque præcipuè conſiderare debebunt. Primum, Quis ſit ille qui hæc omnia patitur. Secundum, Quæ cauſa finalis Paſsionis & mortis Chriſti, ſiue, Cur Filius Dei mortem ſubierit. Tertium, Quæ cauſa efficiens Paſsionis, ſiue, qui fuerunt auctores & miniſtri Paſsionis Chriſti. Quartum, Quanta fuerit Paſſionis Chriſti acerbitas, ſiue, An dolor, quẽ Chriſtus in Paſsione

ſuſtinuit, fuerit omnium dolorum maximus. Quintum & poſtremũ, Qui ſint effectus paſsionis Chriſti, ſiue, quæ nobis bona & commoda ex paſsione Chriſti proueniant.

Eſt Catech. §. His cognitis ea quæ de Chriſti paſſione, &c.

∴. Huius concluſionis quinq; ſunt partes, quæ quia materiam maximi momenti complectuntur, paulò fuſiùs cum Catechiſmo per totidem quæſtiones ſeparatim & diſtinctè explicandæ ſunt.

QVAESTIO VII.

Quis eſt ille qui hæc omnia patitur?

CONCLVSIO VNICA.

NVllis verbis eius dignitatem explicare, aut mente cõprehendere poſſumus: Sanctus Ioannes c. 1. verbum eſſe dicit, quod erat apud Deum: Apoſtolus eum magnificis verbis deſcribit ad Hebræos 1. c. in hunc modum, eſſe nimirũ illum quem Deus conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula, qui eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtãtiæ eius, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. Atque vt vno verbo complectamur, patitur creator pro ijs quos ipſe condidit, patitur Dominus pro ſeruis, patitur is per quem Angeli, homines, cæli, elementa facta ſunt: Ille inquam, in quo, per quem, & ex quo ſunt omnia.

Eſt Catech. §. Et quidem nullis verbis.

Ex hac concluſione benè meditata & intellecta, diſcimus non eſſe mirandum, ſi tali perſonâ tot paſſionum tormentis commotâ, totum etiam mundi ædificium concuſſum ſit, teſte Scriptura, Matth. 27. *Terra mota eſt* inquit, *& petræ ſciſſæ ſunt, tenebræ etiam factæ ſunt per vniuerſam terram, & ſol obſcuratus eſt.*

MONI-

MONITIO.

Conſequenter facilè colligere poſſumus, quod ſi res etiam mutæ & ſenſu carentes Creatoris ſui paſſionem luxerũt, quibus lachrimis nos tanquam viui lapides huius ædificij dolorem noſtrum declarare debeamus.

QVAESTIO VIII.

Quæ cauſa Paſſionis & mortis Chriſti: Siue, Quæ cauſa fuit, cur Filius Dei acerbiſſimam paſſionem ſubijt?

CONCLVSIO VNICA.

IDeò potiſsimum Chriſtus paſſus & mortuus eſt, vt præter hereditariam primorum noſtrorum parentum labem, hoc eſt, originale peccatum, & alia peccata, quæ homines à mundi origine vſque ad hunc diem admiſerunt, ac deinceps vſque ad conſummationem ſæculi admiſſuri ſunt, redimeret ac deleret.

Eſt Catech.§. Iam verò etiam cauſa Paſsionis, &c. Et D. Thom.p.3.q.1.art.4. & alibi ſæpiſsimè.

Explicatur. Hoc enim in Paſsione & morte, Filius Dei Saluator noſter ſpectauit, vt omnium ætatum peccata redimeret, ac deleret, & pro eis Patri abundè, cumulateque ſatisfaceret.

QVAESTIO IX.

Quæ cauſa efficiens Paſſionis: ſiue, qui auctores & miniſtri fuerunt Paſsionis Chriſti?

CONCLVSIO I.

POEnarum omniũ, quas Chriſtus pertulit, ipſi peccatores,

pro quibus patiebatur, auctores fuerunt ac miniſtri.

Eſt Catech. §. Illud etiam accedit ad augendam. Et D. Thom. p. 3. tota q. 47.

De hoc ita ſcribit Apoſtolus ad Hæbreos 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit, à peccatoribus aduerſus ſemetipſum, contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.*

DIFFICVLTAS I.

An qui hodie peccant benè dicantur ab Apoſtolo, Hæb. 6. c. rurſus crucifigere Chriſtum?

Dicendum, benè dici, hac ratione: Nam cum peccata noſtra Chriſtum Dominum impulerint vt crucis ſupplicium ſubiret, profectò qui in flagitijs & ſceleribus volutantur, rurſus, quod in ipſis eſt crucifigunt in ſemetipſis Filium Dei, & oſtentui habent.

DIFFICVLTAS II.

An qui hodie ſic Chriſtum crucifigunt, grauius ſcelus committant Iudæis Chriſti crucifixoribus?

Scelus noſtrum grauius ideò videri poteſt ſcelere Iudæorum, quòd illi Apoſtolo teſte, 1. ad Corinth. 2. c. *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent:* Nos autem & noſſe eum profitemur, tamen factis negantes, quodammodo violentas ei manus videmur inferre.

CONCLVSIO II.

Ipſe quoque Chriſtus quodāmodo fuit cauſa efficiens ſuæ Paſſionis & mortis, ſicut etiam Deus Pater.

Eſt Catech. §. Sed à Patre etiam. Et D. Thom. p. 3. q. 47. art. 1. & 3.

Nam & à Patre etiam & à ſemetipſo chriſtū Dominum traditum eſſe ſacræ litteræ teſtantur: Inquit enim apud Eſaiam, c. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum,*

rum. Et paulò ante idem Propheta, cùm Dominum plagis, & vulneribus affectum, ſpiritu Dei plenus videret, dixit; *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrum.* De Filio autem ſcriptum eſt, ibidem. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemẽ longæuũ.*

Sed eandem rem Apoſtolus grauioribus etiam verbis expreſsit, cùm tamen ex altera partę vellet oſtendere, quantum nobis de immẽſa Dei miſericordia & bonitate ſperare liceat: Inquit enim ad Rom. 8. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.*

QVAESTIO X.

Quãta fuit Paſſionis Chriſti acerbitas? Siue, An dolor quem Chriſtus in Paſſione ſuſtinuit, fuerit omnium maximus?

CONCLVSIO VNICA.

CHriſtus Dominus ſummis tum animi tum corporis doloribus affectus fuit.

Eſt catech. §. Sequitur nunc vt quanta fuerit, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 46. art. 6.

Probant hanc ſudor factus, vt guttæ ſanguinis decurrentis in terram, cùm chriſtus Dominus tormenta & cruciatus animo perciperet (vt videre eſt apud Lucam c. 22.) quibus paulò pòſt afficiẽdus erat: Nam ſi malorum imminẽtium cogitatio tam acerba fuit, quòd ſãguinis ſudor declarauit, quid ipſam perpeſſionem fuiſſe exiſtimandum eſt?

Probatur

Probatur quoque particulatim tùm de doloribus corporis, tum de doloribus animi.

Primùm quidem, nulla fuit eius corporis pars, quę grauiſsimis pœnis non ſenſerit: Nam & pedes, & manus clauis cruci affixæ, caput ſpinis compunctum, & arundine percuſſum, facies ſputis fœdata, alapis cæſa, totum corpus flagellis verberatum eſt.

Prætereà omnium & generum, & ordinum homines cóuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Gentes enim & Iudæi Paſsionis ſuaſores, auctores, miniſtri fuerunt: Iudas eum prodidit, Petrus negauit, cæteri omnes deſeruerunt.

Iam verò in cruce ipſa acerbitatémne, an ignominiam, an vtrumque ſimul queremur? Ac profectò nullum aut turpius genus mortis, aut acerbius excogitari eo potuit, quo affici non niſi nocentiſsimi & ſceleratiſsimi homines conſueuerunt, & in quo ſummi doloris, & cruciatus ſenſum mortis diuturnitas vehementiorem efficiebat.

Augebat etiam pœnarum magnitudinem, ipſa Chriſti Ieſu corporis conſtitutio & habitus: quod quidem cùm Spiritus ſancti virtute formatum eſſet, multò perfectius & temperátius fuit, quàm aliorum hominum corpora eſſe poſsunt: atque ideo acriorē quoque ſentiendi vim habuit, & grauius tormenta illa omnia perpeſſum eſt.

Quòd verò ad intimum animi dolorem attinet, nemo dubitare poteſt, quin ſummus in Chriſto fuerit: Sanctis enim hominibus quicunque ſupplicia, & cruciatus pertulerunt, non defuit animi ſolatium diuinitus datum, quo recreati tormentorum vim æquo animo ferre poſſent: Imò verò in cruciatibus plerique intimâ lætitiâ efferebantur: Inquit enim

Apoſtolus ad Col. 1. *Gaudeo in Paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt Paſsionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Et 2. ad Corinth. 7 *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione veſtra.* Verùm Chriſtus Dominus amariſsimæ Paſſionis calicem, quem bibit, nulla ſuauitate permiſta temperauit: Humanæ enim naturæ, quam aſſumpſerat, ſentire omnia torméta permiſit, non ſecus ac ſi homo, non etiam Deus fuiſſet.

QVAESTIO XI.

Qui ſunt effectus Paſſionis Chriſti: Siue, Quæ ſunt bona & commoda, quæ ex Paſſione Chriſti Domini percipimus?

CONCLVSIO I.

P*Rimùm Domini Paſsio peccati liberatio fuit.*

Eſt Catech. §. Primùm igitur, &c. Et D. Th. p. 3. q. 49. art. 1.

Nam, vt eſt apud ſanctum Ioannem, Apoc. 1. cap. *Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et Apoſtolus inquit, ad Coloſs. 2. *Conuiuificauit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat, chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci.*

CONCLVSIO II.

D*Einde Paſsio Domini à Dæmonis tyrãnide nos eripuit.*

Eſt Catech. §. Deinde, &c. Et D. Thóm. p. 3. q. 49. art. 2.

Ipſe enim Dominus inquit, Ioann. 12. *Nunc iudiciũ eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

CONCLVSIO III.

POEnam præterea peccatis noſtris debitam perſoluit. Eſt Catech. §. Pœnam &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

CONCLVSIO IIII.

TVm verò, quia nullum gratius & acceptius Deo ſacrificium offerri potuit, Patri nos reconciliauit, eumq́ nobis placatum & propitium reddidit.

Eſt Catech. §. Tum verò &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

CONCLVSIO V.

INſuper, quoniam peccata ſuſtulit, cælorum etiam aditũ, communi humani generis peccato intercluſum, nobis patefecit.

Eſt Catech. §. Poſtremò quoniam, &c. Et D. Th. ſup. art. 4.

Hanc Apoſtolus ſignificauit ad Hæbreos 10. illis verbis, *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti.*

Eſt etiam huius myſterij figura & imago quædã in veteri lege, Num. 35. c. Nam illi quibus interdictũ erat, ne in patriam ante ſummi ſacerdotis mortẽ reuerterentur, hoc ſignificabant, nemini, quamuis piè & iuſtè vixiſſet, aditum in cæleſtem patriam patere, antequam ſummus ille atque æternus ſacerdos Chriſtus Ieſus mortem obiret, qua quidem obita ſtatim fores cæli patuerunt ijs qui Sacramẽtis expiati, fideq́; ſpe & charitate præditi Paſsionis eius participes fiũt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Qua ratione Paſsio Chriſti præfata bona & commoda nobis cauſauit?

Dicen-

Dicendum quòd triplici ratione. Nam Paſsio Chriſti fuit oblata Deo Patri tãquam ſatiſ-factio pro peccatis noſtris: Deinde ſicuti ſacrificiũ: Poſtremò, ſicuti Redemptio quædam.

Explicantur ſingula.

Primùm, quidem, quia Paſsio Chriſti fuit integra, atque omnibus numeris perfecta ſatiſ-factio, quam admirabili quadam ratione Ieſus Chriſtus, pro peccatis noſtris Deo Patri perſoluit. Neque verò pretiũ quod pro nobis perſoluit, debitis noſtris par ſolùm & æquale fuit, verum ea longè ſuperauit.

Deinde ſacrificium Deo acceptiſsimũ fuit: quod cùm illi Filius in ara crucis obtulit, Patris iram atque indignationem prorſus mitigauit: Atque hoc nomine Apoſtolus vſus eſt cùm inquit, ad Ephe.5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

Præterea, Redemptio fuit de qua eſt apud Apoſtolorum Principem, 1. eplæ.1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Et Apoſtolus docet, ad Gal.3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

De his vide D. Thom. p.3. q.48. art.2.3.& 4.

CONCLVSIO VI. ET POSTREMA.

Prater immenſa beneficia ante enarrata, illud etiam vel maximum conſecuti ſumus, vt in hac vna Paſsione, omnium virtutum clariſsima exempla habeamus.

Eſt Catech.§. Verùm præter hæc immenſa, &c.

Nam & patientiam & humilitatem, & eximiam charitatem, & manſuetudinem, & obedientiam, & ſummam animi conſtantiam, non ſolùm in perfe-

perferẽdis propter iuſtitiam doloribus, ſed etiam in morte oppetenda iſta oſtendit, vt verè dicere poſsimus Saluatorem noſtrum, quæcũque vitæ præcepta toto predicationis ſuæ tempore verbis nos docuit, ea omnia vno Paſsionis die in ſeipſo expreſsiſſe.

Documentum Spirituale.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſuo more infert vnum Documentum Spirituale, videlicet, debere fideles omnes myſterium Paſsionis & mortis Chriſti Domini ſępius meditari, vt vnà cum Chriſto pati, mori, & ſepeliri diſcant.

Pati ſcilicet propter ſua peccata:

Mori & ſepeliri peccato, vt ſcilicet amplius non peccent, ſed abiecta ſemel omni ſorde peccati ad nouam vitam cum illo reſurgant, & tãdem illius gratia & miſericordia cæleſtis regni & gloriæ participes efficiantur.

Atque hæc breuiter de Chriſti Domini ſaluberrima Paſsione & morte dicta ſufficiant.

CAPI-

CAPITIS QVINTI ELVCIDATIO.

DE QVINTO ARTICVLO.

Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis?

ANTE elucidationem ſingularum partium huius articuli, duo cum Catechiſmo diligenter obſeruanda ſunt;

Primũ, quod quáuis multũ referat populo chriſtiano noſſe ſepulturã Dñi noſtri Ieſu Chriſti, plus tamen intereſſe populi fidelis, cognoſcere illuſtres triumphos, quos ex deuicto Diabolo, & ſpoliatis inferorum ſedibus deportauit.

Alterum, ſecundum Sanctorum patrum auctoritatem de deſcenſu Chriſti ad inferos, & eiuſdem reſurrectione, ſimul agendum eſſe, etſi locus de reſurrectione ſeparatim tractari poſsit.

QVAESTIO I.

Quæ eſt ſententia prioris partis articuli, Deſcendit ad Inferos?

CONCLVSIO I.

PRiori parte huius articuli, hoc nobis credendum proponitur, Chriſto iam mortuo eius animam ad Inferos deſcendiſſe, ibiq; tam diu manſiſſe quamdiu eiuſdem corpus in ſepulchro fuit; his verbis ſimul etiam confitemur eandẽ Chriſti perſonam eo tempore & apud Inferos fuiſſe; & in ſepulchro iacuiſſe.

Eſt Catech. §. Eius igitur priori parte, &c. Et D. Thom.p.3. tota,q.52.

Et quia plura myſteria complectitur, pluribus quæſtionibus conſueta methodo explicabitur.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quomodo fieri poteſt vt eadem perſona & ad Inferos deſcenderit, & in ſepulchro iacuerit?

Dicendum hoc nemini mirum videri debere, propterea quod, vt aliquoties ante dictum eſt, quãuis anima à corpore diſceſſerit, nunquam tamen diuinitas vel ab anima, vel à corpore ſeparata eſt.

QVAESTIO II.

Quid & quot ſunt Inferi?

CONCLVSIO I.

INferorum nomine non intelligitur ſepulchrum, vt quidã non minus impiè, quàm imperitè putauerunt.

Eſt Catech. §. Sed quoniam articuli explanationi, &c.

Superiori enim articulo Chriſtum Dominum ſepultum eſſe edocti ſumus, nec vlla cauſa erat, cur in fide tradenda, alio, & quidem obſcuriori loquendi genere idem à ſanctis Apoſtolis repeteretur.

CONCLVSIO II.

INferorum nomen abdita illa receptacula ſignificat, in quibus animæ detinentur, quæ cæleſtem beatitudinem non ſunt conſecutæ.

Eſt Catech. §. Verùm inferorum nomen, &c. Et D.Thom. in quæſtionibus additis q. 69.

Ita enim ſacræ litteræ hanc vocem multis in locis vſurpârunt: Nam apud Apoſtolum, ad Philipp.2.c. legimus,

legimus: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et in actis Apoſtolorũ, c. 2. D. Petrus teſtatur Chriſtum Dominum ſuſcitatum ſolutis doloribus inferni.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

EA receptacula non ſunt vnius & eiuſdem generis.

Eſt enim teterrimus & obſcuriſſimus carcer, vbi perpetuò & inextinguibili igne damnatorũ animæ, ſimul cum immundis ſpiritibus torquentur, qui etiam gehenna, abyſſus, & propria ſignificatione Infernus vocatur.

Præterea eſt purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, vt eis in æternam patriã ingreſſus patere poſſit, in quam nihil coinquinatũ ingreditur.

Tertium & poſtremum receptaculi genus eſt, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti Domini aduentum excipiebantur, ibiq; ſine vllo doloris ſenſu, beata redemptionis ſpe ſuſtentati, quieta habitatione fruebantur.

Eſt Catech. §. Neque tamen ea receptacula, &c. Et D. Th. in quæſtionibus additis quæſt. 69. per totam.

DIFFICVLTAS I.

Quibus argumentis probari poteſt ignis purgatorius?

Primò, Scripturarum teſtimonijs: Secundò, apoſtolica traditione, vt patet ex ſacroſanctis & œcumenicis Concilijs.

DIFFICVLTAS II.

Quorum animas Chriſtus liberauit ex inferno?

Horum piorum animas, quæ in ſinu Abrahæ Saluatorem expectabant, Chriſtus Dominus ad inferos deſcendens liberauit.

QVAESTIO III.

Deſcēdítne aīa Chriſti ad inferos realiter, an verò virtute tãtùm & potētiâ?

CONCLVSIO VNICA.

Non eſt exiſtimandum Chriſtum ſic ad inferos deſcendiſſe, vt eius tantummodò vis & virtus, nō etiam anima eò peruenerit, ſed omninò credēdum eſt ipſam animā re & præſentiâ ad inferos deſcendiſſe.

Eſt Catech. §. Nec verò exiſtimandum eſt, &c. Et D. Thom. in ſuppl. q. 52. art. 1.

De hac, extat illud firmiſsimum Dauidis teſtimonium, Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An ex deſcenſu Chriſti ad inferos aliquid dignitati Chriſti detractum ſit?

Etſi Chriſtus ad inferos deſcendit, nihil de eius ſumma poteſtate detractum eſt: neque eius ſanctitatis ſplendor maculâ aliquâ aſperſus: cùm potius hoc facto veriſsima eſſe omnia, quæ de illius ſanctitate celebrata erant, eumque Filium Dei eſſe, quemadmodùm anteà tot prodigijs declarauerat, apertiſsimè comprobatum ſit.

Id quod facilè intelligemus, ſi cauſas cur Chriſtus, & alij homines in ea loca venerint, inter ſe conferamus.

Cæteri enim omnes captiui deſcenderant: Ipſe verò inter mortuos liber, & victor, ad profligandos dæmones, à quibus illi ob noxam incluſi, & cōſtricti tenebantur, deſcendit.

Præter-

Prætereà alij omnes qui deſcenderunt, partim pœnis acerbiſsimis torquebantur,partim verò,vt alio doloris ſenſu carerent, tamē Dei aſpectu priuati, & ſpe beatæ gloriæ quam expectabant, ſuſpenſi torquebantur; At Chriſtus Dominus deſcendit,non vt aliquid pateretur,verùm vt Sanctos, & iuſtos homines ex miſerâ illius cuſtodiæ moleſtiâ liberaret,eiſq́; paſsionis ſuæ fructum impertiret.

Quòd igitur ad Inferos deſcendit, nulla prorſus de ſumma eius dignitate, & poteſtate diminutio facta eſt.

QVAESTIO IIII.

Quibus de cauſis voluit Chriſtus ad Inferos deſcendere?

CONCLVSIO PRIMA.

PRimò,vt ereptis dæmonum ſpolijs Sanctos illos Patres, cæteroſq́; pios è carcere liberatos ſecum adduceret in cælum.

Eſt Catech.§.His expoſitis docendum erit.Et D. Thom.p.3.q.52.art.1.

Hanc piorum liberationem Oſeas tanto ante prædixerat, c.13. in hūc modum: *Ero mors tua ô mors: morſus tuus ero Inferne.* Hanc etiam ſignificauit Zacharias Propheta,c.4. cùm ait: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui,emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.*

Idipſum quoque expreſsit Apoſtolus ad Coloſs. 2. illis verbis: *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Quomodo hoc fecerit Chriſtus in inferno declarat eleganter Catechiſmus his verbis: Statim enim Chriſti Domini aſpectus clariſsimā lucem captiuis attulit, eorumq́ue animas immensâ lætitiâ,gaudioq́; imple-

impleuit, quibus etiam optatiſſimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, impertiuit, quò facto id comprobatum eſt, quod latroni promiſerat, Luc. 23. illis verbis: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Vt hæc concluſio meliùs intelligatur, ſæpè illud memoriâ repetere debemus, pios homines non ſolùm, qui pòſt aduētum Domini in lucem editi erāt, ſed qui illum poſt Adam anteceſſerant, vel qui vſque ad finem ſæculi futuri ſunt, eius paſsionis beneficio ſalutem conſecutos eſſe: Quamobrem antequam ille moreretur, ac reſurgeret, cæli portæ ne mini vnquā patuerunt: ſed piorum animæ cùm è viuis exceſsiſſent vel in ſinum Abrahæ deferebantur, vel, quòd etiam ijs nunc contingit, quibus aliquid diluendum & perſoluendum eſt, purgatorij igne expiabantur.

CONCLVSIO II.

Eſt illa præterea cauſa, cur deſcenderit ad inferos Chriſtus Dominus, vt ibi etiam, quemadmodum in cælo, & in terris, vim ſuam poteſtatemq́; declararet, & omninò vt in nomine eius omne genu flecteretur, cæleſtiū, terreſtriū, & infernorum.

Eſt Cat. §. Eſt illa prætereà, &c. Et D. Thomę ſup.

MONITIO.

Hoc loco quilibet ſummam Dei benignitatem in genus humanum admirari & obſtupeſcere debet, qui nō modò pro nobis acerbiſsimam mortē ſubire, ſed infimas etiam terræ partes penetrare voluerit, vt ſibi chariſsimas animas inde ereptas, ad beatitudinē traduceret.

QVAESTIO V.

Quis eſt ſenſus poſterioris partis articuli: Tertia die reſurrexit à mortuis?

Ante

ANte reſolutionem quæſtionis, vnũ cum Catechiſmo obſeruandum eſt: Parochos & catechiſtas debere multum in hac articuli parte explicanda laborare: Declarant hoc illa Apoſtoli verba 2. ad Timoth. 2. cap. *Memor eſto Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis:* Quòd enim Timotheo præcepit, idem etiam reliquis animarum curatoribus præceptum eſſe, dubitandum non eſt.

Hoc præmiſſo reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO VNICA.

EA huius partis articuli ſententia eſt; Poſtquam Chriſtus Dominus ſextâ feriâ, horâ diei nonâ, in cruce ſpiritum emiſit, & eâdem die veſpere ſepultus eſt ab eius diſcipulis, qui Pilati præſidis permiſſu corpus Domini è cruce depoſitum in propinqui horti monumentum nouum intulerunt: tertio à morte die, qui fuit dominicus, ſummo mane illius anima corpori iterum coniuncta eſt, atque ita is qui triduum illud mortuus fuerat, ad vitam, ex quâ moriens diſceſſerat, rediJt & reſurrexit.

Eſt Cat.§.Ea autẽ articuli eſt ſẽtẽtia,&c.Et colligitur ex D.Th.p.3. tota q. 53. & aliquot ſequentibus.

Hæc concluſio quia plura myſteria paucis verbis iiſque obſcurioribus complectitur, aliquot quæſtionibus dilucidiùs explicanda eſt.

QVAESTIO VI.

Quid eſt reſurgere hoc loco, & an ſit proprium Chriſto?

CONCLVSIO VNICA.

REſurrectionis voce nõ illud ſolùm intelligẽdũ eſt Chriſtũ à mortuis excitatum eſſe, quòd multis aliJs cõmune fuit,

CONCLVSIO III.

POEnam prætereà peccatis noſtris debitam perſoluit. Eſt Catech. §. Pœnam &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

CONCLVSIO IIII.

TVm verò, quia nullum gratius & acceptius Deo ſacrificium offerri potuit, Patri nos reconciliauit, eumq́; nobis placatum & propitium reddidit.

Eſt Catech. §. Tum verò &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

CONCLVSIO V.

INſuper, quoniam peccata ſuſtulit, cælorum etiam aditū, communi humani generis peccato interclusum, nobis patefecit.

Eſt Catech. §. Poſtremò quoniam, &c. Et D. Th. ſup. art. 4.

Hanc Apoſtolus ſignificauit ad Hæbreos 10. illis verbis, *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti.*

Eſt etiam huius myſterij figura & imago quædā in veteri lege, Num. 35. c. Nam illi quibus interdictū erat, ne in patriam ante ſummi ſacerdotis mortē reuerterentur, hoc ſignificabant, nemini, quamuis piè & iuſtè vixiſſet, aditum in cæleſtem patriam patere, antequam ſummus ille atque æternus ſacerdos Chriſtus Ieſus mortem obiret, qua quidem obita ſtatim fores cæli patuerunt ijs qui Sacramētis expiati, fideq́; ſpe & charitate præditi Paſsionis eius participes fiūt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Qua ratione Paſsio Chriſti præfata bona & commoda nobis cauſauit?

Dicen-

Dicendum quòd triplici ratione. Nam Paſsio Chriſti fuit oblata Deo Patri tãquam ſatiſ-factio pro peccatis noſtris: Deinde ſicuti ſacrificiũ: Poſtremò, ſicuti Redemptio quædam.

Explicantur ſingula.

Primùm, quidem, quia Paſsio Chriſti fuit integra, atque omnibus numeris perfecta ſatiſ-factio, quam admirabili quadam ratione Ieſus Chriſtus, pro peccatis noſtris Deo Patri perſoluit. Neque verò pretiũ quod pro nobis perſoluit, debitis noſtris par ſolùm & æquale fuit, verum ea longè ſuperauit.

Deinde ſacrificium Deo acceptiſsimũ fuit: quod cùm illi Filius in ara crucis obtulit, Patris iram atque indignationem prorſus mitigauit: Atque hoc nomine Apoſtolus vſus eſt cùm inquit, ad Ephe.5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

Præterea, Redemptio fuit de qua eſt apud Apoſtolorum Principem, 1. eplæ.1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Et Apoſtolus docet, ad Gal.3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

De his vide D. Thom.p.3. q.48. art.2.3.& 4.

CONCLVSIO VI. ET POSTREMA.

PRæter immenſa beneficia ante enarrata, illud etiam vel maximum conſecuti ſumus, vt in hac vna Paſsione, omnium virtutum clariſsima exempla habeamus.

Eſt Catech.§. Verùm præter hæc immenſa, &c.

Nam & patientiam & humilitatem, & eximiam charitatem, & manſuetudinem, & obedientiam, & ſummam animi conſtantiam, non ſolùm in perfe-

perferẽdis propter iuſtitiam doloribus, ſed etiam in morte oppetenda iſta oſtendit, vt verè dicere poſſimus Saluatorem noſtrum, quæcũque vitæ præcepta toto predicationis ſuæ tempore verbis nos docuit, ea omnia vno Paſsionis die in ſeipſo expreſsiſſe.

Documentum Spirituale.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſuo more infert vnum Documentum Spirituale, videlicet, debere fideles omnes myſterium Paſsionis & mortis Chriſti Domini ſępius meditari, vt vnà cum Chriſto pati, mori, & ſepeliri diſcant.

Pati ſcilicet propter ſua peccata:

Mori & ſepeliri peccato, vt ſcilicet amplius non peccent, ſed abiecta ſemel omni ſorde peccati ad nouam vitam cum illo reſurgant, & tãdem illius gratia & miſericordia cæleſtis regni & gloriæ participes efficiantur.

Atque hæc breuiter de Chriſti Domini ſaluberrima Paſsione & morte dicta ſufficiant.

CAPI-

CAPITIS QVINTI ELVCIDATIO.

DE QVINTO ARTICVLO.

Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis?

ANTE elucidationem ſingularum partium huius articuli, duo cum Catechiſmo diligenter obſeruanda ſunt;

Primũ, quod quãuis multũ referat populo chriſtiano noſſe ſepulturã Dñi noſtri Ieſu Chriſti, plus tamen intereſſe populi fidelis, cognoſcere illuſtres triumphos, quos ex deuicto Diabolo, & ſpoliatis inferorum ſedibus deportauit.

Alterum, ſecundum Sanctorum patrum auctoritatem de deſcenſu Chriſti ad inferos, & eiuſdem reſurrectione, ſimul agendum eſſe, etſi locus de reſurrectione ſeparatim tractari poſsit.

QVAESTIO I.

Quæ eſt ſententia prioris partis articuli, Deſcendit ad Inferos?

CONCLVSIO I.

PRiori parte huius articuli, hoc nobis credendum proponitur, Chriſto iam mortuo eius animam ad Inferos deſcendiſſe, ibiq́; tam diu manſiſſe quamdiu eiuſdem corpus in ſepulchro fuit; his verbis ſimul etiam confitemur eandẽ Chriſti perſonam eo tempore & apud Inferos fuiſſe, & in ſepulchro iacuiſſe.

Eſt

legimus: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et in actis Apoſtolorũ, c. 2. D. Petrus teſtatur Chriſtum Dominum ſuſcitatum ſolutis doloribus inferni.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

EA receptacula non ſunt vnius & eiuſdem generis. Eſt enim teterrimus & obſcuriſſimus carcer, vbi perpetuò & inextinguibili igne damnatorũ animæ, ſimul cum immundis ſpiritibus torquentur, qui etiam gehenna, abyſſus, & propria ſignificatione Infernus vocatur.

Præterea eſt purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, vt eis in æternam patriã ingreſſus patere poſſit, in quam nihil coinquinatũ ingreditur.

Tertium & poſtremum receptaculi genus eſt, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti Domini aduentum excipiebantur, ibiq; ſine vllo doloris ſenſũ, beatæ redemptionis ſpe ſuſtentati, quieta habitatione fruebantur.

Eſt Catech. §. Neque tamen ea receptacula, &c. Et D. Th. in quæſtionibus additis quæſt. 69. per totam.

DIFFICVLTAS I.

Quibus argumentis probari poteſt ignis purgatorius?

Primò, Scripturarum teſtimonijs: Secundò, apoſtolica traditione, vt patet ex ſacroſanctis & œcumenicis Concilijs.

DIFFICVLTAS II.

Quorum animas Chriſtus liberauit ex inferno?

Horum piorum animas, quæ in ſinu Abrahæ Saluatorem expectabant, Chriſtus Dominus ad inferos deſcendens liberauit.

QVAESTIO III.

Deſcēdítne aīa Chriſti ad inferos realiter, an verò virtute tātùm & potētiâ?

CONCLVSIO VNICA.

Non eſt exiſtimandum Chriſtum ſic ad inferos deſcendiſſe, vt eius tantummodò vis & virtus, nō etiam anima eò peruenerit, ſed omninò credēdum eſt ipſam animā re & præſentiâ ad inferos deſcendiſſe.

Eſt Catech.§. Nec verò exiſtimandum eſt, &c. Et D. Thom. in ſuppl. q. 52. art. 1.

De hac, extat illud firmiſsimum Dauidis teſtimonium, Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An ex deſcenſu Chriſti ad inferos aliquid dignitati Chriſti detractum ſit?

Etſi Chriſtus ad inferos deſcendit, nihil de eius ſumma poteſtate detractum eſt: neque eius ſanctitatis ſplendor maculâ aliquâ aſperſus: cùm potius hoc facto veriſsima eſſe omnia, quæ de illius ſanctitate celebrata erant, eumque Filium Dei eſſe, quemadmodùm anteà tot prodigijs declarauerat, apertiſsimè comprobatum ſit.

Id quod facilè intelligemus, ſi cauſas cur Chriſtus, & alij homines in ea loca venerint, inter ſe conferamus.

Cæteri enim omnes captiui deſcenderant: Ipſe verò inter mortuos liber, & victor, ad profligandos dæmones, à quibus illi ob noxam incluſi, & cōſtricti tenebantur, deſcendit.

Præter-

Prætereà alij omnes qui deſcenderunt, partim pœnis acerbiſsimis torquebantur, partim verò, vt alio doloris ſenſu carerent, tamē Dei aſpectu priuati, & ſpe beatæ gloriæ quam expectabant, ſuſpenſi torquebantur; At Chriſtus Dominus deſcendit, non vt aliquid pateretur, verùm vt Sanctos, & iuſtos homines ex miſerâ illius cuſtodiæ moleſtiâ liberaret, eiſq; paſsionis ſuæ fructum impertiret.

Quòd igitur ad Inferos deſcendit, nulla prorſus de ſumma eius dignitate, & poteſtate diminutio facta eſt.

QVAESTIO IIII.

Quibus de cauſis voluit Chriſtus ad Inferos deſcendere?

CONCLVSIO PRIMA.

Primò, vt ereptis dæmonum ſpolijs Sanctos illos Patres, cæteroſq; pios è carcere liberatos ſecum adduceret in cœlum.

Eſt Catech. §. His expoſitis docendum erit. Et D. Thom. p.3. q.52. art.1.

Hanc piorum liberationem Oſeas tanto ante prædixerat, c.13. in hūc modum: *Ero mors tua ô mors: morſus tuus ero Inferne.* Hanc etiam ſignificauit Zacharias Propheta, c.4. cùm ait: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.*

Idipſum quoque expreſsit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. illis verbis: *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Quomodo hoc fecerit Chriſtus in inferno declarat eleganter Catechiſmus his verbis: Statim enim Chriſti Domini aſpectus clariſsimā lucem captiuis attulit, eorumque animas immensâ lætitiâ, gaudioq; imple-

impleuit, quibus etiam optatiſsimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, impertiuit, quò facto id comprobatum eſt, quod latroni promiſerat, Luc. 23. illis verbis: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Vt hæc concluſio meliùs intelligatur, ſæpè illud memoriâ repetere debemus, pios homines non ſolùm, qui pòſt aduētum Domini in lucem editi erāt, ſed qui illum poſt Adam anteceſſerant, vel qui vſque ad finem ſæculi futuri ſunt, eius paſsionis beneficio ſalutem conſecutos eſſe: Quamobrem antequam ille moreretur, ac reſurgeret, cæli portæ nemini vnquā patuerunt: ſed piorum animæ cùm è viuis exceſsiſſent vel in ſinum Abrahæ deferebantur, vel, quòd etiam ijs nunc contingit, quibus aliquid diluendum & perſoluendum eſt, purgatorij igne expiabantur.

CONCLVSIO II.

Est illa præterea cauſa, cur deſcenderit ad inferos Chriſtus Dominus, vt ibi etiam, quemadmodum in cælo, & in terris, vim ſuam poteſtatemq; declararet, & omninò vt in nomine eius omne genu flecteretur, cæleſtiū, terreſtriū, & infernorum.

Eſt Cat. §. Eſt illa præterea, &c. Et D. Thomę ſup.

MONITIO.

Hoc loco quilibet ſummam Dei benignitatem in genus humanum admirari & obſtupeſcere debet, qui nō modò pro nobis acerbiſsimam mortē ſubire, ſed infimas etiam terræ partes penetrare voluerit, vt ſibi chariſsimas animas inde ereptas, ad beatitudinē traduceret.

QVAESTIO V.

Quis eſt ſenſus poſterioris partis articuli: Tertia die reſurrexit à mortuis?

Ante

ANte reſolutionem quæſtionis, vnū cum Catechiſmo obſeruandum eſt: Parochos & catechiſtas debere multum in hac articuli parte explicanda laborare: Declarant hoc illa Apoſtoli verba 2. ad Timoth. 2. cap. *Memor eſto Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis:* Quòd enim Timotheo præcepit, idem etiam reliquis animarum curatoribus præceptum eſſe, dubitandum non eſt.

Hoc præmiſſo reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO VNICA.

EA huius partis articuli ſententia eſt; Poſtquam Chriſtus Dominus ſextâ feriâ, horâ diei nonâ, in cruce ſpiritum emiſit, & eâdem die veſpere ſepultus eſt ab eius diſcipulis, qui Pilati præſidis permiſſu corpus Domini è cruce depoſitum in propinqui horti monumentum nouum intulerunt: tertio à morte die, qui fuit dominicus, ſummo mane illius anima corpori iterum coniuncta eſt, atque ita is qui triduum illud mortuus fuerat, ad vitam, ex quâ moriens diſceſſerat, rediit & reſurrexit.

Eſt Cat.§.Ea autē articuli eſt ſentētia,&c.Et colligitur ex D.Th.p.3. tota q. 53. & aliquot ſequentibus.

Hæc concluſio quia plura myſteria paucis verbis iiſque obſcurioribus complectitur, aliquot quæſtionibus dilucidiùs explicanda eſt.

QVAESTIO VI.

Quid eſt reſurgere hoc loco, & an ſit proprium Chriſto?

CONCLVSIO VNICA.

REſurrectionis voce nō illud ſolùm intelligēdū eſt Chriſtū à mortuis excitatum eſſe, quòd multis aliis cōmune fuit,

ne fuit, ſed ſua vi ac virtute reſurrexiſſe, quòd propriũ in illo fuit ac ſingulare.

Eſt Catech. §. Sed reſurrectionis voce, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 53. art 4.

Poſterioris partis ratio eſt iſta; Neque enim natura patitur, nec vlli homini conceſſum eſt, vt ſeipſum poſsit virtute ſua à morte ad vitam reuocare. Hoc verò ſummę Dei poteſtati tantummodò reſeruatum eſt, vt ex illis Apoſtoli verbis intelligimus, 2. corinth. 13. *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* Quæ quoniam neque à chriſti corpore in ſepulchro, neque ab animâ, cùm ad inferos deſcendiſſet, ſciuncta vnquam fuit; diuina vis tum in corpore inerat, quæ animę iterum cõiungi: tũ in anima, quâ ad corpus denuò reuerti poſſet, quâ & licuit ſua virtute reuiuiſcere, atque à mortuis reſurgere Id Dauid ſpiritu Dei plenus, prædixit his verbis, Pſalm. 97. *Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Deinde ipſe Dominus diuino oris ſui teſtimonio confirmauit, Ioann. 10. *Ego pono animam meam, & iterùm ſumam eam, & poteſtatem habeo ponendi eam, & iterùm ſumendi eam.* Iudæis etiã ad confirmãdam huius doctrinæ veritatẽ dixit, Ioann. 2. *Soluite tẽplum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Quòd quidẽ tametſi de tẽplo illo magnificè ex lapidibus ſtructo intelligerent, ille tamẽ, vt ex ſcripturæ verbis eodem in loco declaratum eſt, dicebat de tẽplo corporis ſui.

Non obſtat concluſioni, quòd in ſcripturis interdum legamus, chriſtum Dominum à Patre ſuſcitatum eſſe, vt Act. 2. & 3. & ad Rom. 8. Quia hoc ad eũ vt ad hominem referẽdum eſt, quemadmodum illa rurſus ad eundem vt Deum ſpectant, quibus ſignificatur eum ſua virtute reſurrexiſſe.

QVAE-

QVAESTIO VII.

Quomodo Chriſtus in ſcripturis dicitur primogenitus mortuorum, hoc eſt, primus omnium reſurrexiſſe, cùm multi alij ante eum reſurrexerint?

CONCLVSIO VNICA.

HAEc quæſtio vnica adhibitâ diſtinctione ſic reſoluēda eſt: Si de perfectâ reſurrectione loquamur, quâ ad immortalem vitam omni prorſus moriendi neceſſitate ſublatâ excitamur, Chriſtus primus omnium reſurrexit, atque ita benè ab Apoſtolo, ad Coloſſ.1.c. vocatur primogenitus ex mortuis. Et Apoc.1. primogenitus mortuorum. Rurſus ab Apoſtolo 1. ad Corinth.15. primitiæ dormientium; Sic enim ibi habet: Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniā quidem per hominē mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: Deinde ij qui ſunt Chriſti. Si verò loquamur de reſurrectione imperfectâ, hoc eſt, de reditu ad vitā, cui iterum moriendi neceſſitas adiuncta eſt, ante Chriſtum multi alij à mortuis excitati ſunt, qui omnes tamen eâ conditione reuixerunt, vt eis iterum moriendum eſſet: At Chriſtus ita reſurrexit morte ſubactâ & oppreſſâ, vt mori amplius nō poſſet, ſicut apertiſſimo teſtimonio Apoſtoli conſtat, ad Rom. 6.c. his verbis: Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Eſt Catech.§. Sed illud etiam Chriſti præcipuum fuit. Et D. Thom.p.3.q.53.art.3. neque eget maiori explicatione.

QVAESTIO IX.

Quare Patres Conſtantinopolitanæ Synodi, hanc particulam (ſecũdum ſcripturas) addiderunt ſymbolo, &c. Vnde illam deſumpſerunt?

CONCLVSIO I.

IDeo huic articulo addiderunt (*ſecũdum ſcripturas*) *quòd reſurrectionis myſterium, ſicut creditu eſt difficillimũ, ita etiam eſt maximè neceſſarium.*

Eſt Catech. §. Patres Conſtantinopolitanæ Synodi, &c.

Docet hanc Apoſtolus, 1. ad Corinth. 15. c. his verbis: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. Et ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.*

Quare D. Auguſtinus, cùm huius articuli fidem admiraretur, ita ſcripſit, in Pſalm. 120. *Non magnũ eſt credere, quia mortuus eſt Chriſtus, hoc & Pagani, & Iudæi & omnes iniqui credunt: hoc omnes credunt quia mortuus eſt: fides chriſtianorum, reſurrectio Chriſti eſt, hoc pro magno habemus, quia credimus eum reſurrexiſſe.*

Ex quo etiam factum eſt, vt frequentiſsimè Dominus de ſua reſurrectione locutus ſit: ac nunquam ferè de paſsione ſua cũ diſcipulis collocutus eſt, quin de reſurrectione loqueretur. Quare cùm dixiſſet, Luc. 18. *Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum:* ad extremum addidit: *Et tertiâ die reſurget.* Et cum Iudæi ab eo peterent, vt aliquo ſigno & miraculo doctrinam ſuam comprobaret, reſpondit nullũ

Eſt Catech. §. Deinde vt ſpes &c. Et Thom. ſup.

Cùm enim Chriſtus reſurrexit, certâ ſpe nitimur fore, vt nos etiam reſurgamus: ſiquidem membra capitis ſui conditionẽ conſequantur neceſſe eſt: Ita enim Apoſtolus argumentationem concludere videtur cùm ad Corinth. 1. epiſt. c. 15. & ad Theſſalonicẽſes 1. epiſt. c. 4. ſcribit: Et à Principe Apoſtolorũ Petro dictum 1. epiſt. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecũdum miſericordiam ſuam magnã, regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis in hereditatem incorruptibilem.*

CONCLVSIO IIII. ET VLTIMA.

Poſtremò, ob eam etiam rem reſurrectio Chriſti fuit neceſſaria, vt ſalutis & Redemptionis noſtræ myſteriũ abſolueretur.

Eſt Catech. §. Poſtremo ob eam rem. Et D. Tho. ſup.

Chriſtus enim morte ſua nos à peccatis liberauit, reſurgens verò præcipua dona nobis reſtituit, quæ peccando amiſeramus. Quòd docet Apoſtolus, ad Rom. 4. his verbis: *Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

QVAESTIO XI. ET POSTREMA.

Qui ſunt effectus reſurrectionis Chriſti: ſiue, Quantum vtilitatis adfert fidelibus Chriſti reſurrectio?

CONCLVSIO I.

Primò, Reſurrectio Chriſti confirmat nos in fide.

Eſt Catech. § In reſurrectione enim, &c,

Nam

Nam in reſurrectione Deum eſſe immortalem, plenum gloriâ, mortis & Diaboli victorem agnoſcimus: quod de Ieſu Chriſto ſine vlla dubitatione credendum & confitendum eſt.

CONCLVSIO II.

Deinde Chriſti reſurrectio nobis etiam reſurrectionē corporum noſtrorum parit, tum quia eius myſterij efficiens cauſa eſt, tum quia ad Domini exemplum reſurgere omnes debeamus.

Eſt Catech. §. Deinde Chriſti reſurrectio, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 56. art. 1.

Nam quod ad reſurrectionem corporis attinet, Apoſtolus ita teſtatur. 1. Corinth. 15. *Per hominē mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Quęcūque enim Deus in redemptionis noſtræ myſterio egit, ad omnia Chriſti humanitate, tanquam efficienti inſtrumento vſus eſt. Quare eius reſurrectio inſtrumentū quoddam fuit ad reſurrectionē noſtrā efficiendam.

Exemplar etiam dici poteſt, quoniā Chriſti Domini reſurrectio omnium eſt perfectiſsima: ac quēadmodùm Chriſti corpus reſurgens ad immortalē gloriam immutatum eſt; Ita noſtra etiam corpora, quæ prius imbecilla & mortalia fuerant, gloriâ & immortalitate ornata reſtituentur. Vt Apoſtolus docet, ad Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Hoc etiam de animâ in peccatis mortuâ dici poteſt: Cui quo pacto Chriſti reſurrectio exemplar proponatur, idem Apoſtolus ijs verbis oſtendit, ad Rom. 6. *Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; ſi enim cōplantati*

tati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Et paucis interiectis inquit: *Scientes quòd Chriſtus reſurgēs ex mortuis, iā non moritur, mors illi vltrà nō dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo: Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidē eſſe peccato, viuētes autē Deo in Chriſto Ieſu.*

Vnum hoc loco obſeruandum, quod Apoſtoli verba non ſolùm demonſtrant, Chriſti reſurrectionem & reſurrectionis exemplum nobis proponi, verumetiam reſurgēdi virtutem nobis præbere, vireſque & Spiritum largiri, quò in ſanctitate & iuſtitia permaneamus, ác Dei præcepta ſeruemus, declarant. Nam quemadmodùm ex eius morte non ſolum peccatis moriēdi exemplum capimus, ſed virtutem etiā haurimus quâ peccatis moriamur: Ita eius reſurrectio ad iuſtitiam conſequendam nobis vires affert, vt deinde piè & ſanctè Deum colentes in nouitate vitæ ambulemus, ad quam reſurgimus. Hoc enim maximè reſurrectione ſua Dominus effecit, vt qui anteà vnà cum illo peccatis & huic ſæculo mortui eramus, cum illo etiam ad nouam vitæ inſtitutionem & diſciplinam reſurgeremus.

MONITIO.

Duo à Chriſti reſurrectione exempla petere debemus. Vnum eſt, vt poſtquam peccati maculas eluimus, nouū vitæ genus inſtituamus, in quo morū integritas, innocētia, ſāctitas, modeſtia, iuſtitia, beneficētia, humilitas eluceāt. Alterū eſt, vt in eo vitæ inſtituto ita perſeueremus, vt adiuuante Dn̄o, à iuſtitię via, quam ſemel ingreſſi fuerimus, non excidamus.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ ſunt ſigna noſtræ reſurrectionis Spiritualis?

Huius reſurrectionis quæ potiſſimum ſigna obſeruanda

ſeruanda ſint, Apoſtolus ad Coloſs. 3. cap. nos admonet.

Nam cùm inquit: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens;* planè oſtendit eos, qui vitam, honores, otium, diuitias ibi maximè, vbi Chriſtus eſt, habere cupiũt, verè cum Chriſto ſurrexiſſe.

Cùm verò addit: *Quæ ſurſum sũt ſapite, nõ quæ ſuper terrã,* alteram etiam hãc veluti notam appoſuit; quâ perſpicere poſsimus num verè cũ Chriſto ſurreximus. Vt enim corporis affectionem, & valetudinem guſtus indicare ſolet: ita ſi quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta alicui ſapiant, iſque cæleſtium rerum iucunditatem intimo mentis ſenſu percipiat, hoc maximo argumento eſſe poteſt eum, qui ita affectus ſit, ad nouam & ſpiritalem vitam vnà cum Chriſto Ieſu ſurrexiſſe.

CAPI-

CAPITIS SEXTI ELVCIDATIO.

DE SEXTO SYMBOLI ARTICVLO.

Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

PRIVSQVAM Articulus explanetur vnum cum Catechiſmo obſeruandum eſt; Paſtores & Catechiſtas debere magno ſtudio hoc myſterium explicare, curareq́; vt fideles illud non ſolùm fide & mente percipiant, ſed quoad eius fieri poterit, iuuante Domino, factis etiam, & vitâ exprimere ſtudeāt; vt triumphū Chriſti in cælum aſcendentis ſummâ lætitiâ & gaudio celebrare poſsint; ad hoc eos hortatur Dauid Propheta, cùm beatam & glorioſam Domini aſcenſionem ſpiritu Dei plenus contemplaretur, Pſalm. 16. his verbis: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: Aſcendit Deus in iubilatione.*

QVAESTIO I.

Quæ eſt ſententia prioris partis articuli, Aſcendit ad cælos?

CONCLVSIO VNICA.

Sine vlla dubitatione credimus, & cōfitemur Chriſtum, perfecto iam & abſoluto Redemptionis noſtræ myſterio, vt homo eſt, in cælum corpore & animâ aſcendiſſe.

Eſt Catech. §. De Chriſto enim Ieſu, &c. Et colligitur ex D. Thom. p.3. tota q.57.

Dicitur in cóclusione(*vt homo eſt*) Nã vt Deus eſt, nunquã à cælo ab fuit, vt qui diuinitate ſuâ loca omnia compleat.

QVAESTIO II.

An Chriſtus aſcenderit in cælum ſuâ virtute, an alienâ?

CONCLVSIO VNICA.

CHriſtus non ſolùm vt Deus ſuâ præpotenti diuinitatis virtute in cælos aſcendit, ſed etiam vt homo eſt.

Eſt Catech. §. Aſcendiſſe autem eum ſuâ virtute. Et D. Thom. ſup. art. 3.

Quamuis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamen virtus illa quâ beata anima prædita erat, corpus vt libuit mouere potuit: Corpus verò quod iã gloriam adeptum erat, mouentis animæ imperio facilè parebit.

Ex quo colligitur aliter Chriſtum in cælum aſcẽdiſſe quàm Elias, 4. Reg. 2. qui igneo curru in cælum euectus eſt: vel Abacuch Propheta, Daniel 14. vel Philippus diaconus, Actuum 8. c. qui diuinâ virtute per aërem delati longingua terrarum ſpatia permearunt.

QVAESTIO III.

Quis eſt ſenſus alterius partis articuli: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?

CONCLVSIO VNICA.

CRedimus & confitemur Chriſtum vt hominem, præ cæteris omnibus hominibus gloriam adeptum eſſe.

Eſt catech. §. Eandem rem ad cæleſtia etiam trãſferentes, &c.

Colli-

Colligitur ex D. Thom. p.3. tota q. 58. & explicatur ſequenti quæſtione.

QVAESTIO IIII.

An Deus Pater habeat dexteram: Et, quid eſt Chriſtum ſedere ad dexterā Dei Patris?

CONCLVSIO I.

Deus Pater propriè loquendo non habet dexteram, tamen impropriè per tropum, id eſt, verbi mutationem, illi non malè dextera tribuitur.

Eſt Catech.§. Quo loco tropum. Et D. Thom. ſup. art. 1. ad 1

Prior cōcluſionis pars eſt clara. Cùm enim Deus ſpiritus ſit, nihil in eo corporeum cogitari poteſt.

Poſterior probatur: Nam ſicut in humanis rebus maiorem illi honorem tribui exiſtimamus qui ad dexteram collocatus eſt: ita eandē rem ad noſtram intelligentiam accommodatos, & ad cæleſtia tranſferentes, ad explicandam Chriſti gloriam, quam vt homo præ cæteris omnibus adeptus eſt, eū in Patris dexterâ ſedere rectè dicimus & confitemur.

CONCLVSIO II.

Cum dicimus Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, ſedere, tunc non ſitum aut figuram corporis ſignificat, ſed eam regiæ, ſummæq; poteſtatis ac gloriæ firmam & ſtabilē poſſeſſionem quam à Patre accepit, declarat.

Eſt Catech.§. Sedere autem hoc loco. Et D.Tho. ſup. art. 1.

Ex plicat hanc Apoſtolus, ad Epheſ.1.c. his verbis: *Suſcitans Chriſtum à mortuis, & conſtituens ad dexteram*

ſuam in cæleſtibus, ſuprà omnem poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: Et vt dicit Pſalmiſta Pſalm 8. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An ſedere ad dexteram Patris ſit proprium Chriſti?

Ex verbis Apoſtoli iam allegatis apparet hãc gloriam, adeo propriam & ſingularem Domini eſſe, vt cuiuis alij creatæ naturæ conuenire non poſsit.

Confirmat hoc ipſum idem Apoſtolus, ad Hæbreos 1. c. his verbis: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis?*

Et explicat D. Thom. p. 3. q. 58. art. 1.

Et hæ quidem quæſtiones ſic explicatæ videbantur ſufficere pro intellectu qualicumque huius articuli: verùm vt myſteriorum Aſcenſionis & ſeſsionis chriſti ad dexteram Dei Patris, præſtantia & maieſtas pleniùs intelligatur, catechiſmus vlteriùs ſubijcit aliquot alias quæſtiones ex hyſtoriâ Aſcenſionis Chriſti Domini Actuum 1. c. deſumptas, quæ ideò à nobis etiam explicandæ veniunt.

QVAESTIO V.

Myſterium Aſcēſionis Chriſti in quibus præſtat reliquis eius myſterijs?

CONCLVSIO PRIMA.

MYſterium Aſcenſionis Chriſti Domini in eo primùm videtur reliqua Redemptionis noſtræ myſteria ſuperare, quòd cætera omnia myſteria ad Aſcenſionem tanquã ad finem referuntur, in eoq́ omnium perfectio & abſolutio continetur.

Eſt catech. §. In cuius explicatione illud, &c.

Proba-

Probetur & explicatur: Nam vt ab incarnatione Domini omnia religionis noſtræ myſteria initium habent: ita Aſcenſione eius peregrinatio cócluditur.

CONCLVSIO II.

PRætereà, hoc myſterium in eo alijs præſtat quòd alia ſymboli capita, quæ ad Chriſtum Dominum pertinent, ſummam eius humilitatem & cõtemptionem oſtendunt: Neque enim abiectiùs aut humiliùs quicquam cogitari poteſt, quàm quòd Filius Dei pro nobis humanam naturam & imbecillitatem aſſumpſerit, patiq́; & mori voluerit; at verò, quod tum ſuperiori articulo à mortuis reſurrexiſſe, nunc verò in cælum aſcendiſſe, & ad dexteram Dei Patris ſedere confitemur, nihil ad eius ſummam gloriam, diuinamq́; maieſtatem declarandam magnificentiùs dici, aut admirabiliùs poteſt.

Eſt Catech. §. Prætereà alia ſymboli capita: neque eget maiori explicatione.

QVAESTIO VI. ET POSTREMA.

Quare Chriſtus aſcendit ad cælos, nec in terrâ regnum ſuum conſtituere voluit?

ANTE reſolutionem, notandum Catechiſmum quamdiligentiſsimè hanc quæſtionem proſequi à §. Accurate dicendum eſt, vſque ad finem huius capitis: Similiter & D. Thomam. p.3.q.57.art.6. Quibus locis plurimas huius rei cauſas recenſent, quæ ſic diſtingui poſſe videntur, vt quædam ſumantur ex parte ipſius Chriſti aſcendentis, quædam ex parte noſtri.

Hoc prænotato, his concluſionibus reſpondendum eſt.

CONCLVSIO I.

PRimùm Chriſtus aſcendit ad cœlos, proptereà quòd eius corpori, quod immortalitatis gloriâ in reſurrectione donatum fuerat, non terrenæ huius & obſcuræ habitationis locus, ſed altiſsimum & ſplendiſsimum cœli domicilium conueniret.

Eſt Catech.§. Primùm enim aſcendit. Et D. Tho. ſupra.

CONCLVSIO II.

SEcundò aſcendit non ſolùm vt eius gloria & regni ſoliũ potiretur, quod ſanguine meruerat, verumetiàm vt ea quæ ad ſalutem noſtram pertinent, curaret.

Eſt Catech.§. Nec verò ſolùm. Et D. Thom. ſup.

CONCLVSIO III.

DEinde aſcendit Chriſtus, vt regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo re ipſa comprobaret.

Eſt Catech.§. Deinde vt regnum ſuum, &c.

Explicatur: Nam huius mundi regna terrena & fluxa ſunt, magniſque opibus & carnis potentiâ nituntur; Chriſti verò regnum non terrenum, quale Iudæi expectabant, ſed ſpirituale & æternum: itemque eius opes & diuitias ſpiritales eſſe ipſe oſtendit, cùm ſuam ſedem in cælis collocauit. In quo quidem regno illi ditiores, & omnium bonorum copiâ affluentiores exiſtimandi ſunt, qui ea quæ Dei ſunt diligentiùs quærunt. Nam & Sanctus Iacobus teſtatur, c. 2. Deum elegiſſe pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.

CONCLVSIO IIII.

PRætereà Chriſtus Dominus ad cœlos aſcendere voluit, vt nos

nos eum aſcendentem mente & deſiderio proſequeremur.

Eſt Catech.§.Sed illud etiam Dñs noſter,&c.

Nam quemadmodùm morte & reſurrectione ſuâ moriendi, & reſurgendi ſpiritu exemplum nobis reliquerat; ita aſcēſu nos docet atque inſtruit, vt in terris poſiti, in cęlum nos cogitatione conferamus, confitentes nos peregrinos, & hoſpites eſſe ſuper terram, ac patriam inquirentes, ciues eſſe ſanctorum, & domeſticos Dei: *Noſtra enim*, vt idem inquit Apoſtolus, ad Philipp.3. *conuerſatio in cælis eſt.*

CONCLVSIO V.

Aſcendit etiam ad cælos vt inde mitteret dona hominibus.

Eſt Catech.§.Iam verò vim & magnitudinem,&c.

Hanc rationem diuinus Dauid Apoſtolo interprete, ad Epheſ. 4. multò ante cecinerat illis verbis, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: Nam decimo die Spiritum Sanctum dedit, cuius virtute atque vbertate compleuit præſentem illam fidelium multitudinem, & verè tum magnifica illa promiſſa perſoluit, Ioann. 16. cap. *Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos.*

CONCLVSIO VI.

Aſcendit etiam in cælum, ex Apoſtoli ſentētiâ, ad Hæbreos 2. c. vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, & apud Patrem aduocati officio fungatur.

Eſt Catech.§.Aſcendit etiam in cælum, &c. Et D. Thom.ſup.art.6.

Hanc rationem habet, D. Ioannes 2. epiſtolæ 2. c. cùm ait: *Filioli mei hæc ſcribo vobis vt non peccetis, ſed et ſi*

quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem Ieſũ Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

MONITIO.

Hic obiter monendum eſt cum catechiſmo, nihil eſſe vnde fideles maiorem lætitiam, & animi iucunditatem capere debeant, quàm Ieſum chriſtum patronum cauſę ac deprecatorem ſalutis noſtrę conſtitutum eſſe, cuius ſit apud æternum Patrem ſumma gratia & auctoritas.

CONCLVSIO VII.

AScendit inſuper in cælum vt præpararet nobis locum, quòd etiam ſe facturum promiſerat, atque omnium noſtrum nomine caput ipſe Ieſus Chriſtus venit in cæleſtis gloriæ poſſeſſionem.

Eſt Catech. §. Parauit denique nobis locum. Et D. Thom. ſup.

Explicatur: Nam in cælum abiens, portas, quæ Adami peccato intercluſæ fuerant, patefecit, nobiſque viam muniuit, quâ ad cęleſtem beatitudinem perueniremus: quemadmodùm ipſe in cœna diſcipulis futurum prædixerat. Quòd quidem vt rei etiam euentu apertè comprobaret, piorum animas, quas ab inferis eripuerat, ſecum in æternæ beatitudinis domicilium introduxit.

CONCLVSIO VIII.

DEnique aſcendit Chriſtus vt fidei noſtræ merito cumulus maximus accederet.

Eſt catech. §. Primùm enim fidei noſtrę. Et D. Thom. ſup.

Probatur: Nam fides earum rerum eſt, quæ ſub aſpectum non cadũt, atque ab hominum ratione ac

intelligentiâ remotæ ſunt. Quare ſi Dominus à nobis non diſceſsiſſet, fidei noſtræ meritũ minueretur, ſiquidem à Chriſto Domino beati prædicantur, qui non viderunt & crediderunt.Ioann. 20.

CONCLVSIO IX.

PRæstereà Christi in cælum aſcenſus ad confirmandam ſpem in cordibus noſtris,magnum momentum habet.

Eſt Catec.§ Præstereà Chriſti. Et D. Thom. ſup.

Nam quoniam Chriſtum hominem in cælum aſcendiſſe, & humanam naturam in dextrâ Dei Patris collocâſſe credimus,magna in ſpe ſumus,fore vt nos etiam,eius membra,illuc aſcendamus,atque ibi cum capite noſtro coniungamur:quòd ipſe Dominus his verbis teſtatus eſt,Ioan. 17. *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.*

CONCLVSIO X.

DEinde hoc quoque vel maximum beneficiũ conſecuti ſumus, quod amorem noſtrum ad cælum rapuit ac diuino ſpiritu inflammauit.

Eſt Catech.§.Deinde hoc quoque, &c. Et D. Thom. ſup.

Probatur: Nam veriſsimè dictum eſt, Matth.6.c. *Ibi cor noſtrum eſſe vbi theſaurus noſter eſt.*

Et confirmatur multipliciter; Primò, Nam profectò ſi Chriſtus Dominus in terris verſaretur, omnis noſtra cogitatio in ipſo hominis aſpectu & conſuetudine defixa eſſet, & illum dumtaxat hominem ſpectaremus, qui nos tantis beneficijs afficeret, eumque terrena quadam beneuolentia proſequeremur; verùm in cælum aſcendens, amorem noſtrum ſpiritualẽ reddidit effecitq́; vt quem abſentem nũc cogitamus, eum vt Deum veneremur ac diligamus.

Confirmatur ſecundò exemplo Apoſtolorum, quibus dum præſens adfuit Dominus, humano ferè ſenſu de illo iudicare videbantur.

Tertiò confirmatur ipſius Chriſti teſtimonio, Ioannis 16. vbi ait: *Expedit vobis vt ego vadam, ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos*; quia videlicet imperfectus ille amor, quo Chriſtum Ieſum diligebãt, diuino amore perficiendus erat, idque Spiritus ſancti aduentu.

CONCLVSIO XI.

Aſcendit etiam Chriſtus, vt in terris domum ſuam, hoc eſt Eccleſiã, amplificaret, quæ Spiritus ſancti virtute & ductu gubernaretur.

Eſt Catech. §. Accedit etiam, &c.

Nam chriſtus Eccleſiam ſuam corporaliter relinquẽs in terris loco ſui Paſtorem & ſuum Antiſtitem Petrum Apoſtolorum Principẽ reliquit: tum verò dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores: atque ita ad dexteram Patris ſedẽs, alijs atque alijs diuerſa dona ſemper impertitur. Nam teſtatur Apoſtolus, ad Epheſ. 4. vnicuique noſtrũ datam eſſe gratiam ſecundum menſuram donationis chriſti.

CONCLVSIO XII. ET POSTREMA.

Ad extremum, Chriſtus aſcendit ad cælos, vt diuinam virtutem, quâ ad cælos tandem aſcenderemus, nobis largiretur.

Eſt Catech. §. Ad extremum verò, &c.

Nam quod anteà de mortis & reſurrectionis myſterio docuimus, idem etiam de aſcenſu fidelibus cogitandũ eſt. Quamuis enim chriſti paſsioni ſalutem,

&redemptionem noſtram debeamus, qui merito ſuo aditum iuſtis ad cælum aperuit: tamen eius aſcẽ-ſus nõ ſolùm veluti exemplar nobis propoſitum eſt, quò altè ſpectare, & Spiritu in cælum aſcendere diſcamus: ſed diuinam etiam virtutem, qua id efficere poſsimus, largitus eſt.

CAPITIS SEPTIMI ELVCIDATIO.

DE SEPTIMO SYMBOLI ARTICVLO.

Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

ANTE explicationẽ huius articuli vnũ cum catechiſmo notandum eſt, articulum præſentem bono ordine ſubſequi præcedentes: Nam cùm tria ſint Domini noſtri Ieſu chriſti ad ſuam Eccleſiam decorandam & illuſtrandam inſignia officia & munera, redemptionis, patrocinij & iudicij: poſtquam ſuperioribus articulis ab eo genus humanum paſsione & morte redemptum eſſe, aſcenſu etiã in cælum noſtram cauſam & patrocinium in perpetuum ſuſcepiſſe doctum eſt, bono ordine ſequitur vt eius iudicium hoc articulo declaretur.

QVAESTIO I.

Quis eſt ſenſus huius articuli?

CONCLVSIO VNICA.

Hvius articuli ea vis eſt & ratio, ſummo illo die Chriſtum Dominum de vniuerſo hominum genere iudicaturum eſſe.

Eſt catech. §. cuius articuli ea vis eſt, &c. & colligi poteſt, ex D. Thom. p. 3. tota q. 59.

Porrò cùm in paucis huius articuli verbis multa & magna recluſa ſint myſteria, illa cum catechiſmo aliquot quæſtionibus aperienda & explicanda ſunt.

QVAESTIO II.

Quot ſunt Chriſti aduentus: Et quibus nominibus aduentus Chriſti ad iudiciũ appellatur in ſcripturis ſacris?

CONCLVSIO I.

Sacræ litteræ duos filij Dei aduentus eſſe teſtantur: Alterum, cùm ſalutis noſtræ cauſa carnem aſſumpſit, & homo in virginis aluo effectus eſt: Alterũ cùm in conſummatione ſæculi ad iudicandos omnes homines veniet.

Eſt. catech. §. Sacræ enim litteræ. Et D. Thom. in addit q. 90. art. 2.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Aduentus Chriſti ad iudicium in ſacris litteris appellatur Dies Domini.

Eſt catech. §. Hic aduentus in ſacris litteris, &c.

Ita enim appellat D. Petrus 2. epiſtolæ 3. c. & de hoc Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. c. ita ait, *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet:* Et ſaluator ipſe, Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo ſcit.*

QVAE-

QVAESTIO III.

An poſſit probari ex ſacris ſcripturis futurum iudicium? Et quotuplex eſt iudicium?

CONCLVSIO I.

Iudicium futurum euidenter probat illa auctoritas Apoſtoli 2. ad Corint. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.

Eſt Catech. §. Ac de ſummo iudicio.

Poteſt & alijs ſacrę ſcripturę auctoritatibus facilè probari: Plena enim eſt ſacra ſcriptura teſtimoniorum quæ paſsim Parochis occurrent, ad rem non ſolùm comprobandam, ſed etiam oculis ſubijciendam: vt quemadmodùm à mundi initio dies ille Domini, quo humanam carnem ille induit, omnibus optatiſſimus ſemper fuit, quòd in eo myſterio liberationis ſuæ ſpem poſitam haberent: Ita deinceps poſt filij Dei mortem, & aſcenſum in cælum, alterum diem Domini vehementiſsimo ſtudio deſideremus, expectantes beatam ſpem, & aduentũ gloriæ magni Dei.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Duplex eſt iudicium: vnum priuatum, aliud generale. Eſt Catech. §. Sed duo tempora. Et D. Thom. p. 3. q. 59. art. 5.

Priuatũ vocatur illud quod fit cùm vnuſquiſq; noſtrũ migrat è vitâ: Nã ſtatim ad Dei tribunal ſiſtitur, ibique

ibique de omnibus iuſtiſsima quæſtio habetur, quæcumq; aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit vnquam.

Generale appellatur, cùm vno die, atque vno in loco omnes ſimul homines ad tribunal iudicis ſtabunt, vt omnibus omnium ſæculorum hominibus inſpectantibus & audiẽtibus, ſinguli quid de ipſis decretum & iudicatum fuerit cognoſcant.

MONITIO.

Hic obiter notandum cum Catechiſmo iſtam publicam inſpirationem & auditionem iudicij generalis impijs & ſceleſtis futuram nõ minimam pœnarum & ſuppliciorum partem, ſicut contrà pijs & iuſtis, premiorum.

DIFFICVLTAS VNICA PERMAXIMI MOMENTI.

Cur præter priuatum iudicium de ſingulis, alterum etiam iudicium generale de vniuerſis hominibus exerceri debet?

Primò, quia cùm vel ipſis hominibus mortuis interdum ſuperſtites ſint filij parentum imitatores, reliqui ſint liberi, diſcipuli exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores, quibus rebus ipſorum mortuorum præmia, & pœnas augeri neceſſe eſt: cùm hæc vel vtilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens nos prius finem habitura ſit, quàm extremus veniat mundo dies: æquum erat de vniuerſa hac rectè, aut perperam factorum, dictorumq; ratione perfectam quæſtionem haberi: quòd fieri non poterat, niſi facto communi omnium hominũ iudicio.

Accedit, quòd cùm piorum fama ſæpè lædatur, impij verò innocentiæ laude commẽdentur, diuinæ iuſtitiæ

iuſtitiæ ratio poſtulat, vt pij ereptam iniuriâ apud homines exiſtimationem in publico vniuerſorum hominum conuentu & iudicio recuperent.

Deinde boni & mali homines, quæcũque in vita egerunt, cùm non ſine corporibus egerint: omninò ſequitur, vt benè facta, ſiue male facta ad corpora etiam pertineant, quæ actionum ipſarum inſtrumẽtum fuerunt. Maximè igitur conueniebat, corporibus vnà cum eorum animis debita æternæ gloriæ pręmia, aut ſupplicia impertiri: quòd quidem neque ſine omnium hominum reſurrectione, neque ſine generali iudicio fieri poterat.

Inſuper quoniam in aduerſis & ſecundis hominũ rebus, quæ promiſcuè nonnunquam bonis & malis eueniunt, probandum erat, nihil infinita Dei ſapientia & iuſtitia geri, ac gubernari, par fuit non ſolùm bonis præmia, improbis ſupplicia in futuro ſæculo conſtitui, verũetiàm publico ac generali iudicio decerni: quo omnibus notiora & illuſtriora fierent, atque vt Deo iuſtitię & prouidẽtiæ laus ab hominibus tribueretur, pro iniuſta illa querela, qua ſancti etiam viri deplorare interdùm vt homines ſolebant, cùm improbos valentes opibus, & honoribus florentes animaduerterẽt. Nã Propheta, Pſalm. 72. *Mei*, inquit, *penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacẽ peccatorum videns.* Et paulò poſt: *Ecce ipſi peccatores, & abundãtes in ſæculo, obtinuerunt diuitias: & dixi. Ego ſine cauſa iuſtificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis*: Atque hæc frequẽs querela multorũ fuit. Ergo neceſſe erat, vt generale iudiciũ exerceretur, ne fortè homines dicerẽt, Deum circà cardines cæli perambulantem non curare terrena.

Prætereà

Prætereà propoſito iudicio pios recreari, impios terreri oportebat, vt cognitâ Dei iuſtitiâ, illi ne deficerent, hi à malis æterni ſupplicij metu atque expectatione reuocarentur. Ideo tam ſedulò Dominus & Saluator noſter, cùm de extremo die loqueretur, declarauit futurum aliquando generale iudicium: ſignumque aduentantis eius tēporis deſcripſit, vt, cùm, illa viderimus, finem ſæculi prope eſſe intelligamus; ac deinde in cælum aſcendens Angelos miſit, qui Aſtolos eius abſentiâ mærentes, his verbis conſolarentur, Act. 1. *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cælum*

Conſule D. Thomam locis ſuprà allegatis.

QVAESTIO IIII.

Secundum quam naturam conuenit Chriſto Domino iudicare genus humanum?

CONCLVSIO VNICA.

CHriſto Domino nō ſolùm vt Deo, ſed etiam vt homini hoc iudicium datum eſſe, ſacræ litteræ declarant.

Eſt Catech. §. Verùm Chriſto Domino. Et D. Thom. ſup.. art. 1. & 2.

Quòd iudicaturus ſit vt Deus manifeſtum eſt: Poteſtas enim iudicandi illi cum alijs ſanctæ Trinitatis perſonis eſt communis.

Quòd autem vt homo iudicaturus ſit mundum, Domini teſtimonio confirmatur, qui inquit, Ioan. 5. *Sicut habet Pater vitā in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo, &c. & poteſtatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis eſt.*

DIFFICVLTAS I.

Cùm poteſtas mundum iudicandi ſit communis tribus in Trinitate perſonis, quare præcipuè & ſpeciatim attribuitur filio etiam vt Deo?

Quia à ſapientiâ ſumitur forma & ratio iudicij: Sapientia autẽ attribuitur filio, ſicut antè docuimus, cùm ageremus de attributis diuinarũ perſonarum.

DIFFICVLTAS II.

Decuítne etiam vt Chriſtus Dominus in quantũ homo hoc iudicium exerceret?

Decuit maximè à Chriſto Domino vt homine hoc iudicium exerceri.

Primò, vt, cùm de hominibus decernendũ eſſet, illi corporeis oculis iudicem videre, & auribus ſententiã, quæ proferebatur, audire poſſent, & omninò iudicium illud ſenſibus percipere.

Præstereà æquiſsimum erat, vt homo ille qui iniquis hominum ſententijs condemnatus fuerat, omnium deinde iudex ſedere ab omnibus cõſpiceretur. Quamobrem Apoſtolorum Princeps, cùm in Cornelij domo ſumma chriſtianæ religionis capita expoſuiſſet, docuiſſetque Chriſtum à Iudæis in ligno ſuſpenſum, atque occiſum, tertiâ verò die ad vitam reſurrexiſſe, ſubiunxit, Act. 10. *Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui cõſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.*

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. art. 2.

QVAESTIO V.

Quæ ſunt præcipua ſigna generale iudicium anteceſſura?

CONCLVSIO VNICA.

Tria hæc præcipua ſigna iudiciũ anteceſſura eſſe ſacræ litteræ declarant, prædicationem Euangelij per vniuerſum orbem, diſceßionem, & Antichriſtum.

Eſt Catech. §. Tria hæc præcipua.

Sic enim inquit Chriſtus Dominus, Matth. 28. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Et Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. c. nos admonet ne ab aliquo ſeducamur, quaſi inſtet dies Domini, quoniã niſi venerit diſceſsio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, iudicium non fiet.

QVAESTIO VI.

An poſſit forma & ratio extremi iudicij ex ſacris litteris colligi & agnoſci?

CONCLVSIO VNICA.

Quæ iudicij forma & ratio futura ſit, ex Danielis oraculis, tum ex ſanctorum Euangeliorum & Apoſtoli doctrinâ facilè eſt colligere.

Eſt Catech. §. Quæ autem iudicij forma.

Colligimus enim ex ſacris Euangelijs ipſam ſententiam Iudicis, quæ maximè ad formam & rationẽ iudicij pertinet; De qua cum Catechiſmo aliquantò diligentiùs peculiari quæſtione agendum eſt.

QVAESTIO VII.

Quæ erit ſententia definitiua Chriſti Iudicis?

CONCLVSIO I.

Chriſtus Saluator noſter lætis oculis pios à dextrâ ſtãtes intuens,

intuens, ita de illis iudicium ſumma cum benignitate pronũciabit, Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, poßidete regnũ quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.

Eſt Catech. §. Chriſtus enim Saluator.

Quòd hæc ſententia ſit conuenientiſsima, patet duobus modis;

Primò, ex collatione cum ſententia & dãnatione impiorum, de qua ſtatim dicemus.

Deinde ex ipſis ſententiæ verbis, quibus præmia iuſtorum totuſq́; eorũ futurus ſtatus deſcribuntur.

Probatur & explicatur: Nam ex his intelligimus pios & iuſtos homines à laboribus ad quietem, à lachrymarum valle ad ſummũ gaudium, à miſerijs ad perpetuam beatitudinẽ, quam illi charitatis officijs promeriti ſunt, vocari.

CONCLVSIO II.

Deinde ad eos, qui à ſiniſtrâ ſtabunt conuerſus, ſuam iuſtitiam in eos effundet, his verbis, Matth. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.

Eſt Catech. §. Deinde ad eos, &c.

Quòd hæc quoque impiorum ſententiâ ſit conuenientiſsima, patet ex intellectu ſingulorum verborum, quibus illorum pœnę totuſq́; futurus infęliciſsimus ſtatus clarè depingitur.

Prioribus enim illis verbis: *Diſcedite à me*, maxima pœna ſignificatur, quâ impij plectendi erunt, cùm à Dei aſpectu quamlongiſsimè eijcientur: neque vlla ſpes eos conſolari poterit, fore aliquando, vt tanto bono perfruantur. Atque hæc quidem à Theologis *pœna damni* appellata eſt, quòd ſcilicet impij apud inferos diuinæ viſionis luce perpetuò carituri ſint.

Quod verò additur, *Maledicti*, mirum in modum auget illorum miſeriam & calamitatem. Si enim, cũ à diuina præſentia expellẽdi eſſent, aliqua ſaltem benedictione digni haberentur, hoc profectò magno eis ſolatio eſſe potuiſſet. At quoniã nihil huiuſmodi ipſis expectandum eſt, quod calamitatem leuiorem faciat, iure optimo cùm expellentur, diuina iuſtitia eos omni maledictione perſequetur.

Sequitur deinde, *In ignem æternum*: quod quidem alterum pœnarum genus, *pœnam ſenſus* Theologi vocarunt, propterea quòd ſenſu corporis percipiatur, vt in verberibus & flagellis, alióue grauiore ſuppliciorum genere: Inter quæ dubitari non poteſt, ignis tormenta ſummũ doloris ſenſum efficere; Cui malo cùm accedat, vt perpetuum tẽpus duraturũ ſit, ex eo oſtẽditur damnatorum pœnam omnibus ſupplicijs cumulandam eſſe.

Hoc idem declarant verba illa, quæ in extrema ſẽtentiæ parte poſita ſunt: *Qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*: Cùm enim ita comparatum ſit, vt omnes moleſtias leniùs feramus, ſi calamitatis noſtræ ſociũ aliquem & conſortem habeamus, cuius prudẽtia atque humanitate aliqua ex parte iuuari poſsimus: quę erit tandem damnatorum miſeria, quibus in tantis ærumnis à perditiſsimorum Dæmonum ſocietate diuelli nunquam licebit?

DIFFICVLTAS VNICA.

Vnde maximè demonſtrari poteſt, iuſtitia & æquitas huiuſmodi ſententiarum?

Chriſtus Saluator noſter demonſtrat illã ex operibus miſericordiæ, vel præſtitis per pios homines, vel non pręſtitis per impios, quando dicit, Matth. 25. *Venite benedicti*, &c. *Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare*,

ducare: Sitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me,&c.

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſuo more infert duo Documenta Spiritualia;

Primùm, fideles omnes, qui extremum iudicij diẽ credunt, debere illum ſæpè meditari & memoria repetere, propter plurimas & maximas vtilitates, quas huiuſmodi meditatio ſecum adfert, & præcipue has duas.

Primò nos à peccatis abſterret: quod teſtatur Eccleſiaſticus c. 7. his verbis; *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Et confirmatur: Nam profectò quis adeò præceps in ſcelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis ſtudium non reuocet, fore aliquãdo vt ei apud iuſtiſsimum Iudicem, omnium nõ ſolùm factorum, dictorumque, ſed occultiſsimarũ etiam cogitationum ratio reddenda, & pro meritis pœna perſoluenda ſit.

Secundò iuſtos ad colendam iuſtitiam incitat, & in omnibus huius vitæ calamitatibus maximè conſolatur.

Explicatur: Nam cùm iuſtus in ſumma egeſtate, vel infamia, vel etiam in medijs cruciatibus conſtitutus animum ad eum diẽ refert, quo poſt ærũnoſæ huius vitæ certamina, victor, vniuerſis hominibus audientibus, declarabitur, & diuinis, atque illis quidem æternis honoribus in cæleſtem patriã receptus afficietur, neceſſe eſt profectò vt ad perſeuerandum in via iuſtitiæ magis ac magis animetur, ac ſumma cõnſolatione & lætitia efferatur.

Alterum Paſtores & Catechiſtas debere hortari

fideles,vt optimè viuẽdi rationem comparent, & ad omne pietatis ſtudium ſe exerceant, quò poſſint aduentantem magnum illum diem Domini maiore cũ ſecuritate animi expectare, atq; adeò, vt filios decet, cum ſumma cupiditate expetere.

Et hæc qnoque pro explicatione ſeptimi articuli ſufficiunt.

CAPITIS OCTAVI ELVCIDATIO.

DE OCTAVO SYMBOLI ARTICVLO

Credo in Spiritum ſanctum.

INITIO explicationis huius articuli tria in Catechiſmo notanda ſunt;

Primùm, articulum de Spiritu ſancto optimo ordine præcedentes ſubſequi: Nã illi propoſuerunt nobis credenda, quæ pertinebant ad primam & ſecundam Diuinæ naturæ perſonam; hic verò proponit illa, quæ pertinent ad tertiam.

Secundùm,Chriſtianos omnes teneri ad diſtinctam huius articuli, quæ eſt de Spiritu ſancto, notitiam. Quòd ſatis apertè ſignificauit Apoſtolus Actuũ 19.cap. qui cum ab Epheſijs quæſiuiſſet, an Spiritum ſanctum accepiſſent,& illi ne ſi Spiritus ſanctus quidem eſſet,reſpondiſſent,ſtatim rogauit; In quo ergo baptizati eſtis? Quibus verbis proculdubio ſignificare voluit diſtinctã & explicitã huius articuli notitiam omnibus fidelibus ad ſalutem eſſe neceſſariam.

Poſtremùm,cognitionem huius articuli multum valere ad humilitatem & modeſtiam in nobis generandã. Nam qui attentè ſecum cogitat,quod hic articulus docet,nimirum ſe quicquid habet,Spiritus ſancti munere & beneficio conſecutum eſſe,ſtatim de ſe ipſo modeſtiùs & humiliùs ſentiet,& in Dei præſidio omnem ſpem ponere incipiet,qui eſt primus gradus homini chriſtiano ad veram ſapientiã & fælicitatem.

QVAESTIO I.

An nomẽ Spiritus ſancti ſit proprium tertiæ in diuinitate perſonæ?

CONCLVSIO I.

Nomen Spiritus ſancti generaliter loquendo non eſt nomen proprium, ſed commune, non ſolùm toti Trinitati, ſed creaturis.

Eſt Catech.§.Nam cum illud æquè de Patre,&c.Et D. Thom. p.1. q.36. art.1.

Ratio eſt euidens: Illud enim æquè de Patre & Filio rectiſsimè dicitur: vterque enim Spiritus eſt, & ſanctus,ſiquidem Deum Spiritum eſſe cõfitemur: Deinde hac voce, Angeli etiam & piorum animæ ſignificantur.

CONCLVSIO II.

In hoc articulo Spiritus ſancti nomine tertia Trinitatis perſona propriè ſignificatur: quomodo in ſacris litteris tum veteris nonnunquam, tum noui teſtamenti frequenter accipitur.

Eſt. catech.§.Quare docendum eſt in hoc articulo.Et D. Thom. ſup.

Sic enim precatur Dauid, Pſalm. 50. *Et Spiritum ſanctum ne auferas à me.* Et libro Sapient. 9.c. legimus:

Senſum tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſsimis? Et alibi Eccleſ. 1. cap. *Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto.*

In nouo verò Teſtamento, Matth. 28. c. iubemur baptizari: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſācti. Tum verò à ſancto Ioanne, c. 1. ad Chriſtum mittimur qui nos in Spiritu ſancto baptizet: ac plurimis præterea alijs in locis ea vox legentibus occurret.

DIFFICVLTAS I.

Quare tertiæ perſonæ minus eſt attributum proprium nomen, quàm primæ & ſecundæ?

Secūda perſona ideò propriū nomē habet, & Filius dicitur, quia eius æternus à Patre ortus propriè generatio vocatur, vt in ſuperioribus articulis explicatū eſt. Vt igitur ortus ille generationis nomine ſignificatur: ita perſonam quæ emanat, propriè Filium appellamus, & à quâ emanat, Patrem. Nunc cùm tertiæ perſonæ deductioni proprium nomen impoſitum non ſit, ſed ſpiratio & proceſsio appelletur, ſequitur vt etiā perſona quæ producitur, ſuo nomine careat.

Nullum autem proprium nomen eius emanatio habet, propterea quòd nomina, quæ Deo tribuūtur, à rebus creatis mutuari cogimur: in quibus quoniā nullam aliam naturæ & eſſentiæ communicandæ rationem, quam generādi virtute agnoſcimus, ob eam cauſam fit, vt rationem, quâ ſe ipſum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non poſsimus. Quare communi Spiritus ſancti nomine tertia perſona appellata eſt.

Eſt etiam doctrina D. Thom. p. 1. q. 36. art. 10.

DIFFICVLTAS II.

An conuenienter nomen Spiritus ſancti attribuatur tertiæ in Trinitate perſonæ.

Dicen-

Dicendum rectè attribui: Nam ſpiritualem vitam in nos effundit, ac ſine eius ſanctiſsimi numinis afflatu nihil æternâ vitâ dignum efficere poſſumus.

QVAESTIO II.

An Spiritus ſanctus ſit Deus Patri & Filio per omnia æqualis, videlicet æquè omnipotens, æternus, & infinitæ perfectionis?

CONCLVSIO VNICA.

SPiritus ſanctus eſt Deus, eiuſdem omninò cum Patre, & Filio naturæ, illiq́ per omnia æqualis.

Eſt Catech. §. Docendus eſt imprimis populus, &c. Et D. Thom. p. 1. q. 36. & 42

Probatur multipliciter; Primò quidem illius vocis, *In*, cum dicimus, *Credo in Spiritũ ſanctum*, proprietas ſatis indicat, quę ad exprimendã fidei noſtrę vim, ſingulis Trinitatis perſonis appoſita eſt.

Id etiam aperta ſacrarum litterarum teſtimonia confirmant. Nam cùm ſanctus Petrus in Actis Apoſtolorum. cap. 5. dixiſſet: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto?* mox inquit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*: quem prius Spiritum ſanctum appellauerat, eundem ſtatim Deũ vocat. Apopoſtolus etiam ad Corinthios, quem Deum dixerat, Spiritum ſanctum eſſe interpretatur: *Diuiſiones*, inquit, 1. Corint. 12. *operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Deinde ſubiungit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Præterea in Actis Apoſtolorum, quod vni Deo Prophetæ tribuũt, ille Spiritui ſancto adſcribit. Dixerat enim Eſaias c. 6. *Audiui vocem Domini dicentis:*

Quem mittam? & dixit mihi: Vade & dices populo huic, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat. Quæ verba cum Apoſtolus citaret, Act. 8. *Benè inquit, Spiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiam Prophetam.*

Deinde cùm ſcriptura Spiritus ſancti perſonam cum Patre, & Filio coniungit, vt cùm Patris & Filij, & Spiritus ſancti nomen in baptiſmo adhiberi præcipit, nullus nobis de huius myſterij veritate dubitãdi locus relinquitur. Nam ſi Pater Deus eſt, & Filius Deus, omninò fateri cogimur etiam Spiritum ſanctum, qui cum eis pari honoris gradu coniungitur, Deum eſſe.

Accedit quòd is qui in nomine cuiuſuis rei creatę baptizatur, nullũ ex eo fructũ conſequi poteſt. *Nunquid in nomine Pauli,* inquit, Apoſt. 1. Cori. 1. *baptizati eſtis?* Vt oſtenderet eis nihil ad comparandam ſalutem profuturum eſſe. Cùm igitur baptizemur in nomine Spiritus ſancti, eum eſſe Deum fateri oportet.

Hunc eundem trium perſonarum ordinem, quo Spiritus ſancti diuinitas comprobatur, licet animaduertere, tum in primâ epiſtolâ, Ioannis c. 5. *Tres sũt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*: tum ex præclaro illo ſanctæ Trinitatis elogio, quo diuinæ laudes, & Pſalmi concluduntur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.*

Poſtremò, quòd ad eam veritatem confirmandã maximè pertinet, quæcumque Dei propria eſſe credimus, ea Spiritui ſancto conuenire ſacræ litteræ teſtantur. Quare illi templorum honorem tribuunt, vt cùm Apoſtolus ait, 1. ad Corinth. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?* Item ſanctificationem, & viuificationem, & ſcrutari profunda

ſunda Dei: & per Prophetas loqui: & vbique eſſe: quæ omnia diuino tantum numini tribuenda ſunt.

QVAESTIO III.

An Spiritus ſanctus ſit perſona per ſe conſtans, & à Patre & Filio diſtincta?

CONCLVSIO VNICA.

Credimus Spiritum ſanctum ita Deum eſſe, vt eum tertiam perſonam in diuinâ naturâ à Patre & Filio diſiunctam, & voluntate productam confiteri oporteat.

Eſt Catech. §. Sed illud præterea fidelibus accuratè, &c Et D. Thom. p. 1. q. 31. & alibi ſæpius.

Nam vt alia ſcripturarum teſtimonia omittãtur, baptiſmi forma, quã Saluator noſter docuit, Matth. 28. apertiſſimè oſtendit, Spiritum ſanctum tertiam eſſe perſonam, quæ in diuinâ naturâ per ſe conſtet, & ab alijs diſtincta ſit.

Idem Apoſtoli verba declarãt, cùm inquit, 2. Corinth. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis, Amẽ.*

Idem multò apertiùs demonſtrant, quæ Patres in Conſtantinopolitano primo Concilio hoc loco ad confutandam impiam Macedonij amẽtiam addiderunt: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificãtem, qui ex Patre, Filioq́ procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.*

Quòd Spiritum ſanctum Dominum cõfitentur, in eo declarant, quantum Angelis antecellat, qui tamen nobiliſſimi Spiritus à Deo conditi ſunt: illos enim oẽs ſanctus Paulus, ad Hæb. 1. teſtatur eſſe adminiſtratorios Spiritus, in miniſterium miſſos, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Viuificantem verò appellant, quod anima cum Deo cóiuncta, magis viuit, quàm corpus animæ cóiunctione alitur ac ſuſtinetur.

Quoniam verò Spiritui ſancto ſacræ litteræ hanc animæ cum Deo coniunctionem tribuunt, rectiſsimè viuificantem Spiritum ſanctum vocari perſpicuum eſt.

QVAESTIO IIII.

An Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio tanquam vno principio?

CONCLVSIO VNICA.

Credimus Spiritum ſanctum à Patre & Filio tāquam ab vno principio æternâ proceſſione procedere.

Eſt Catech. §. Docendi ſunt fideles Spiritum ſanctum, &c. Et D. Thom. p. 1. q. 36. art. 4.

Probatur multipliciter: Id enim Eccleſiaſtica regula, à quâ non licet Chriſtiano aberrare, credēdum nobis proponit, & diuinarum litterarum & conciliorum auctoritate confirmatur. Nam Chriſtus Dominus cùm de Spiritu ſancto loqueretur, dixit Ioan. 9. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Hoc idem ex eo colligitur, quod in ſcripturis ſacris Spiritus ſanctus nonnunquam ſpiritus Chriſti, interdùm Spiritus patris appellatur: modò à Patre, modò à Filio mitti dicitur, vt æquè à Patre & Filio procedere non obſcurè ſignificetur. *Qui Spiritū Chriſti non habet,* inquit ſanctus Paulus, Rom. 8. *hic non eſt eius.* Et idem ſpiritū Chriſti vocat, cùm ad Galatas, 4. c. inquit: *Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater.* Apud ſanctum Matthęum. c. 10. ſpiritus patris appellatur: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiri-*

ſed ſpiritus patris veſtri: Et Dominus in cœna inquit, Ioann.15. *Paracletus quem ego mittam vobis ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me.*

Tùm alibi eundē ſpiritum ſanctum à Patre mittendum affirmat Ioann.14. his verbis: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Ex quibus verbis cùm proceſsionem ſpiritus ſancti intelligamus, perſpicuum eſt, eūdem ab vtroque procedere.

Hæc ſunt quæ de Spiritus ſancti perſonâ tradenda erant.

QVAESTIO V. ET POSTREMA.

Qui ſunt effectus Spiritus ſancti?

VT melius intelligatur quæſtio, duo cū Catechiſmo prænotanda ſunt.

Primum quamuis ſanctiſsimæ Trinitatis opera, quæ extrinſecus fiunt, tribus perſonis communia ſint: ex ijs tamen multa Spiritui ſancto propria tribui, vt intelligamus illa in nos à Dei immenſa charitate proficiſci. Nam cùm Spiritus ſanctus à diuina voluntate, veluti amore inflāmata procedat, perſpici facilè poteſt eos effectus, qui propriè ad Spiritum ſanctum referuntur, à ſummo ergà nos Dei amore oriri.

Alterum, quòd ex priori conſequitur, Spiritum ſanctum, rectè donum appellari. Nā doni vocabulo ſignificatur id quod benignè & gratuitò nulla ſpe remunerationis propoſita donatur: Ac proinde quæcumque bona, & beneficia à Deo in nos collata ſunt (quid autem habemus quod à Deo, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. cap. non acceperimus) ea nobis Spiritus ſancti conceſſu & munere data eſſe pio & grato animo agnoſcere debemus.

His præ

His prænotatis reſpondetur quæſtioni ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Communiter loquendo mundi creatio, creatarumq; rerum propagatio & gubernatio effectus ſpiritus ſancti appellari poſſunt.

Eſt Catech. §. Eius autem plures effectus &c. De his in primo articulo dictum eſt.

CONCLVSIO II.

Viuificatio propriè Spiritus ſancti effectus appellari poteſt.

Eſt Catech. §. Viuificationem Spiritui ſancto, &c.

Nam viuificationem Spiritui ſancto propriè tribui paulò antè demonſtratum eſt: Et Ezechielis teſtimonio confirmatur: *Dabo vobis* inquit, c. 37. *ſpiritū, & viuetis.*

CONCLVSIO III.

Præcipuos tamen & maximè proprios Spiritus ſancti effectus Iſaias Propheta enumerat, c. 11. Spiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritū ſcientiæ & pietatis, & ſpiritum timoris Domini.

Eſt catech. §. Præcipuos tamen.

De donis Spiritus ſancti. Vide D. Tho. 1. 2. q. 68.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo alio nomine vocantur hi præcipui Spiritus ſancti effectus?

Vocantur aliquando dona Spiritus ſancti: interdùm etiam Spiritus ſancti nomen eis tribuitur: vt ſapienter D. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. & 19. nos admonet, animaduertendum eſſe cùm in ſacris litteris huius vocis Spiritus ſancti mentio fit, vt diiudi-

diiudicare poſsimus, tertiáne Trinitatis perſonam, an eius effectus atque operationes ſignificet: Nam hæc duo eodem interuallo diſtinguenda ſunt, quo etiam creatorem à rebus creatis differre credimus.

DIFFICVLTAS I⁴I.

Quæ gratia inter cætera ampliſſima Spiritus ſancti munera maximè prædicanda eſt?

Illa quæ nos iuſtos facit, ſignatq́ue ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: hæc enim mentem noſtram arctiſsimo amoris vinculo Deo iungit: ex quo fit, vt ſummo pietatis ſtudio accenſi nouam vitam inſtituamus, ac naturæ diuinæ participes effecti, filij Dei nominemur & verè ſimus.

MONITIO.

Vnum hoc loco cũ Catechiſmo monendum eſt, hæc dona ſpiritus, eò diligentiùs explicanda eſſe, quòd ex hiſce Spiritus ſancti muneribus, Chriſtianæ vitæ præcepta haurimus, ſentireque poſsimus an Spiritus ſanctus in nobis ſit.

Et hæc ſatis ſunt pro explicatione octaui articuli.

CAPI-

CAPITIS NONI ELVCIDATIO.

DE NONO SYMBOLI ARTICVLO.

Credo ſanctã Eccleſiam catholicam, Sanctorũ cõmunionem.

ANTE Elucidationem articuli duo cum Catechiſmo obſeruanda ſunt.

Primùm, neceſſarium eſſe vt fideles omnes veritatem huius articuli probè cognitam habeant, propter duas potiſsimum cauſas.

Prima, quia multi hodie ſunt, qui ad Simiæ imitationem, quę ſe hominem eſſe fingit, ſolos ſe catholicos eſſe profitentur, & catholicam eccleſiam apud ſe tantùm eſſe, non minus nefariè quàm ſuperbè affirmant, à quibus illi facilè decipi poſſent, qui huius articuli veram & germanam intelligentiam non eſſent aſſecuti. Quæ cauſa fuit, teſte D. Auguſtino in Pſalm. 30. cur Prophetæ planiùs & apertiùs de Eccleſiâ, quàm de Chriſto locuti ſint, quòd videlicet in articulo Eccleſię multò plures errare ac decipi poſſe, quàm in myſterio incarnationis præuiderent.

Altera cauſa, quia ſi quis veritati huius articuli firmo animo aſſenſerit, etſi forte in fide errare poterit, facilè tamen horrẽdum hæreſis periculum effugiet: non enim vt quiſque primùm in fide errat, hæreticus dicendus eſt, ſed ille demùm hæreticus dicitur, qui Eccleſiæ auctoritate neglectâ, opiniones à fide alienas pertinaci animo defendit ac tuetur, ſicuti ante oſtendimus.

Secundùm, hunc articulum de Eccleſiâ pendere ab articulo immediatè præcedenti, & beneè illum proximè ſubſequi. Nam cùm illo demonſtratum ſit Spiritum ſanctum omnis ſanctitatis fontem & largitorem

torem eſſe: hoc articulo ab eodem Spiritu ſancto Eccleſiam ſanctitate donatam eſſe, credere & confiteri docemur.

QVAESTIO I.

Quid vox Eccleſia ſignificat?

CONCLVSIO I.

Eccleſia, vox eſt græca, & primâ ſignificatione euocationem ſignificat.

Eſt Catech.§. Significat autem Eccleſia.

CONCLVSIO II.

Verùm poſteà ſcriptores vſurpârunt pro Concilio. & concione, hoc eſt, quauis multitudine populi cõuocati, ſiue ille populus ſit veri Dei cultor, ſiue non ſit, ſiue ſit probus, ſiue improbus.

Eſt Catech.§. Verùm ſcriptores, &c.

In actis enim 19.c. de Epheſino populo ſcriptum eſt, cum ſcriba turbas ſedâſſet, dixiſſe: *Si quid autem alterius rei quæritis, in legitimâ Eccleſiâ poterit abſolui.* Legitimam Eccleſiam vocat populum Epheſinũ Dianæ cultui addictum. Et Propheta Pſalm. 25. inquit: *Odiui Eccleſiam malignantium & cum impijs non ſedebo.*

CONCLVSIO III.

Communi deinde ſacrarum ſcripturarũ cõſuetudine hæc vox ad rempublicam chriſtianam, fideliumq́ tãtùm congregationes ſignificandas vſurpata eſt: qui ſcilicet ad lucem veritatis & Dei notitiam per fidem vocati ſunt, vt reiectis ignorantia & errorum tenebris Deum verum & viuum piè & ſanctè colant, illiq́ ex toto corde inſeruiant: Atque vt vnico verbo hæc res tota abſoluatur, Eccleſia, vt ait S. Auguſtinus in Pſal. 149. eſt populus fidelis per vniuerſũ orbẽ diſperſus.

Eſt Catech.§. Communi verò deinde, &c.

DIFFICVLTAS I.

Quare populus fidelis potius vocatur nomine Eccleſia, quàm quouis alio?

Propter multa & magna myſteria, quę in hoc vocabulo continentur.

Etenim in euocatione, quam Eccleſia ſignificat, ſtatim diuinæ gratiæ benignitas & ſplendor eluçet, intelligimuſque Eccleſiam ab alijs rebus publicis maximè differre: Illæ enim humanâ ratione & prudentiâ nituntur: hæc autem Dei ſapientiâ & conſilio conſtituta eſt. Vocauit enim nos intimo quidē Spiritus ſancti afflatu, qui corda hominū aperit, extrinſecus autem paſtorum, & prædicatorum opera, aut miniſterio,

Præterea ex hac vocatione quis nobis finis propoſitus eſſe debeat, nimirùm æternarum rerum cognitio & poſſeſsio, is optimè perſpiciet, qui animaduerterit, cur olim fidelis populus ſub lege poſitus, ſynagoga, id eſt, congregatio diceretur. Nam, vt docet ſanctus Auguſtinus, in Pſalm. 77. & 81. hoc ei nomen impoſitum eſt, quia pecudum more, quibus magis congregari cōuenit, terrena & caduca tantùm bona ſpectaret. Quare meritò chriſtianus populus, non ſynagoga, ſed Eccleſia dicitur: quia terrenis & mortalibus rebus contemptis, cæleſtes & æternas tantūmodò conſectatur.

DIFFICVLTAS II.

Quibus præterea nominibus populus fidelis vocari ſolet in ſcripturis ſacris?

Multa nomina quæ plena ſunt myſterijs ad chriſtianam rempublicam ſignificandam traducta ſunt. Nam & domus, & ædificium Dei ab Apoſtolo vocatur,

tur. *Si tardauero,* inquit 1. ad Timoth. c. 3. *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei cõuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.*

Domus, Eccleſia idcirco appellatur, quia ſit vna familia, quam vnus paterfamilias moderatur, & in qua eſt bonorum omnium ſpiritualium cõmunio.

Dicitur etiam grex ouium Chriſti, quarum ille oſtium eſt & paſtor.

Vocatur & ſponſa Chriſti: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto,* inquit Apoſtolus 2. ad Corinthios c. 11. Idẽ ad Epheſios. 5. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus diligit Eccleſiam.* Ac de Matrimonio: *Sacramẽtum hoc,* inquit, ad Epheſ. 5. c. *magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Dicitur denique Eccleſia, corpus Chriſti, vt ad Epheſios 1. & Coloſſenſes 10. licet videre.

MONITIO.

Vnum hoc loco cum Catechiſmo obſeruandum eſt, ſingula nomina, quibus populus fidelis vocari ſolet, plurimum valere ad fideles excitandos, vt ſe dignos immenſâ clementia Dei & bonitate præbeãt, qui eos, vt populus Dei eſſet, elegit.

QVAESTIO II.

Quot ſunt Eccleſiæ partes?

CONCLVSIO PRIMA.

E*Ccleſiæ duæ potiſſimum ſunt partes, quarum altera triumphans, altera militans vocatur.*

Eſt Catech. §. His verò explicatis, &c.

Triumphans eſt cœtus ille clariſsimus & fœliciſſimus beatorum ſpirituum, & eorum qui de mundo,

de carne, & iniquiſsimo Dæmone triumphârunt, & ab huius vitæ moleſtijs liberi ac tuti æternâ beatitudine fruuntur.

Militans Eccleſia eſt, cætus omnium fidelium, qui adhuc in terris viuunt. Ideò militans vocatur, quia illi cum immaniſsimis hoſtibus mũdo, carne, ſathana perpetuum eſt bellum.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Eccleſia militans & triumphans ſint duæ Eccleſiæ, vel potius vna?

Non ſunt duæ Eccleſiæ, ſed eiuſdem Eccleſiæ, vt ante diximus, duæ partes ſunt; quarũ vna anteceſsit & cæleſti patria iam potitur: Altera in dies ſequitur, donec aliquando cum Saluatore noſtro cõiuncta in ſempiterna fœlicitate conquieſcat.

CONCLVSIO II.

ECcleſia militans duas quoq; in ſe complectitur partes: vna eſt proborum hominum, altera improborum.

Eſt Catech. §. Iam in Eccleſia militanti duo ſunt hominum genera, &c.

Improbi dicuntur eſſe pars Eccleſiæ militantis, quia eorũdem ſacramentorum ſunt participes, eandemque quam boni fidem profitẽtur, quamuis ſint vita ac moribus diſsimiles.

Boni verò in Eccleſia dicuntur ij, qui non ſolum fidei profeſsione & communione ſacramentorum, ſed etiam Spiritu gratiæ & charitatis vinculo inter ſe coniuncti & colligati ſunt. De quibus dicitur 2. ad Timoth. 2.c. *Cognouit Dominus qui ſint eius.*

DIFFICVLTAS I.

Quibus modis probatur malos contineri in Eccleſia cum bonis?

Primò,

Primò, ſacrarum litterarum auctoritate. Hoc enim volunt parabolæ illæ Euangelicæ, veluti cùm Matth. 13. regnum cælorum, hoc eſt militantem Eccleſiam, ſimile eſſe ſagenæ miſſæ in mare commemorant: vel cùm ibidem ſimile eſſe dicunt agro, in quo Zizania ſeminata ſunt: vel areæ, in qua frumentum cum paleis continetur: vel Matthæi 25. decem virginibus partim fatuis, partim prudentibus.

Secundò, celebri illa figura veteris teſtamenti, videlicet arca Noë, Geneſ. c. 7. in quâ non ſolùm munda, ſed etiam immunda animalia concludebantur, quæ ſecundùm communem patrum expoſitionem figuram & ſimilitudinem Eccleſiæ gerebat.

Poſtremò ſanctorum patrum ſcriptis, Irinei lib. 3. c. 11. Cypriani lib. 3. Epiſt. 3. Chriſoſtomi lib. 3. de Sacramẽtis. Hieronymi contrà luciferianos, Auguſtini tract. 6. in Ioann. & lib. 18. de ciuit. Dei, c. 4. & 5. & aliorum.

DIFFICVLTAS II.

An eodem modo contineantur in Eccleſia mali quo boni?

Dicendum qod non, ſicuti paulò ante inſinuatum eſt: Nam ſicuti ex fidei regulis verè & conſtanter credimus & affirmamus bonos & malos ad Eccleſiam pertinere: ita ex eiſdẽ fidei regulis profitemur vtriuſque partis, bonorũ & malorum diuerſam admodùm rationem eſſe; vt enim paleæ cum frumento in area confuſæ ſunt, vel interdùm membra intermortua corpori coniuncta; ita etiam mali in Eccleſia continentur.

DIFFICVLTAS III.

An Infideles, hæretici, ſciſmatici, & excommunicati ſint in Eccleſia, vel potius extra Eccleſiam?

Dicendum eſſe extra Eccleſiam. Tria enim ho-

minum genera ab Eccleſia excluduntur. Primò Infideles, deinde hęretici & ſchiſmatici, poſtremò excommunicati.

Infideles quidem, quod in Eccleſia nunquam fuerint, neque eam vnquam cognouerint, nec vllius ſacramenti participes in populi Chriſtiani ſocietate facti ſint.

Hęretici atque Schiſmatici, quia ab Eccleſia deſciuerunt, neque enim illi magis ad Eccleſiam ſpectant, quàm tranſfugæ ad exercitum pertineant, à quo deſecerunt,

Non negandum tamen, quin in Eccleſię poteſtate ſint, vt qui ab ea in iudicium vocentur, puniantur, & anathemate damnentur.

Poſtremò excõmunicati, quòd Eccleſiæ iudicio ab ea excluſi, ad illius communionẽ non pertineant, donec reſipiſcant,

De cæteris quamuis improbis, & ſceleratis hominibus, adhuc eos in Eccleſia perſeuerare dubitandũ non eſt,

MONITIO.

Vnum hoc loco cum Catechiſmo monendũ eſt, doctrinam hanc diligẽtiſſimè hoc tempore populo tradendam eſſe & inculcandam, vt ſi fortè Antiſtitũ Eccleſiæ vita flagitioſa ſit, eos tamen in Eccleſia eſſe, nec propterea quicquam de eorũ poteſtate detrahi ſibi certò perſuadeant.

DIFFICVLTAS IIII.

An Eccleſiæ partes benè appellentur nomine Eccleſiæ?

Dicendum ita appellari ſolere in ſacris ſcripturis, vt cùm Apoſtolus Eccleſiã, quæ eſt Corinthi, Galatæ, Laodicẽſium, Theſſalonicenſium nominat: Deinde

cùm idem Apoſtolus priuatas fidelium familias, Eccleſias vocat, vt cùm ad Rom. 16. Priſcæ & Aquilæ domeſticam Eccleſiã ſalutari iubet. Et 1. ad Corinth. 16. cap. *Salutant vos*, inquit, *in Domino multum Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia.* Præterea & Eccleſiæ præſides & paſtores nomine Eccleſiæ interdum appellantur, vt Matth. 18. *Si te*, inquit Chriſtus Dominus, *non audierit, dic Eccleſiæ*: Quo loco præpoſiti Eccleſiæ, ſecũdum communem Catholicorum patrum expoſitionem, ſignificantur.

DIFFICVLTAS V.

De qua parte Eccleſiæ loquitur Chriſtus cùm ad Eccleſiam nos remittit, eiq; vt pareamus præcipit, Matthæi 18?

Dicendum eſt non eſſe exiſtimandum Chriſtum Saluatorem loqui tantùm de parte bonorum. Nam cùm illa ſit ſoli Deo nota, hominibus autẽ incognita, cui certum eſſe poterit, ad cuius iudicium ſit confugiendum, & cuius auctoritate exorta aliqua difficultate circà fidem vel mores obtemperandum ſit?

Et confirmatur: Nam quamuis homines poſſint fortè aliquibus coniecturis opinari, quínam ſint qui ad priorem hominum numerum, ſiue ad partem illã Eccleſiæ, quæ eſt bonorum, pertineant, certò tamen ſcire nullo modo poſſunt, teſte Apoſtolo, 1. ad Timoth. 2. c. vbi ait; *Cognouit Dominus qui ſunt eius.*

QVAESTIO III.

An Eccleſia ſit viſibilis & conſpicua?

CONCLVSIO VNICA.

E*ccleſia omnibus nota eſt & conſpicua?*

Eſt Catech. §. Hæc autem Eccleſiæ nota eſt, &c.

Docet hoc ſcriptura, Matth. 5. c. vbi Eccleſia vrbi

ſupra montem ſitę comparatur, quę ab omnibus cõſpicitur.

Deinde Matth. 18. Chriſtus vult vt ab omnibus Eccleſię pareatur, quòd certè fieri non poſſet niſi ab omnibus cognoſceretur.

QVAESTIO IIII.

Quæ ſunt Eccleſiæ proprietates?

ANte reſolutionem vnum prænotandum eſt cum Catechiſmo, Paſtores & catechiſtas debere diligenter has proprietates fidelib⁹ explicare, quia ex ijs licet agnoſcere quanto beneficio à Deo affecti ſint, quibus contingit in eccleſia naſci atque educari.

Hoc prænotato reſpondetur ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRima *Eccleſiæ proprietas in ſymbolo Patrum deſcribitur, vt vna ſit.*

Eſt Catech. §. Aperiēdæ autem ſunt fidelibus, &c.

Habetur canticorum 6. c. *Vna enim*, inquit, *eſt columba mea, vna eſt ſpecioſa mea.*

Vocatur vna tãta hominum multitudo, quæ tam longè lateque diffuſa eſt, ob eas cauſas, quæ ab Apoſtolo ad Epheſios 4. ſcriptæ ſunt.

Primò vna dicitur Eccleſia, quia vnus eius eſt Dominus, rector, ac gubernator, inuiſibilis quidem Chriſtus, quem æternus Pater dedit in caput ſuper omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius: viſibilis autē is, qui Romanam cathedram Petri Apoſtolorum principis legitimus ſucceſſor tenet.

Secũdò dicitur vna ab vno Spiritu: vocatur enim

Eccleſia ab Apoſtolo, loco ſupra allegato, vnũ corpus & vnus Spiritus. Quemadmodùm enim humanum corpus multis cõſtat membris, eaque ab vno Spiritu aluntur, qui oculis viſum, auribus auditum, & alijs ſenſibus diuerſas vires ſubminiſtrat: ita corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, ex multis fidelibus compoſitum eſt, quibus vnus Spiritus ſanctus gratiã, perinde atque anima corporeis membris vitam, impartitur.

Tertiò vna dicitur, quia vna eſt eius ſpes, vt in eodem loco idem Apoſtolus teſtatur, ad quam omnes fideles vocãtur; ſi quidem omnes eandem rem nẽpe æternam & beatam vitam ſperamus.

Quartò vna dicitur, ab vna fide, quæ omnibus tenenda eſt.

Poſtremò ab vno eodemque fidei Sacramento, videlicet baptiſmo.

DIFFICVLTAS VNICA PERmaximi momenti.

An præter inuiſibile caput Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, vt iã dictum eſt, opus ſit aliquo viſibili capite, hoc eſt, Romano Pontifice?

De hac difficultate illa eſt omnium Patrum ratio & ſententia conſentiens, hoc viſibile caput ad vnitatem Eccleſię conſtituendam & conſeruandam neceſſarium fuiſſe.

Hoc præclarè & vidit & ſcripſit ſanctus Hieronymus, libro primo contra Iouinianum ijs verbis: *Vnus eligitur, vt, capite conſtituto, ſciſmatis tollatur occaſio.* Et ad Damaſũ epiſt. 52. *Faceſſat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor.*

quor. Ergo nullum primum niſi Chriſtum ſequēs, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit, profanus eſt: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Idem & longè anteà ab Ireneo lib. 3. contrà Hæretic. cap. 3. probatur, & Cypriano tract. 3. de Simplicitate prælator. qui de vnitate Eccleſiæ loquens ait: *Loquitur Dominus ad Petrū: Ego Petre dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Super vnum ædificat eccleſiam: Et quamuis Apoſtolis omnibus, poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum: tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipiētem, auctoritate ſua diſpoſuit, &c.*

Deinde Optatus, Milleuitanus initio lib. 2. contrà Parmē. Donat. ait: *Ignorantiæ tibi aſcribi non poteſt, ſcienti in vrbe Româ, Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defēderēt: vt iam ſchiſmaticus, & præuaricator eſſet, qui contrà ſingularē cathedram alterā collocaret.*

Poſt Baſilius Hom. 29. quę eſt de pœnitentia, ſic ſcriptū reliquit: *Petrus collocatus eſt in fundamento: Dixit enim: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, & viciſſim audiuit ſe eſſe Petram. Licet enim petra eſſet, non tamen petra erat vt Chriſtus: Nam Chriſtus verè immobilis petra; Petrus verò propter petram. Dignitates enim ſuas Deus largitur alijs: ſacerdos eſt, & facit ſacerdotes: petra eſt, & petram facit, & quæ ſua ſunt largitur ſeruis ſuis.*

Poſtremò ſanctus Ambroſius lib. 10. comment. in Lucam ferè extremo ſic ſcribit, *Benè conſcius ſui, non ad tempus*

ad tempus aſſumptum ſed iamdudum Deo cognitum, Petrus teſtificatur affectum. Quis eſt enim alius qui de ſe hoc facilè profiteri poßit? Et ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Vide Catechiſmum Romanum Lugduni impreſſum Anno 1588.

Si quis obijciat Eccleſiam vno capite ſponſo Ieſu Chriſto contentam, prætereà nullum requirere; in promptu reſponſio eſt. Vt enim Chriſtum Dominũ ſingulorum ſacramentorum non ſolùm auctorem, ſed intimum etiam præbitorem habemus (nam ipſe eſt qui baptizat & qui abſoluit, & tamen is homines Sacramentorum externos miniſtros inſtituit) Sic Eccleſiæ, quam ipſe intimo Spiritu regit, hominem ſuę poteſtatis vicarium, & miniſtrum pręfecit. Nam cùm viſibilis Eccleſia viſibili capite egeat: ita Saluator noſter Petrum vniuerſi fidelium generis caput, & paſtorem conſtituit, cùm illi oues ſuas paſcendas verbis ampliſsimis cõmendauit, vt qui ei ſucceſsiſſet, eandem planè totius Eccleſiæ regendæ & gubernandæ poteſtatem habere voluerit

CONCLVSIO II.

Altera Eccleſiæ proprietas eſt, vt ſit ſancta.

Eſt Catech. §. Altera proprietas, &c.

Hanc à Principe Apoſtolorum, 1. epiſtolæ 2. cap. accepimus eo loco, *Vos autem genus electũ, gens ſancta.*

Appellatur ſancta tribus potiſsimum de cauſis.

Prima, quia eſt Deo conſecrata & dedicata, quẽadmodùm & cætera, quamuis corporea ſint, ſancta vocari cõſueuerunt, cùm diuino cultui ſunt addicta & dedicata: Cuius generis ſunt in veteri lege vaſa. Num. 31. cap. & veſtes Exod. 28. & altaria Exod. 29. & primogeniti, qui Deo altiſsimo dedicabantur, Exod.

Exod. 37. Nam hæc omnia, quia Deo dedicabantur & conſecrabantur, ſancti à ſacrâ ſcripturâ vocantur.

Secundò, quia veluti corpus cum capite Chriſto Domino totius ſanctitatis fonte coniungitur, à quo Spiritus ſancti chariſmata & diuinę bonitatis diuitię diffunduntur. Hanc rationem præclarè ſanctus Auguſtinus explicat, interpretans verba illa Prophetæ Pſalm. 85. *Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum. Audeat*, inquit, *& corpus Chriſti, audeat & vnus ille homo clamans à finibus terræ cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, Sanctus ſum, accepit enim gratiam ſanctitatis gratiam baptiſmi & remiſſionis peccatorum.* Et paulò poſt: *Si chriſtiani omnes & fideles in Chriſto baptizati, ipſum induerũt, ſicut Apoſtolus dicit, ad Rom 6. cap. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis: Si membra facta ſunt corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt iniuriam, cuius membra ſancta ſunt.*

Tertia & poſtrema, quia ſola Eccleſia legitimũ ſacrificij cultum & ſalutarẽ habet ſacramẽtorũ vſum, per quæ tanquam efficacia diuinæ gratiæ inſtrumẽta Deus veram ſanctitatem efficit, ita vt quicumque verè ſancti ſunt, extrà hanc Eccleſiã eſſe nõ poſſint.

Non obſtat huic doctrinæ, quod Eccleſia improbos etiam contineat & peccatores, ſicuti ante docuimus; Quia ſancta vocatur, non quòd fideles omnes & ſinguli ſanctitatem in ſe actu habeant, ſed quia populus Dei effecti ſunt, & fide, baptiſmoq; ſuſcepto ſe Chriſto conſecrârunt: Quemadmodùm etiam qui artem aliquam profitentur, etſi artis præcepta non ſeruent, nomen tamen artificum retinent.

CONCLVSIO III.

Tertia Eccleſiæ proprietas ea eſt, vt catholica, hoc eſt, vniuerſalis vocetur.

Eſt Cato-

Eſt Catech.§. Tertia Eccleſiæ proprietas,&c.

Hæc appellatio verè Eccleſiæ tribuitur, propter tres præcipuè cauſas.

Prima quia non vnius regni tantum terminis,aut vno hominum genere definita eſt,ſicuti humanę reſpublicæ, aut hæreticorum conuenticula; ſed quia omnium locorum & omnis generis homines, ſiue illi barbari ſint,ſiue ſchitæ,ſiue ſerui,ſiue liberi, ſiue maſculi, ſiue fœminæ charitatis ſinu complectitur. Quòd Eccleſia ad omnia loca ſe extẽdat, teſtatur regius Propheta, Pſalm. 2. cum ait: *Poſtula à me & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Et Pſalm.88. *Memor ero Raab & babylonis ſcientiũ me,& homo natus eſt in ea.* Quòd contineat in ſe omnis generis homines,teſtatur D. Ioannes Apocalyp. 5.c. cum ait: *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum.*

Secunda,quia omnes fideles,qui ab Adam in hũc vſque diem fuerũt,quíue futuri ſunt, quamdiu mũdus extabit, veram fidem profitẽtes, ad eandem Eccleſiam pertinent, quæ ſuper fundamento Apoſtolorum fundata eſt, ac Prophetarum, qui omnes in illo angulari lapide Chriſto,qui fecit vtraque vnum, & pacem ijs qui propè,& ijs qui longè, annunciauit, conſtituti ſunt & fundati.

Poſtrema,quia omnes qui ſalutem ęternam conſequi cupiunt, eam tenere & amplecti debent, non ſecus ac qui arcam ne diluuio perirent, ingreſſi ſunt. Geneſ. 7. cap.

CONCLVSIO IIII.

P*Oſtrema Eccleſiæ proprietas eſt,vt ſit apoſtolica.* Eſt.Catech.§. Sed ex origine etiam.

Hæc pro-

Hæc proprietas addita eſt ſymbolo per Patres Concilij Conſtant. explicationis cauſa, vt videlicet omnes faciliùs intelligerent & aduerterent, quæ Eccleſia eſſet catholica, illa nimirùm quę per miniſtros Apoſtolos, eorumque legitimos ſucceſſores gubernatur: Nam Spiritus ſanctus, qui pręſidet Eccleſię catholicæ, & primùm Apoſtolis tributus eſt, Dei benignitate in Eccleſia ſemper manſit, ita vt Spiritus ſanctus non per aliud genus miniſtrorum quàm per apoſtolicum etiam hodie Eccleſiam gubernet.

Vocatur apoſtolica, vnica de cauſa, videlicet ab origine quam Eccleſia reuelatâ gratiâ ab Apoſtolis ducit: Siquidem Eccleſiæ doctrina veritas eſt non recens, neque nunc primùm orta, ſed ab Apoſtolis iam olim tradita & in omnem orbem terrarum diſſeminata.

Ex hac proprietate facile eſt diſcernere verã Eccleſiam à conuenticulis Hæreticorũ. Nam doctrina quæ ab Hęreticis traditur, non eſt ab Apoſtolis orta, ſed potius doctrinæ apoſtolicæ, quam certò hucuſq; videmus in noſtra & vera Eccleſia retentam, ex diametro aduerſatur, vt cuilibet manifeſtũ eſſe poteſt.

Ex antedictis ſequitur, quòd quemadmodùm Eccleſia ſancta, catholica & apoſtolica non poteſt in fide & morum doctrina tradenda errare, cùm à Spiritu ſancto, vt pluries dictum eſt, gubernetur: ita cæteras omnes, quæ ſibi Eccleſiæ nomen arrogant, vt quæ Diaboli Spiritu ducantur, in doctrinæ & morũ pernicioſis erroribus verſari neceſſe eſt.

DIFFICVLTAS I.

Qua ratione credere Eccleſiã pertinet ad articulos fidei, cùm quilibet ratione & ſenſibus percipere poſſit Eccleſiã, hoc eſt, hominum conuentum Chriſto conſecratum?

Dicendum

Dicendum, etſi quiuis ratione & ſenſibus percipit Eccleſiam, id eſt, hominum conuētum in terris eſſe, qui Chriſto Domino addicti & conſecrati ſunt, neq; ad eam rem animo concipiendam fide opus eſſe videatur, cùm nec Iudæi, nec Turcæ quidem de eo dubitent, tamen illa myſteria, quæ in Sancta Dei Eccleſia contineri partim declaratum eſt, partim in Sacramento ordinis explicabuntur, mens fide tātummodo illuſtrata, non vllis rationibus conuicta intelligere poteſt. Cùm igitur hic articulus non minùs quàm cæteri intelligentiæ noſtræ facultatem & vires ſuperet, iure optimo cōfitemur nos Eccleſiæ ortum, munera & dignitatem non humanā ratione cognoſcere, ſed fidei oculis intueri.

DIFFICVLTAS II.

Declara paulò explicatiùs quæ ſunt illa quæ de Eccleſia credimus?

Primùm eſt illius ortus: neque enim homines huius Eccleſiæ auctores fuerunt, ſed Deus ipſe immortalis, qui eam ſuper firmiſsimam petram ædificauit, teſte Propheta Pſalm. 86. *Ipſe fundauit eam altiſsimus:* quam ob cauſam hæreditas Dei, & Dei populus appellatur.

Secundò, eſt poteſtas: nam poteſtas quam accepit nō eſt humana, ſed diuino munere illi tributa: Quarè quemadmodùm naturæ viribus comparari non poteſt: ita etiam fide ſolùm intelligimus in Eccleſia claues regni cælorum eſſe, eique poteſtatem peccata remittendi, excommunicandi, verumque corpus Chriſti conſecrandi traditam.

Deinde ciues qui in eâ morantur non habere hîc ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirere.

QVAESTIO V.

Quare in hoc Articulo mutatâ loquẽdi formâ dicimus, nos credere ſanctam Eccleſiam catholicam, nõ autem in Eccleſiam ſanctam, ſicuti prioribus articulis diximus nos credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum?

CONCLVSIO VNICA.

Maxima eſt huius mutatæ locutionis cauſa, nimirùm vt Deus, qui eſt rerum omnium creator à rebus ipſis creatis diſtingueretur, præclaraq́; illa omnia, quæ in Eccleſiã collata ſunt beneficia, diuinæ bonitati accepta referremus.

Eſt Catech. 6. Tres enim Trinitatis perſonas.

Probatur & explicatur: Nam cùm dicimus nos credere in Deum Patrem, in Filium, in Spiritum ſanctum, phraſis hæc loquendi ſignificat nos ita credere Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, vt etiam in eis omnem fiduciam noſtram collocemus, quam in Deo ſolo, non autẽ in creaturis ponere poſſumus, ex quibus tamen Eccleſia compoſita eſt. Sic eleganter docet, D. Auguſtinus tract. 29. in Ioannem, & Serm. 61. de verbis Domini.

QVAESTIO VI.

An Eccleſia fuerit quibuſdam figuris adumbrata in veteri teſtamento, & quibus?

CONCLVSIO VNICA.

Inter omnes figuras quibus Eccleſia præfigurata fuit, duæ

maximè fuerunt illuſtres, arca Noë & ciuitas Hieruſalem.

Eſt catech. §. Sed quoniã magnã vim habent &c.

De arca Noë teſtatur D. Petrus 1. epiſtolę cap. 3. Sicuti enim arca Noë Dei iuſſu ad hoc cõſtructa fuit, vt quicumque illam ingrederentur, ab aquis diluuij ſeruarentur, qui non ingrederentur, fluctibus aquarum obruerentur: ita Eccleſiam Deus ſic ſtatuit, vt quicumque per baptiſmum illam ingrederentur, ab omni mortis æternę periculo tuti eſſe poſſent; qui verò extrà illam eſſent, ſuis ſceleribus perirent.

De ciuitate Hieruſalem teſtantur quoque ſacræ ſcripturæ, quæ ſæpius eo nomine ſanctam Eccleſiam ſignificant; quia ſicuti in ſola ciuitate Hieruſalem licebat Deo ſacrificia offerre: ita in ſola Dei eccleſia, neque extrà eam vſquam verus Dei cultus verumq́; ſacrificium reperitur, quod Deo placere vllo modo poſsit.

QVAESTIO VII.

In quibus conſiſtit communio Sanctorum: ſiue, Quæ bona ſunt Sanctis & fidelibus communia?

ANTE explicationem alterius partis huius articuli, quæ eſt de communione Sanctorum, duo cum Catechiſmo notanda ſunt.

Primùm, hanc poſteriorẽ articuli partem eſſe alterius partis, quæ de vna, ſancta Eccleſia catholica iam recitata eſt, veluti explicationem quãdam; Vnitas enim Spiritus, à quo Eccleſia regitur, efficit vt quicquid in ea collocatum eſt, cõmune ſit.

Alterùm, hanc articuli partem oſtendere nobis, quis ſit vſus ferè omnium myſteriorum fidei, quæ

ſymbolo nobis credēda proponūtur, nimirùm illey vt myſterijs huiuſmodi inſtructi & imbuti in hanc tam amplam & beatam ſocietatē ſanctorum admittamur, admiſsiq; in ea conſtantiſsimè perſeueremus. Docet hoc ſatis clarè ſcriptura 1. Ioannis 1. cap. Vbi Ioannes de diuinis fidei noſtræ myſterijs ad fideles ſcribēs, cur eos in illis erudiret, hanc rationem attulit: *Vt & vos*, inquit, *ſocietatem habeatis nobiſcum & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio eius Ieſu Chriſto.* Et 1. ad Corinth. 12. idem docet D. Paulus, cum nos monet, vt cum gaudio gratias agamus Deo Patri, qui dignos fecit, qui pars eſſemus ſocietatis Sanctorum lumine fidei illuſtratorum.

His prænotatis reſpondetur ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRimò communia ſunt Sacramenta, quibus fideles, veluti ſacris vinculis, Chriſto connectuntur & copulantur, & maximè omnium baptiſmo, quo tanquam ianuâ in Eccleſiam ingredimur.

Eſt Catech. §. Omnium enim ſacramentorū, &c.

Explicatur: Nam etſi ſinguli fideles non omnia Sacramenta percipiant, omnium tamen ſacramentorum fructus ad vniuerſos fideles pertinet. V.g. Sacramento Ordinis initiantur quidem tātùm illi qui ſacris ſeruire debent, ſed fructus ſacris initiatorū ad omnes tendit, cùm illi ſacrificio miſſæ ſubſeruiunt, quod pro omnibus fidelibus offertur. Idem de alijs Sacramentis facilè oſtendi poteſt.

Quod hæc communio ſanctorum, de ſacramētorum communione imprimis intelligi debeat, ſignificârunt Patres ſymboli Conſtantinopolitani, quando ſymbolo ſuo addiderunt: *Confiteor vnum baptiſma;*

Baptiſmum

Baptiſmum ſiquidem Euchariſtia imprimis,ac deinceps cætera ſacramenta conſequuntur. Nam etſi hoc nomen omnibus ſacramentis conuenit, cùm Deo nos coniungant, illiuſq́ue participes, cùm gratiam recipimus, efficiant; magis tamen eſt proprium Euchariſtiæ, quæ hanc efficit communionem.

CONCLVSIO II.

Deinde communia ſunt omnia bona opera, quæ fiunt ab ijs, qui ſunt in charitate.

Eſt catech. §. Sed alia etiam communio.

Probatur dupliciter; Primò ratione. Quæcumq; enim piè, ſanctéq; ab vno ſuſcipiuntur, propter charitatem, quæ nō quærit quæ ſua ſunt, ad omnes pertinent, & ſinguli quodammodò fructum illorum percipiunt.

Deinde D. Ambroſij teſtimonio, qui locum illum, Pſalm. 118. explicans, *Particeps ego ſum omnium timentium te*; ita inquit: *Sicut membrum particeps eſſe dicimus totius corporis; ſic coniunctum omnibus timētibus Deum.*

Deinde aptiſsima membrorum corporis humani ſimilitudine, 1. ad Corinth. 12 cap. Nam ſicuti in corpore humano multa ſunt membra, ſed etſi multa ſint, vnum tamen corpus cōſtituunt, in quo ſingula proprio, non autem omnia eodem munere fungūtur, nec verò omnia eandem dignitatem habent, aut æquè vtiles ac decoras functiones exequuntur, nullique ſuum, ſed totius corporis commodum atq; vtilitas propoſita eſt, omnia deinde tam apta inter ſe atque connexa ſunt, vt ſi vnum dolore afficiatur, cætera item naturę cognatione & conſenſu doleant; Si contrà benè affectum eſt, communis ſit omnibus ille iucunditatis ſenſus: Ita in Eccleſia, ſiue commu-

nione ſanctorum, quæ eſt corpus Chriſti myſticũ, fieri videmus. Nam etſi in illa diuerſa ſint membra, nempe variæ nationes, Iudæorum, gentilium, liberi, ac ſerui, pauperes & diuites, cùm tamen baptiſmo initiãtur, vnum corpus cum Chriſto fiunt, cuius ille caput eſt; vnicuique etiam in Eccleſia ſuum munus aſsignatũ eſt, nam alij ſunt Apoſtoli, alij Doctores, alij Paſtores, &c. omnes verò publicę vtilitatis gratia ſunt conſtituti.

DIFFICVLTAS VNICA.

An omnia ſupradicta bona ſint omnibus fidelibus æqualiter communia?

Dicendum quod tot tantiſq; muneribus ac bonis diuinitus collectis illi fruuntur, qui in charitate vitã chriſtianam degunt, iuſtique & chari Deo ſunt: Mẽbra verò mortua, nimirum homines ſceleribus obſtricti, & à Dei gratia alienati, hoc quidem bono non priuantur, vt huius corporis membra eſſe deſinant, ſed cùm ſint mortua, fructum ſpiritualem, qui ad iuſtos & pios homines peruenit, non percipiunt.

Si quæratur, An ergo nihil plus boni percipiant fideles peccatores in Eccleſia permanẽtes, quàm percipiant illi, qui extrà Eccleſiam ſint cõſtituti, pagani, hæretici, excommunicati? Dicendum quòd ſic: Nam cùm in Eccleſia ſint, ad amiſſam gratiam vitamque ſpiritualem recuperandam orationibus, ſacrificijs, & alijs pijs operibus eorum adiuuantur, qui gratia Dei præditi ſpiritualiter in Eccleſia viuunt, quem fructũ nõ percipiũt illi, qui omninò ab Eccleſia ſunt pręciſi.

CONCLVSIO III.

Communia ſunt ea dona, quæ gratiæ gratis datæ appellantur, in quibus numerantur ſcientia, prophetia, donum linguarũ, ac miraculorum, & cætera huius generis.

Eſt Cato-

Eſt catech. §. Nec verò tantùm communia, &c.

Nam hæc dona, quæ indifferentur dantur à Deo bonis & malis hominibus, non priuatæ, ſed publicæ vtilitatis cauſâ ad ædificandam Eccleſiam conceduntur. Exempli gratia, Gratia ſanitatis, nõ illius qui eâ præditus eſt, ſed ægroti curãdi cauſâ à Deo tribuitur, & ſic in alijs.

CONCLVSIO IIII.

Poſtremò communia ſunt quodammodò bona temporalia.

Eſt Catech. §. Ac nihil tandem à vero chriſtiano poſſidetur.

Dico (*quodammodo*) quia non ſunt communia debito iuſtitiæ, ſed charitatis. Officiũ enim charitatis eſt, vt promptos paratoſque fideles efficiat ad ſubleuandam, quantum in ſe eſt, omnium fidelium miſeriam, iuxtà illud, 1. Ioannis 3. cap. *Si quis habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuũ neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Documentum Spirituale.

Ex omnibus ijs quæ pro explicatione poſterioris partis huius articuli diximus, Catechiſmus ſuo more infert vnum Documentum Spirituale: Eos omnes, qui in hac ſancta communione ſunt, quadam fœlicitate perfrui, & verè illud Pſalm. 83. dicere poſſe: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ, concupiſcit & defecit anima mea in atria Domini.* Et ibidem, *Beati qui habitant in domo tua Domine.*

CAPITIS X. ELVCIDATIO.

DE X. SYMBOLI ARTICVLO.

Remiſſionem peccatorum.

INITIO huius articuli vnum cum Catechiſmo notãdum eſt, nimirùm articulum de remiſsione peccatorum, non ſolum cõtinere in ſe diuinum myſterium, ſed etiam omnibus ad ſalutem comparandam maximè neceſſarium.

Hoc quamuis ſit omnibus ſatis per ſe notum, nihilominùs probatur duobus modis;

Primò teſtimonio ipſius Chriſti Saluatoris, Luc. 22. cap. qui paulò ante aſcenſum in cælum de ea re ſic locutus eſt, cùm diſcipulis ſenſum aperuit vt intelligerent ſcripturas: *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionẽ peccatorum in omnes gentes*: Si oportebat prædicari gentibus remiſsionem peccatorum, Ergo gentes illam neceſſariò credere debebant.

Deinde ratione tali: Nemo ſaluari poteſt ſine certa fide eorum omnium, quæ in ſymbolo Apoſtolorum credenda proponuntur, vt aliquoties repetit Catechiſmus: ſed remiſsio peccatorum in cæteris articulis ſymboli Apoſtolici numeratur: Ergo, &c.

QVAESTIO I.

Quis eſt ſenſus huius articuli?

CONCLVSIO VNICA.

Credimus ac confitemur, non ſolùm peccatorũ remiſſionẽ in catho-

in catholicâ Eccleſiâ reperiri (de quâ Iſaias prædixerat, c. 33. Populus qui habitat in eâ, auferetur ab eo iniquitas) ſed etiã poteſtatem peccata remittendi in eâ eſſe: quâ ſi ritè, & ſecundũ leges à Chriſto Domino præſcriptas ſacerdotes vtantur, verè peccata remitti & condonari credendum eſt.

Eſt Catec. §. Munus igitur parochi erit, &c.
Explicatur ſequentibus quæſtionibus.

QVAESTIO II.

Eccleſia quibus modis remittit peccata: Et, An neceſſe ſit eſſe alium modum remittẽdi peccata à baptiſmo?

CONCLVSIO I.

Eccleſia remittit peccata per Sacramenta, & primò quidem per Sacramẽtum baptiſmi, quo fidelibus, cum primùm fidem profitentur, adeò cumulata peccatorum venia tribuitur, vt nihil aut culpæ delendum, ſiue ea origine contracta, ſiue quid propria voluntate omiſſum vel commiſſum ſit, aut pœnæ perſoluendum reliquatur.

Eſt Catech. §. Hæc autem venia &c. Et D. Thomæ in quæſtionibus additis q. 17. art. 1. & ſuo loco latiùs explicabitur.

CONCLVSIO II.

Neceſſe fuit in Eccleſia præter Sacramentum baptiſmi eſſe claues regni cælorum, hoc eſt, poteſtatem, quâ poſſint vnicuique pœnitenti, etiamſi vſque ad extremũ vitæ diem peccâſſet, delicta condonari.

Eſt Catech. §. Cùm igitur neceſſe fuerit, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio concluſionis eſt manifeſta, quia etſi per baptiſmum omnia peccata remittantur, non aufertur tamen naturæ noſtræ infirmitas, ſed remanet etiam

poſt baptiſmum concupiſcentia, quæ nos vſque ad vitæ finē ad peccata incitare non deſinit, & vix vllus reperitur, qui vel tam acriter illi reſiſtat, vel tā diligenter, & vigilanter ſalutem ſuam tueatur, vt omnia peccata vitare poſsit.

Clauium Eccleſiæ traditarum clariſsima teſtimonia in ſacris litteris habemus: Nam apud S. Matthæū, cap. 16. Dominus ita ad Petrum loquitur: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcūque ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutum & in cælis.* Item cap. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Deinde ſanctus Ioannes cap. 20. teſtatur Dominum, cùm inſufflâſſet Apoſtolis dixiſſe: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

QVAESTIO III.

An per claues Eccleſiæ omnia peccatorum genera, & omni tempore remitti poſsint?

CONCLVSIO I.

Non eſt exiſtimandum claues, hoc eſt, poteſtatem peccata remittendi certis quibuſdam peccatorum generibus definitam eſſe.

Eſt Catech. §. Neque verò exiſtimandum eſt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 86. art. 1.

Nullum enim tam nefarium facinus vel admitti vel cogitari poteſt, cuius remittendi poteſtatem ſancta Eccleſia non habeat, quemadmodùm etiam nemo adeò improbus & ſceleſtus fuerit, quem ſi errato-

toru

torum ſuorũ verè pœniteat, certa ei veniæ ſpes propoſita eſſe non debeat.

CONCLVSIO II.

Sed neque hæc eadē poteſtas ita circumſcribitur, vt præfinito ſolùm aliquo tempore, eâ vti liceat.

Eſt Catech. §. Sed neque hoc, &c. Et D. Thom. p.3.q.84.art.10.

Nam quacumque horâ peccator ad ſanitatem redire voluerit, reijciendum non eſſe docuit Saluator noſter, Matth.18. cum Principi Apoſtolorum interroganti, Quoties peccatoribus ignoſcendum eſſet, an ſepties, Reſpondit; Non ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

QVAESTIO IIII.

An omnibus fidelibus ſint conceſſæ claues regni cælorum?

CONCLVSIO VNICA.

Dominus non omnibus, ſed Epiſcopis tantùm & ſacerdotibus tam ſancti muneris poteſtatem dedit.

Eſt Catech. §. Verũ ſi miniſtros, &c. Et D. Thom. in quæſt. addit. q.19. art.3.

QVAESTIO V.

An Epiſcopi & Sacerdotes quacumque ratione peccata remittere poſſint?

CONCLVSIO VNICA.

Epiſcopi & Sacerdotes, non pro libitu peccata remittunt, ſed per Sacramenta ſolùm, ſi eorum formas ſeruent, aliter enim nullum ius à peccatis ſoluendi Eccleſia datum eſt.

domum tuam: Cùm igitur homo factus eſſet, vt hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priuſquã in cælum aſcenderet, vt ibi ad dexteram Dei in perpetuum ſederet, eam poteſtatẽ Epiſcopis & præsbiteris in Eccleſia conceſsit.

Ad alteram partem dicendum eſt, non eandem prorſus poteſtatem tributam eſſe hominibus, quæ eſt in ipſo Deo: Nam vt anteà docuimus Chriſtus ſuâ auctoritate, cæteri vt eius miniſtri peccata dimittunt.

CONCLVSIO II.

SEcundò perſpici poteſt præſtantia & dignitas huius poteſtatis, ex ratione quâ Deus clementiſsimus pater, mũdi peccata delere conſtituit: Nam ſanguine vnigeniti filij ſui ſcelera noſtra expiari voluit, vt pœnam, quam nos pro peccatis commeruimus vltrò ille perſolueret, iuſtuſq; pro iniuſtis damnaretur, innocẽſq; pro reis morte certiſsima afficeretur.

Eſt Catech. §. Sed ipſa etiam ratio, &c.

Explicatur: Nam cùm animo cogitabimus nos, vt loquitur D. Petrus, 1. Epiſtolæ 1. cap. non corruptibilibus auro & argento redemptos eſſe, ſed prætioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, facilè ſtatuemus nihil nobis prẹſtantiùs, ſalubriuſque contingere potuiſſe hac remittẽdi peccata poteſtate, quæ inexplicabilem Dei prouidentiam, ſummamque ergà nos charitatem oſtendit.

CONCLVSIO III.

SVmma huius poteſtatis vtilitas ex eo apparet, quòd peccator fide huius poteſtatis confirmatus, in ſpem erigitur fieri poſſe, vt ex ſtatu damnationis, in quem ſe per peccatum præcipitârat, reſtituatur in ſtatum ſalutis, à quo peccando exciderat. Pro quo ſummo beneficio non poteſt non ſummo

gaudio

gaudio & lætitiâ exultare, & immortales Deo gratias agere.

Eſt Catech. §. Ex hac autem cogitatione maximus fructus, &c.

Explicatur concluſio aptiſsimâ ſimilitudine: Nã ſi grata & iucunda medicamenta videri ſolent, quæ medicorum arte & induſtria cùm graui aliquo morbo laboramus, parãtur; quantò iucũdiora eſſe debẽt ea remedia, quę Dei ſapientia ad animorum curationem, atque adeò ad vitam reparãdam inſtituit? cùm præſertim non quidem dubiam ſalutis ſpem, vt medicinæ illæ quæ corporibus adhibentur, ſed certiſsimam ijs qui ſanari cupiunt, ſalutem afferant.

Documenta Spiritualia.

Ex antedictis Catechiſmus ſuo more infert, duo Documenta Spiritualia.

Primum, fideles omnes cognitâ huius tam ampli & præclari muneris dignitate & vtilitate, ſtudere debere, vt ad ſuum commodum illud religioſè cõuertant; Vix enim fieri poteſt, vt qui re vtili & neceſſariâ non vtitur, eam cõtemnere non exſtimetur: prę- ſertim cùm Dominus hanc poteſtatem remittendi peccata ea re tradiderit Eccleſiæ, vt omnes hoc ſalutari remedio vterẽtur. Nam quemadmodùm nemo ſine baptiſmo expiari poteſt; ita quicumq; baptiſmi gratiam mortiferis ſceleribus amiſſam recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirùm pœnitentiæ Sacramentum confugiat neceſſe eſt.

Alterum, fideles omnes cauere oportere ne tam ampla venię facultate propoſita, quam etiam nullius temporis termino definiri declarauimus, vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcendum tardiores

domum tuam: Cùm igitur homo factus eſſet, vt hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priuſquã in cælum aſcenderet, vt ibi ad dexteram Dei in perpetuum ſederet, eam poteſtatẽ Epiſcopis & præsbiteris in Eccleſia conceſsit.

Ad alteram partem dicendum eſt, non eandem prorſus poteſtatem tributam eſſe hominibus, quæ eſt in ipſo Deo: Nam vt anteà docuimus Chriſtus ſuâ auctoritate, cæteri vt eius miniſtri peccata dimittunt.

CONCLVSIO II.

Secundò perſpici poteſt præſtantia & dignitas huius poteſtatis, ex ratione quà Deus clementiſsimus pater, mũdi peccata delere conſtituit: Nam ſanguine vnigeniti filij ſui ſcelera noſtra expiari voluit, vt pœnam, quam nos pro peccatis commeruimus vltrò ille perſolueret, iuſtuſq́; pro iniuſtis damnaretur, innocẽſq́; pro reis morte certiſsima afficeretur.

Eſt Catech. §. Sed ipſa etiam ratio, &c.

Explicatur: Nam cùm animo cogitabimus nos, vt loquitur D. Petrus, I. Epiſtolæ I. cap. non corruptibilibus auro & argento redemptos eſſe, ſed prætioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, facilè ſtatuemus nihil nobis prętantiùs, ſalubriuſque contingere potuiſſe hac remittẽdi peccata poteſtate, quæ inexplicabilem Dei prouidentiam, ſummamq́ue ergà nos charitatem oſtendit.

CONCLVSIO III.

Summa huius poteſtatis vtilitas ex eo apparet, quòd peccator fide huius poteſtatis confirmatus, in ſpem erigitur: fieri poſſe, vt ex ſtatu damnationis, in quem ſe per peccatum præcipitârat, reſtituatur in ſtatum ſalutis, à quo peccando exciderat. Pro quo ſummo beneficio non poteſt non ſummo

gaudio

gaudio & lætitiâ exultare, & immortales Deo gratias agere.

Eſt Catech. §. Ex hac autem cogitatione maximus fructus, &c.

Explicatur concluſio aptiſsimâ ſimilitudine: Nã ſi grata & iucunda medicamenta videri ſolent, quæ medicorum arte & induſtria cùm graui aliquo morbo laboramus, parãtur; quantò iucũdiora eſſe debẽt ea remedia, quę Dei ſapientia ad animorum curationem, atque adeò ad vitam reparãdam inſtituit? cùm præſertim non quidem dubiam ſalutis ſpem, vt medicinæ illæ quæ corporibus adhibentur, ſed certiſsimam ijs qui ſanari cupiunt, ſalutem afferant.

Documenta Spiritualia.

Ex antedictis Catechiſmus ſuo more infert, duo Documenta Spiritualia.

Primum, fideles omnes cognitâ huius tam ampli & præclari muneris dignitate & vtilitate, ſtudere debere, vt ad ſuum commodum illud religioſè cõuertant; Vix enim fieri poteſt, vt qui re vtili & neceſſariâ non vtitur, eam cõtemnere non exſtimetur: pręſertim cùm Dominus hanc poteſtatem remittendi peccata ea re tradiderit Eccleſiæ, vt omnes hoc ſalutari remedio vterẽtur. Nam quemãdmodùm nemo ſine baptiſmo expiari poteſt; ita quicumq; baptiſmi gratiam mortiferis ſceleribus amiſſam recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirùm pœnitentiæ Sacramentum confugiat neceſſe eſt.

Alterum, fideles omnes cauere oportere ne tam ampla venię facultate propoſita, quam etiam nullius temporis termino definiri declarauimus, vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcendum tardiores

reddantur:

reddantur: In altero enim, cùm injurioſi & cõtumelioſi in hanc diuinam poteſtatem maniſeſtè deprehendantur, indigni ſunt, quibus Deus miſericordiã ſuam impertiatur: In altero verò magnoperè verendum eſt, ne morte præoccupati, fruſtrà peccatorum remiſsionem cõfeſſi fuerint, quam tarditate, & procraſtinatione meritò amiſerunt.

Et hæc de hoc articulo ſufficiunt.

CAPITIS XI ELVCIDATIO.

DE XI. SYMBOLI ARTICVLO. Carnis reſurrectionem.

INITIO explicationis articuli, vnum cum Catechiſmo obſeruandum eſt, hunc articulum præ cęteris diligétiſſimè in ſacris litteris non ſolum credendum proponi, ſed etiam varijs rationibus, & exemplis confirmari, propter duas potiſſimùm cauſas.

Prima, quia fides huius articuli plurimùm valet ad ſtabiliendam veritatem totius fidei & religionis chriſtianæ, ſicut è contrario incredulitas huius articuli omnem fidem & religionem chriſtianam penitus euertit; Sic enim argumentatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. cap. *Si mortuorum reſurrectio non eſt, Ergo Chriſtus non reſurrexit: Si Chriſtus non reſurrexit, Ergo inanis eſt & falſa prædicatio noſtra, Ergo inanis eſt & falſa fides veſtra.*

Altera,

Altera, quia tota ſpes fidelium nititur veluti firmiſsimo cuidam fundamento credulitati huius articuli: Cùm enim illi toto huius vitę tempore, pro benefactis nulla recipiant præmia, ſed perſecutiones, ærumnas, & miſerias, ſi nō eſſet reſurrectio mortuorum, prorſus omni ſpe exciderent, & miſerabiliores eſſent omnibus hominibus: Quod vidit idem Apoſtolus cùm ait, eodem loco: *Si in hac vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quare diligentiſsimè veritas huius articuli explicanda eſt.

QVAESTIO I.

Quare Apoſtoli reſurrectionem hominum vocant reſurrectionem carnis?

CONCLVSIO I.

Primò, vt docerent, quod neceſſariò ponendum eſt, animam eſſe immortalem.

Eſt Catech. §. Sed imprimis attendere oportebit, &c.

Nam ſi dixiſſent hominum reſurrectionem, cùm homo cōſtet animâ & corpore, cogitare aliquis potuiſſet, hominem nō ſolùm quoad corpus, ſed etiam quoad animam interire & quoad vtrūque reſurgere, quod falſum eſt, cùm plurimis ſacrarum litterarum locis conſtet animam eſſe immortalem.

Ex quâ concluſione vlteriùs ſequitur, quòd quāuis ſæpè in ſcripturis ſacris, Caro, integrum hominē ſignificet, vt apud Iſaiam, cap. 40. *Omnis caro fœnum:* Et apud Ioannem, cap. 1. *Verbum caro factum eſt*; hoc loco tamen, carnis vox, corpus tantùm ſignificat, vt

duarum partium animæ & corporis, quibus homo conſtat, alteram tantùm, nempe corporis, corrumpi, & in puluerem terræ, ex quâ compactum eſt, redire, animam verò incorruptam manere intelligamus.

CONCLVSIO II.

Carnis quoque mentionem fecerunt, illius hæreſis confutandæ causâ, quæ viuo Apoſtolo Hymenei & Phileti fuit, qui aſſerebant, cùm de reſurrectione in ſacris ſcripturis ageretur, nō de corporeâ, ſed de ſpirituali, quâ à morte peccati ad vitam innocentem reſurgitur, accipiendum eſſe.

Eſt Catech. §. Carnis quoque mentio, &c.

DIFFICVLTAS VNICA PERmaximi momenti.

Quibus potiſsimùm argumentis probari poteſt reſurrectio corporum?

Primò exemplis ex veteri, nouoque teſtamento, & ex omni hiſtoria Eccleſiaſtica depromptis. Alij enim ab Helia, & Heliſeo in veteri teſtamento, alij præter eos quos Chriſtus Dominus à morte excitauit, à ſanctis Apoſtolis, alijſque permultis ad vitam reuocati ſunt: quæ reſurrectio multorum huius articuli doctrinā clarè oſtendit. Vt enim plures à morte excitatos credimus: ita vniuerſos ad vitam reuocatū iri credendum eſt. Quin etiam præcipuus fructus, quem nos ex huiuſmodi miraculis capere debemus; ille eſt, vt ſummam fidem huic articulo tribuamus.

Secundò ſacrarum litterarum teſtimonijs, quæ Parochis & Catechiſtis, qui in ſacris litteris mediocriter verſati ſunt facilè occurrent. Illuſtriora loca ſunt in veteri quidem teſtamento, quæ leguntur apud Iob, 19. cap. cùm ait ſe in carne ſua cōſpecturum Deum ſuum: Et apud Danielem cap. 12. de ijs, qui in pul-

in puluere terræ dormiunt, alios in vitam æternam, alios in opprobrium ſempiternum euigilaturos: In nouo autem teſtamento, quæ ſanctus Matthæus refert, cap. 22. de diſputatione, quam Dominus cum Sadducæis habuit: Præterea qua Euangeliſtæ narrāt de extremo iudicio. Atque huc etiam referēda ſunt, quæ Apoſtolus ad Corinthios, 1. epiſt. 15. & ad Theſſalonicenſes ſcribens, 1. epiſt. 4. accurata oratione diſſeruit.

Tertiò, ſimilitudinibus & rationibus, quibus etſi non poſſumus futuram corporum reſurrectionem euidēter probare, poſſumus tamē oſtendere id quod fides de reſurrectione carnis credendum proponit, à naturâ & ab humanę mētis intelligētiâ nō abhorrere. Itaque Apoſt. quærēti quomodo reſurgerēt mortui, 1. ad Corinth. 15. ſic reſpondit: *Inſipiens tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur: & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granū, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus ſicut vult.* Et paulò poſt, inquit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.*

Ad eam ſimilitudinem multas præterea adiungi poſſe, ſanctus Gregorius, lib. 14. moral. cap. 30. oſtēdit: *Lux enim*, inquit, *quotidiè quaſi moriendo oculis ſubtrahitur, & rurſus quaſi reſurgendo reuocatur: Et arbuſta viriditatem amittunt, & rurſus quaſi reſurgendo reparātur: Et ſemina putreſcēdo moriuntur & rurſū germinando reſurgūt.*

Rationes præterea, quæ ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus afferuntur, ſatis ad eam rem probandam accōmodatæ videri poſſunt. Ac primùm quidem, cùm animæ immortales ſint, & tanquam pars hominis ad humana corpora naturalem propenſionem habeāt, eas à corporibus ſeiunctas perpetuò manere præter

poſt baptiſmum concupiſcentia, quæ nos vſque ad vitæ finē ad peccata incitare non deſinit, & vix vllus reperitur, qui vel tam acriter illi reſiſtat, vel tã diligenter, & vigilanter ſalutem ſuam tueatur, vt omnia peccata vitare poſsit.

Clauium Eccleſiæ traditarum clariſsima teſtimonia in ſacris litteris habemus; Nam apud S. Matthæũ, cap. 16. Dominus ita ad Petrum loquitur: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcũque ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terrã, erit ſolutum & in cælis.* Item cap. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Deinde ſanctus Ioannes cap. 20. teſtatur Dominum, cùm inſufflâſſet Apoſtolis dixiſſe: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

QVAESTIO III.

An per claues Eccleſiæ omnia peccatorum genera, & omni tempore remitti poſsint?

CONCLVSIO I.

Non eſt exiſtimandum claues, hoc eſt, poteſtatem peccata remittendi certis quibuſdam peccatorum generibus definitam eſſe.

Eſt Catech. §. Neque verò exiſtimandum eſt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 86. art. 1.

Nullum enim tam nefarium facinus vel admitti vel cogitari poteſt, cuius remittendi poteſtatem ſancta Eccleſia non habeat, quemadmodùm etiam nemo adeò improbus & ſceleſtus fuerit, quem ſi errato-

torum

torum ſuorũ verè pœniteat, certa ei veniæ ſpes propoſita eſſe non debeat.

CONCLVSIO II.

Sed neque hæc eadẽ poteſtas ita circumſcribitur, vt præfinito ſolùm aliquo tempore, eâ vti liceat.

Eſt Catech. §. Sed neque hoc, &c. Et D. Thom. p.3.q.84.art.10.

Nam quacumque horâ peccator ad ſanitatem redire voluerit, reijciendum non eſſe docuit Saluator noſter, Matth.18. cum Principi Apoſtolorum interroganti, Quoties peccatoribus ignoſcendum eſſet, an ſepties, Reſpondit: Non ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

QVAESTIO IIII.

An omnibus fidelibus ſint conceſſæ claues regni cælorum?

CONCLVSIO VNICA.

Dominus non omnibus, ſed Epiſcopis tantùm & ſacerdotibus tam ſancti muneris poteſtatem dedit.

Eſt Catech. §. Verũ ſi miniſtros, &c. Et D. Thom. in quæſt. addit. q.19. art.3.

QVAESTIO V.

An Epiſcopi & Sacerdotes quacumque ratione peccata remittere poſſint?

CONCLVSIO VNICA.

Epiſcopi & Sacerdotes, non pro libitu peccata remittunt, ſed per Sacramenta ſolùm, ſi eorum formas ſeruent, aliter enim nullum ius à peccatis ſoluendi Eccleſiæ datum eſt.

Eſt Catech. §. Idem etiam cenſendum erit. Et D. Thom. ſup.

Ex his duabus quæſtionibus & concluſionibus reſolutiuis euidenter ſequitur, tum Sacerdotes, tum Sacramenta, ad peccata condonanda, veluti inſtrumenta ſolùm valere, quibus Chriſtus Dominus auctor ipſe & largitor ſalutis, remiſsionem peccatorum & iuſtitiam in nobis efficit.

Et hæ quidem quæſtiones ſic explicatæ ſufficere poterant, pro qualicumq; intellectu articuli; verùm vt fideles cæleſte hoc munus, quod ſingulari in nos Dei miſericordiâ Eccleſiæ donatum eſt, magis ſuſpiciant, atque ad eius vſum & tractationem ardentiori pietatis ſtudio accedant, Catechiſmus quaſdam alias quæſtiones ſubijcit, quibus huius gratiæ dignitatem & amplitudinem demonſtrat, quas ideò oportere etiam explicare cenſuimus.

QVAESTIO VI.

Quibus potiſſimùm argumentis oſtẽdi poteſt præſtantia & vtilitas poteſtatis remittendi peccata, quam Eccleſiæ conceſſam confitemur?

Conclvsio Prima.

Primò, ex eo quod remiſſio peccatorum non poteſt niſi infinitâ & immensâ Dei vi effici, eâdem videlicet qua ad excitãdos mortuos, & ad mundi creationem requiritur.

Eſt Catech. §. Ea autem ex hoc potiſsimùm perſpicitur, &c.

Probatur ratione theologica tali: Nam ſi, vt docet, D. Auguſtinus tract. 72. in Ioannem: *Maius opus exiſtimãdum eſt aliquem ex impio pium facere, quàm cælum & terram*

& terram ex nihilo creare, cùm ipſa creatio non niſi ex infinita virtute poſsit exiſtere; conſequẽs eſt vt multò magis peccatorum remiſsio, infinitæ poteſtati tribuenda ſit.

Ex quibus infertur veriſsimas eſſe priſcorum Patrum voces, quibus confitentur ab vno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium auctorem, quàm ad ſummam eius bonitatem & potentiam tam mirificum opus referendum eſſe.

Cõfirmatur hæc doctrina tum aperto ſcripturæ ſacræ teſtimonio, tum euidẽti ratione: Ita enim Dominus ait per Iſaiam Prophetam, cap. 43. *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas.*

Concordat ratio: Nam ſcelerum remittendorum eadẽ ratio videtur eſſe, quam in pecunia debita ſeruare oportet, Quemadmodùm igitur à nemine, niſi à creditore, pecunia quæ debetur, remitti poteſt; ita cùm vni Deo peccatis obſtricti ſimus (ſiquidẽ quotidie oramus, *dimitte nobis debita noſtra*) perſpicuũ eſt, à nemine, præter illum debita nobis condonari poſſe.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quo tempore primùm poteſtas remittendi peccata cõceſſa eſt hominibus? Et, An prorſus eadem poteſtas ſit data hominibus, quæ eſt in Deo?

Ad primam difficultatis partem dicendum eſt, quod hoc admirabile & diuinum munus antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ impartitum eſt: Primus omnium Chriſtus ſaluator noſter, vt homo, cùm idem Deus verus eſſet, hoc munus à cæleſti patre traditũ accepit: *Vt ſciatis* (inquit Matth. 9.) *quia filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico; Surge, tolle grabatum tuum, & vade in*

domum tuam: Cùm igitur homo factus eſſet, vt hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priuſquã in cælum aſcenderet, vt ibi ad dexteram Dei in perpetuum ſederet, eam poteſtatẽ Epiſcopis & præsbiteris in Eccleſia conceſsit.

Ad alteram partem dicendum eſt, non eandem prorſus poteſtatem tributam eſſe hominibus, quæ eſt in ipſo Deo: Nam vt anteà docuimus Chriſtus ſuâ auctoritate, cæteri vt eius miniſtri peccata dimittunt.

CONCLVSIO II.

Secundò perſpici poteſt præſtantia & dignitas huius poteſtatis, ex ratione quâ Deus clementiſsimus pater, mũdi peccata delere conſtituit: Nam ſanguine vnigeniti filij ſui ſcelera noſtra expiari voluit, vt pœnam, quam nos pro peccatis commeruimus vltrò ille perſolueret, iuſtuſq; pro iniuſtis damnaretur, innocẽſq; pro reis morte certiſsima afficeretur.

Eſt Catech. §. Sed ipſa etiam ratio, &c.

Explicatur: Nam cùm animo cogitabimus nos, vt loquitur D. Petrus, 1. Epiſtolæ 1. cap. non corruptibilibus auro & argento redemptos eſſe, ſed prætioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, facilè ſtatuemus nihil nobis pręſtantiùs, ſalubriuſque contingere potuiſſe hac remittẽdi peccata poteſtate, quæ inexplicabilem Dei prouidentiam, ſummamque ergà nos charitatem oſtendit.

CONCLVSIO III.

Summa huius poteſtatis vtilitas ex eo apparet, quòd peccator fide huius poteſtatis confirmatus, in ſpem erigitur fieri poſſe, vt ex ſtatu damnationis, in quem ſe per peccatum præcipitârat, reſtituatur in ſtatum ſalutis, à quo peccando exciderat. Pro quo ſummo beneficio non poteſt non ſummo

gaudio

gaudio & lætitiâ exultare, & immortales Deo gratias agere.

Eſt Catech. §. Ex hac autem cogitatione maximus fructus, &c.

Explicatur concluſio aptiſsimâ ſimilitudine: Nã ſi grata & iucunda medicamenta videri ſolent, quæ medicorum arte & induſtria cùm graui aliquo morbo laboramus, parãtur; quantò iucũdiora eſſe debẽt ea remedia, quę Dei ſapientia ad animorum curationem, atque adeò ad vitam reparãdam inſtituit? cùm præſertim non quidem dubiam ſalutis ſpem, vt medicinæ illæ quæ corporibus adhibentur, ſed certiſsimam ijs qui ſanari cupiunt, ſalutem afferant.

Documenta Spiritualia.

Ex antedictis Catechiſmus ſuo more infert, duo Documenta Spiritualia.

Primum, fideles omnes cognitâ huius tam ampli & præclari muneris dignitate & vtilitate, ſtudere debere, vt ad ſuum commodum illud religioſè cõuertant; Vix enim fieri poteſt, vt qui re vtili & neceſſariâ non vtitur, eam cõtemnere non exſtimetur: pręſertim cùm Dominus hanc poteſtatem remittendi peccata ea re tradiderit Eccleſiæ, vt omnes hoc ſalutari remedio vterẽtur. Nam quemãdmodùm nemo ſine baptiſmo expiari poteſt; ita quicumq; baptiſmi gratiam mortiferis ſceleribus amiſſam recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirùm pœnitentiæ Sacramentum confugiat neceſſe eſt.

Alterum, fideles omnes cauere oportere ne tam ampla venię facultate propoſita, quam etiam nullius temporis termino definiri declarauimus, vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcendum tardiores

reddantur: In altero enim, cùm iniurioſi & cõtumelioſi in hanc diuinam poteſtatem manifeſtè deprehendantur, indigni ſunt, quibus Deus miſericordiã ſuam impertiatur: In altero verò magnoperè verendum eſt, ne morte præoccupati, fruſtrà peccatorum remiſsionem cõfeſsi fuerint, quam tarditate, & procraſtinatione meritò amiſerunt.

Et hæc de hoc articulo ſufficiunt.

CAPITIS XI ELVCIDATIO.

DE XI. SYMBOLI ARTICVLO. Carnis reſurrectionem.

INITIO explicationis articuli, vnum cum Catechiſmo obſeruandum eſt, hunc articulum præ cęteris diligẽtiſſimè in ſacris litteris non ſolum credendum proponi, ſed etiam varijs rationibus, & exemplis confirmari, propter duas potiſſimùm cauſas.

Prima, quia fides huius articuli plurimùm valet ad ſtabiliendam veritatem totius fidei & religionis chriſtianæ, ſicut è contrario incredulitas huius articuli omnem fidem & religionem chriſtianam penitus euertit; Sic enim argumentatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. cap. *Si mortuorum reſurrectio non eſt, Ergo Chriſtus non reſurrexit: Si Chriſtus non reſurrexit, Ergo inanis eſt & falſa prædicatio noſtra, Ergo inanis eſt & falſa fides veſtra.*

Altera,

Altera, quia tota ſpes fidelium nititur veluti firmiſsimo cuidam fundamento credulitati huius articuli: Cùm enim illi toto huius vitę tempore, pro benefactis nulla recipiant præmia, ſed perſecutiones, ærumnas, & miſerias, ſi nõ eſſet reſurrectio mortuorum, prorſus omni ſpe exciderent, & miſerabiliores eſſent omnibus hominibus: Quòd vidit idem Apoſtolus cùm ait, eodem loco: *Si in hac vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quare diligentiſsimè veritas huius articuli explicanda eſt.

QVAESTIO I.

Quare Apoſtoli reſurrectionem hominum vocant reſurrectionem carnis?

CONCLVSIO I.

P*Rimò, vt docerent, quod neceſſariò ponendum eſt, animam eſſe immortalem.*

Eſt Catech. §. Sed imprimis attendere oportebit, &c.

Nam ſi dixiſſent hominum reſurrectionem, cùm homo cõſtet animâ & corpore, cogitare aliquis potuiſſet, hominem nõ ſolùm quoad corpus, ſed etiam quoad animam interire & quoad vtrũque reſurgere, quod falſum eſt, cùm plurimis ſacrarum litterarum locis conſtet animam eſſe immortalem.

Ex quâ concluſione vlteriùs ſequitur, quòd quamuis ſæpè in ſcripturis ſacris, Caro, integrum hominẽ ſignificet, vt apud Iſaiam, cap. 40. *Omnis caro fœnum:* Et apud Ioannem, cap. 1. *Verbum caro factum eſt*; hoc loco tamen, carnis vox, corpus tantùm ſignificat, vt

duarum partium animæ & corporis, quibus homo conſtat, alteram tantùm, nempe corporis, corrumpi, & in puluerem terræ, ex quâ compactum eſt, redire, animam verò incorruptam manere intelligamus.

CONCLVSIO II.

Carnis quoque mentionem fecerunt, illius hæreſis confutandæ causâ, quæ viuo Apoſtolo Hymenei & Phileti fuit, qui aſſerebant, cùm de reſurrectione in ſacris ſcripturis ageretur, nō de corporeâ, ſed de ſpirituali, quâ à morte peccati ad vitam innocentem reſurgitur, accipiendum eſſe. Eſt Catech. §. Carnis quoque mentio, &c.

DIFFICVLTAS VNICA PER- maximi momenti.

Quibus potiſſimùm argumentis probari poteſt reſurrectio corporum?

Primò exemplis ex veteri, nouoque teſtamento, & ex omni hiſtoria Eccleſiaſtica depromptis. Alij enim ab Helia, & Heliſeo in veteri teſtamento, alij præter eos quos Chriſtus Dominus à morte excitauit, à ſanctis Apoſtolis, alijſque permultis ad vitam reuocati ſunt: quæ reſurrectio multorum huius articuli doctrinâ clarè oſtendit. Vt enim plures à morte excitatos credimus: ita vniuerſos ad vitam reuocatū iri credendum eſt. Quin etiam præcipuus fructus, quem nos ex huiuſmodi miraculis capere debemus; ille eſt, vt ſummam fidem huic articulo tribuamus.

Secundò ſacrarum litterarum teſtimonijs, quæ Parochis & Catechiſtis, qui in ſacris litteris mediocriter verſati ſunt facilè occurrent. Illuſtriora loca ſunt in veteri quidem teſtamento, quæ leguntur apud Iob, 19. cap. cùm ait ſe in carne ſua cōſpecturum Deum ſuum: Et apud Danielem cap. 12. de ijs, qui

in puluere terræ dormiunt, alios in vitam æternam, alios in opprobrium ſempiternum euigilaturos: In nouo autem teſtamento, quæ ſanctus Matthæus refert, cap. 22. de diſputatione, quam Dominus cum Sadducæis habuit: Præterea quæ Euangeliſtæ narrãt de extremo iudicio. Atque huc etiam referẽda ſunt, quæ Apoſtolus ad Corinthios, 1. epiſt. 15. & ad Theſſalonicenſes ſcribens, 1. epiſt. 4. accurata oratione diſſeruit.

Tertiò, ſimilitudinibus & rationibus, quibus etſi non poſſumus futuram corporum reſurrectionem euidẽter probare, poſſumus tamẽ oſtendere id quod fides de reſurrectione carnis credendum proponit, à naturâ & ab humanę mẽtis intelligẽtiâ nõ abhorrere. Itaque Apoſt. quærẽti quomodo reſurgerẽt mortui, 1. ad Corinth. 15. ſic reſpondit: *Inſipiens tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur: & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granũ, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus ſicut vult.* Et paulò poſt, inquit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.*

Ad eam ſimilitudinem multas præterea adiungi poſſe, ſanctus Gregorius, lib. 14. moral. cap. 30. oſtẽdit: *Lux enim*, inquit, *quotidiè quaſi moriendo oculis ſubtrahitur, & rurſus quaſi reſurgendo reuocatur: Et arbuſta viriditatem amittunt, & rurſus quaſi reſurgendo reparãtur: Et ſemina putreſcẽdo moriuntur & rurſũ germinando reſurgũt.*

Rationes præterea, quæ ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus afferuntur, ſatis ad eam rem probandam accõmodatæ videri poſſunt. Ac primùm quidem, cùm animæ immortales ſint, & tanquam pars hominis ad humana corpora naturalem propenſionem habeãt, eas à corporibus ſeiunctas perpetuò manere præter

naturam exiſtimandum eſt. Quoniam verò, quod naturæ aduerſatur, ac violentum eſt, diuturnum eſſe non poteſt; conſentaneum fore videtur, vt denuò cũ corporibus iungantur: ex quo etiam ſequitur, vt corporum reſurrectio futura ſit. Hoc argumentãdi genere Saluator ipſe noſter vſus videtur, cùm aduerſus Sadducæos diſputans, Matth. 22. ex animarum immortalitate corporum reſurrectionem concluſit.

Deinde cùm malis ſupplicia, bonis præmia à iuſtiſsimo Deo ſint propoſita: ex illis verò quamplurimi, antequam debitas pœnas perſoluant, ex his magnâ ex parte nullis affecti virtutis præmijs è vitâ decedant: neceſſe eſt iterùm animas cum corporibus coniungi, vt pro ſceleribus, aut rectè factis, corpora, quibus veluti peccati ſocijs homines vtuntur, vnà cũ anima pœnâ, aut præmio afficiantur. Qui locus diligentiſsimè tractatus eſt à Sancto Chryſoſtomo in homilia ad Populum Antiochenum. Quare Apoſtolus, cùm de reſurrectione diſſereret, 1. Corinth. 15. *Si in hac vitâ*, inquit, *tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quæ quidem verba nemo ad animæ miſeriam referri exiſtimabit, quæ cùm immortalis ſit, quamuis corpora non reſurgerent, in futura tamen vita beatitudine frui poſſet, verùm de toto homine intelligenda ſunt. Niſi enim corpori debita pro laboribus præmia reddantur, neceſſe eſt, vt qui, quemadmodùm Apoſtoli, tot ærumnas & calamitates in vita perpeſſi ſunt, omniũ ſint miſerrimi. Idem verò multò apertiùs docet ad Theſſalonicenſes, his verbis: *Gloriamur in Eccleſiis Dei pro patientiâ veſtrâ, & fide, in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: Si*

mini: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui nos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum Angelis virtutis eius, in flammâ ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Adde etiam non poſſe homines, quamdiu anima à corpore ſeiuncta eſt, plenam fælicitatem, & bonis omnibus cumulatam adipiſci. Vt enim quælibet pars, à toto ſeparata, imperfecta eſt: ita etiam anima, quæ corpori non eſt adiuncta. Ex quo ſequitur, vt illi ad ſummam fælicitatem nihil deſit, corporũ reſurrectionem neceſſariam eſſe.

QVAESTIO II.

An omnes homines reſurgent?

CONCLVSIO VNICA.

Omni malorum bonorumq́; diſcrimine remoto, omnes à mortuis, quanquã non omnium par conditio futura eſt, reſurgent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

Eſt Catech. §. Explicare preterea diligenter oportebit. Et D. Thom. in quæſt. addit. q. 75. art. 2.

Docet hanc Apoſtolus, 1. ad Corinth. 15. cap. his verbis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Cùm (*omnes*) dicimus in concluſione, tàm eos intelligimus, qui aduentante iudicio mortui iam erũt, quàm eos qui morientur; Huic enim ſententiæ, quæ aſſerit omnes morituros eſſe, nemine excepto, Eccleſiam acquieſcere, ipſamq́; ſententiam magis veritati conuenire, ſcriptũ reliquit S. Hieronymus, epiſt. 152. ad Mineriam & Alexandrum. Idem ſentit & D. Au-

guſtinus, lib. 20. de ciuit. cap. 20.

Neque huic ſententiæ repugnant Apoſtoli verba, ad Theſſalonicenſes ſcripta: *Mortui qui in Christo ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra;* Nam Sanctus Ambroſius cum ea explanaret, in epiſt. ad Theſſal. cap. 4. ita inquit: *In ipſo raptu mors præueniet, & quaſi per ſoporem, vt egreſſa anima in momento reddatur. Cùm enim tollentur, morientur, vt peruenientes ad Dominum, præſentia Domini recipiat animos, quia cum Domino mortui eſſe non poſſunt.* Eademque ſententia comprobatur ſancti Auguſtini auctoritate in libro ſupraſato de ciuitate Dei, cap. 20.

QVAESTIO III.

An idem numero corpus reſurget?

CONCLVSIO VNICA.

HOc ipſum, atque adeò idem corpus, quod vniuſcuiuſque proprium fuit, quamuis corruptum ſit & in puluerem redierit, ad vitam ſuſcitandum eſſe, certò credendum eſt.

Eſt Catech. §. Cùm verò multum referat. Et D. Thom in quæſt. add. q. 79. art. 1.

Hæc Apoſtoli eſt ſententia cùm inquit, 1. ad Corinth. 15. cap. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem:* ea voce, *hoc*, proprium corpus apertè demonſtrans. Iob etiam de eo clariſſimè vaticinatus eſt, cap. 19. *Et in carne mea,* inquit, *videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.*

Hoc idem colligitur ex ipſius reſurrectionis definitione: Eſt enim reſurrectio, auctore Damaſceno, lib. 4. de Orthod. fide cap. 28. ad eum ſtatum vnde cecideris, reuocatio.

Denique ſi conſideremus cuius rei cauſa reſurre-

ctionem

ctionem futuram paulò ante demonſtratum eſt, nihil erit, quod cuiuſquam animum hac in re dubiú ſacere poſsit; Idcirco enim corpora excitanda eſſe docuimus, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. Hominem igitur cùm ipſo corpore, cuius operâ vel Deo, vel Dæmoni ſeruiuit, reſurgere oportet: vt cum eodē corpore triumphi coronas, & præmia conſequatur, aut pœnas & ſupplicia miſerrima perferat.

DIFFICVLTAS VNICA, maximi momenti,

An corpus reſurget integrum?

Dicendum quod non tātùm corpus reſurget, ſed quicquid ad illius naturæ virtutē, atque ad hominis decus & ornamentum pertinet, reſtituendum eſt.

Præclarum eâ de re ſancti Auguſtini teſtimoniū legimus, lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 19. *Nihil tunc vitij,* inquit, *in corporibus exiſtet, ſi aliqui plus pinguedine obeſi, & craßi extiterint, non totam corporis molem aſſument, ſed quòd illam habitudinē ſuperabit, reputabitur ſuperfluum: Et è diuerſo quæcumque vel morbus, vel ſenium confecit in corpore, reparabitur per Chriſtum virtute diuinâ: vt ſi aliqui propter macrorem fuerint graciles, quia Chriſtus non ſolum nobis corpus reparabit, ſed quidquid per miſeriam huius vitæ fuerit nobis ademptum.* Item alio loco: *Non reſumet homo capillos, quos habuerit, ſed quos decuerit, iuxtà illud: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt, qui ſecundum diuinam ſapientiam ſunt ſeparandi.*

In primis verò, quoniam membra ad veritatem humanæ naturæ pertinent, ſimul reſtituentur omnia: Qui enim vel ab ipſo ortu oculis capti ſunt, vel ob aliquem morbum lumina amiſerunt, claudi, atque

omninò manci, & quibuſuis membris debiles, integro ac perfecto corpore reſurgent; aliter enim animæ deſiderio, quæ ad corporis coniunctionem propenſa eſt, minimè ſatisfactum eſſet: cuius tamen cupiditatem in reſurrectione explendam eſſe, ſine dubitatione credimus.

Præterea ſatis conſtat, reſurrectionem æquè, ac creationem, inter præcipua Dei opera numerari. Quemadmodùm igitur omnia à Deo initio creationis perfecta fuerunt: ita etiam in reſurrectione futurum omninò affirmare oportet.

Neque id de Martyribus ſolùm fatendum eſt, de quibus ſanctus Auguſtinus, lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 20. ita teſtatur: *Non erunt abſque illis membris: non enim poſſet illa mutilatio non eſſe corporis vitium, alioquin qui capite truncati ſunt, deberent ſine capite reſurgere: veruntamen extabunt in eorũdem membrorum articulis gladij cicatrices refulgentes ſuper omne aurum, & lapidem pretioſum, veluti cicatrices vulnerum Chriſti;*

De improbis idem quoque veriſſimè dicitur, etſi illorum culpâ membra amputata fuerint: nam quò plura membra habebunt, tantò acerbiori dolorum cruciatu conficientur. Quare illa membrorum reſtitutio non ad eorum fœlicitatem, ſed calamitatem, ac miſeriam eſt redundatura: cùm merita non ipſis mẽbris, ſed perſonæ, cuius corpori coniuncta ſunt, adſcribantur: Nam ijs, qui pœnitentiam egerunt, ad præmium; illis verò qui eandem contempſerunt, ad ſupplicium reſtituentur.

MONITIO.

Vnius hoc loco à nobis cum Catechiſmo monẽdi ſunt Parochi & Catechiſtæ, vt hanc doctrinam &

attentè

attentè conſiderent & diligenter ſuos auditores doceant: Nam ſi hoc fecerint, nũquam eis rerum & ſententiarum copia deerit ad excitãdos inflammandoſque pietatis ſtudio fidelium animos, vt vitæ huius moleſtias & ærumnas cogitantes, beatam illam reſurrectionis gloriam, quæ iuſtis & pijs propoſita eſt, auidè expectent.

QVAESTIO IIII.

An corpus reſurget tale quale nunc eſt: Siue, An alia futura ſit conditio corporum reſurgentium ab ea, quæ eſt in hac vita?

CONCLVSIO VNICA.

SI ſpectemus ea, quæ corporis ſubſtantiam conſtituunt, quamuis illud ipſum atque idem corpus à mortuis reuocari oporteat, quod anteà extinctum fuerat, longè alia tamen & diuerſa eius conditio futura eſt. Vt enim cætera omittamus, in eo maximè reſurgẽtium corpora à ſeipſis different, quod cùm anteà mortis legibus ſubiecta eſſent, poſtquam ad vitam ſuſcitata fuerint, ſublato bonorũ malorũq́; diſcrimine, immortalitatem aſſequentur.

Eſt Catech. §. Sequitur nunc vt fideles, &c. Et D. Thom. in quæſt. addit. q. 81. art. 4.

Hanc admirabilem naturæ reſtitutionẽ inſignis Chriſti victoria meruit, quam de morte reportauit, quemadmodùm ſacrarum litterarũ teſtimonia nos admonent: Scriptum eſt enim, Eſaię 25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* Et Oſeę 13. *Ero mors tua ô mors.* quod explicans Apoſtolus, 1. ad Corinth. 15. inquit: *Nouiſſimè inimica deſtruetur mors.* Et apũd S. Ioannem, Apocal. 21. legimus: *Mors vltrà non erit.*

Decebat enim maximè Chriſti Domini merito, quo mortis imperium euerſum eſt, peccatum Adæ longo interuallo ſuperari.

Idem etiam diuinæ iuſtitiæ conſentaneum fuit, vt boni beata vita perpetuò fruerentur, mali verò ſempiternas pœnas luerent, quærerent mortem & nō inuenirēt: optarent mori & mors fugeret ab eis.

Atque hæc quidem immortalitas bonis, & malis communis erit.

Conſule D. Thomam loco proximè allegato.

QVAESTIO V.

Quot & quæ ſunt dotes corporum glorioſorum?

VT intelligatur quæſtio, notandū eſt per dotes in quæſtione DD. Scholaſticos intelligere inſignia quædam & præclara ornamēta, quibus ſanctorum corpora poſt reſurrectionem multò nobiliora & pulchriora ſint futura, quàm vnquam anteà fuerant. Sicut enim ſponſa, quando traducitur in domum ſponſi, ornatur & dotatur: ita quando anima, quæ per gratiam gratum facientem fit ſponſa Chriſti, introducitur in domum ſponſi, hoc eſt, in regnum Chriſti, quod eſt locus beatorum, ornatur, & dotatur ornamētis quibuſdā, & qualitatibus ſupernaturalibus pulcherrimis, quæ ab ipſa anima in corpus redūdant, vt docet D. Thomas locis ſtatim allegandis.

Hoc prænotato reſpōdetur aliquot cōcluſionib⁹.

CONCLVSIO I.

QVatuor ſunt præcipuæ dotes corporum glorioſorum, quæ ſunt impaſſibilitas, claritas, agilitas, ſubtilitas.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Habebunt prætereà. Et D. Thom. in quæſt. addit. q. 82.

Hæ qualitates deſcribūtur ab Apoſtolo, 1. ad Corinth. 15. cap. his verbis: *Seminatur corpus hoc in corruptione, ſurget in incorruptione.* Incorruptio ſignificat primam dotem, hoc eſt, impaſsibilitatem: Rurſus, *Seminatur in infirmitate ſurget in gloriâ.* Gloria ſignificat ſecundā dotē, videlicet claritatē. Rurſus, *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Virtus ſignificat dotem agilitatis. Rurſus, *Seminatur animale, ſurget ſpirituale.* Spiritualitas ſignificat quartam dotem, ſcilicet ſubtilitatem.

CONCLVSIO II.

PRima dos corporum glorioſorum eſt, impaſsibilitas, hoc eſt, donum quoddam ſpirituale, ſiue qualitas, quâ fit vt corpora ſanctorum neque moleſti aliquid pati, vllóue dolore, aut incommodo affici queant.

Eſt Catech. §. Harum prima eſt, &c. Et D. Thomę ſup.

Quòd hanc dotem, impaſsibilitatē potiùs, quàm incorruptionem Doctores ſcholaſtici appellârint, ea cauſa fuit, vt quod eſt proprium corporis glorioſi ſignificarent; non enim impaſsibilitas illis communis eſt cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia ſint, æſtuare tamen poſſunt atque algere, varijſque cruciatibus affici.

CONCLVSIO III.

SEcunda eſt, claritas per quam corpora ſanctorum, ſicut ſol fulgebunt.

Eſt Catech. §. Hanc conſequitur alia claritas. Et D. Thom. ſup.

Ita enim apud Matthæum, cap. 13. teſtatur Saluator no-

tor noſter: *Iuſti*, inquit, *fulgebunt, ſicut ſol in regno patris eorum*.

Idipſum declarauit exemplo ſuæ transfigurationis, Matth. 17.

Hanc interdum Apoſtolus gloriam modò claritatem appellat, ad Philipp. 3. cap. *Reformauit*, inquit, *corpus humilitatis noſtræ, cōfiguratum corpori claritatis ſuæ*. Et rurſus, 1. ad Corinth. 15. cap. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ*.

Huius gloriæ imaginem quandam vidit populus Iſraël in deſerto, Exod. 34. cùm facies Moyſis ex colloquio & pręſētiâ Dei ita colluceret, vt in eam filij Iſraël oculos intendere non poſſent.

Claritas hæc, eſt fulgor quidam ex ſumma animæ fælicitate ad corpus redundans, ita vt ſit quædam cōmunicatio illius beatitudinis, quâ anima fruitur, quomodo etiam anima ipſa beata efficitur, quòd in eam pars diuinæ fælicitatis deriuetur.

Hoc munere, non omnes ęquè, perindè ac primo ornari credendum eſt: Erunt quidem ſanctorū corpora omnia æquè impaſsibilia, ſed eundem ſplendorem non habebunt: Nam, vt teſtatur Apoſtolus, 1. ad Corinth. 15. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtellâ differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum*.

CONCLVSIO IIII.

Tertia eſt agilitas, per quam corpus ab onere, quo nūc premitur, liberabitur, facillimeq́ in quamcumque partem anima voluerit, ita moueri poterit, vt eâ motione nihil celerius eſſe queat.

Eſt Catec. § Cum hac dote coniuncta eſt. Et D. Thom. in quæſt. addit. q. 84. art. 1.

Docent hanc; primò ſcriptura ſuperius allegata: *Seminatur corpus hoc in infirmitate, ſurget in virtute,* hoc eſt, agilitate.

Deinde Patres Eccleſiæ, D. Auguſtinus, lib.13.de Ciuit. Dei, cap. 18 & 20. & lib. 22. cap.11. Et D. Hieronymus in 40. cap. Iſaiæ ſuper illa verba, *Mutabunt fortitudinem.*

CONCLVSIO VLTIMA.

Quarta dos eſt ſubtilitas, cuius virtute corpora animæ omninò ſubijcientur, & ad nutũ præſto erũt ad omnes ſpirituales actiones exercendas.

Eſt Catech. §. His verò addita eſt. Et D. Thom. in quæſt.addit. q.83. art.1.

Hæc ex illis Apoſtoli verbis oſtenditur, 1. ad Corinth. 15. cap. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.*

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis ſuo more Catechiſmus infert duo Documenta Spiritualia.

Primum, maximas à nobis Deo gratias agendas eſſe, qui hæc ſapiẽtibus abſcõderit, & reuelauerit paruulis. Quot enim viri vel prudentiæ laude præſtantes, vel ſingulari doctrinâ præditi, in hac tam certâ veritate cæci planè fuerunt? Quòd igitur nobis illa patefecerit, quibus ad eam intelligentiam adſpirare non licebat, eſt quòd ſummam eius benignitatem, & clementiam perpetuis laudibus celebremus. Alterum, plurimos præſtantiſſimoſque fructus ex huius articuli meditatione ad nos prouenire; imprimis maximus ille fructus ad nos redit, quòd ſcilicet in eorum morte, qui nobis neceſſitudine, vel beneuolentiâ coniuncti ſunt, facilè tum alios, tum nos ipſos

conſola-

conſolabimur. Quo quidem genere conſolationis Apoſtolum vſum eſſe conſtat, cum ad Theſſalonicenſes, 1. epiſtolæ 4. cap. de dormientibus ſcriberet.

Deinde in omnibus etiam alijs ærumnis, & in calamitatibus, futuræ reſurrectionis cogitatio ſummā nobis doloris leuationem afferet: Quemadmodùm ſancti Iob exemplo didicimus cap. 19. qui vna hac ſpe afflictum & mœrentem animum ſuſtētabat, fore aliquando, vt in reſurrectione Dominum Deū ſuum conſpiceret.

Prætereà hoc plurimùm valebit ad perſuadendū fidelibus populis, vt rectam vitam, integram, ab omniq; prorſus peccati labe puram agere quamdiligentiſsimè curent. Si enim cogitauerint ingentes illas diuitias, quæ reſurrectionem conſequuntur, ipſis propoſitas eſſe, facilè ad virtutis, & pietatis ſtudia allicientur. Contrà verò, nulla res maiorem vim habitura eſt ad comprimendas animi cupiditates, hominesq́; à ſceleribus auocandos, quàm ſi ſæpius admoneantur, quibuſnam malis, & cruciatibus improbi afficiendi ſunt, qui extremo illo die procedent in reſurrectionem iudicij.

(·.·)

CAPI-

CAPITIS XII. ELVCIDATIO.

DE XII. SYMBOLI ARTICVLO.

Vitam æternam.

ELVCIDATIONI poſtremi articuli duo cum Catechiſmo præmittenda ſunt;

Primùm, articulum de vita æterna poſtremo loco poſitum eſſe ab Apoſtolis duabus de cauſis.

Prima, quia poſt carnis reſurrectionem nihil aliud fidelibus expectandum eſt, niſi vitæ æternæ præmium.

Altera, vt perfecta illa fælicitas, & bonis omnibus cumulata, nobis ſemper ante oculos verſaretur, doceremurque in ea mẽtem & cogitationes omnes defigendas eſſe.

Secundùm, Parochos & Catechiſtas fidelium animas præmijs æternæ vitæ propoſitis accendere debere, vt quæcumque vel difficillima Chriſtiani nominis cauſa ſubeunda eſſe docuerint, facilia atque adeò iucunda eſſe exiſtiment, promptioreſq; ad parendũ Deo, & alacriores reddantur.

QVAESTIO I.

Quid vita æterna hoc loco ſignificat: Et quare beatitudo hominis appellatur vita æterna?

CONCLVSIO I.

Vita æterna hoc loco non ſolùm perpetuitatem vitæ, quæ in damo-

in dæmonibus & ſceleratis hominibus poſt hanc vitam reperitur; ſed etiam cum perpetuitate beatitudinem, qua noſtrũ deſiderium explere poßit, ſignificat.

Eſt Catech. §. Admonendi igitur ſunt fideles. Et D. Thom. 1.2. q.5. art. 4.

In hunc enim ſenſum ſacræ litteræ verba accipiunt, vt multis in locis licet animaduertere, Matth. 19. & 25. Ioann. 17. ad Rom. 2. & 6. & ſpeciatim, Luc. 10. Legiſperitus ille ſic accepit, qui à Domino Saluatore noſtro quid ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam poſſideret, quæſiuit. Perinde enim eſt ac ſi dixiſſet: Quænam mihi præſtanda ſunt, vt ad eum locum vbi perfecta fęlicitate frui liceat, perueniam?

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Svmma illa beatitudo hominis vocatur ab Apoſtolis vita æterna, primò, ne quis exiſtimet eã in rebus corporeis & caducis, quæ æterna eſſe non poſſunt, conſiſtere.

Eſt Catech. §. Hoc verò potiſsimùm nomine. Et D. Thom. 1.2. q.2. art. 1.2. & aliquot ſequentibus.

Neque enim defuerunt homines inanis cuiuſdam ſapientiæ opinione inflati, qui ſummum bonum & beatitudinem hominis in eis rebus ponerent, quæ percipiuntur ſenſibus, quos recta ratio ſufficienter redarguit: hæc enim pereunt & veteraſcunt, beatitudo verò nullo temporis termino definienda eſt.

Confirmatur: Nam iuxtà ſcripturæ ſacræ clariſsima teſtimonia, terrena hæc longiſsimè à verâ fælicitate abſunt; ab eâ enim is maximè recedit qui mundi amore & deſiderio tenetur. Sic enim D. Ioannes 1. epiſtolæ cap. 2. ſcribit: *Nolite diligere mundum neque*

ea quæ

ea quæ in mundo ſunt; Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Et paulò poſt: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius.*

Non obſtat concluſioni, quod aliqui in hac vitâ beati in ſcripturis ſacris appellantur; Quia illæ ſcripturæ de ijs ſolum intelligendę ſunt, qui, vt loquitur Apoſtolus ad Timoth. 2. cap. abnegantes impietatē, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè vixerint in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & aduentū gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

CONCLVSIO III.

SEcundò, beatitudo hominis, vocatur vita æterna, vt diſcamus ſemel adeptam beatitudinem amitti non poſſe, vt falsò nonnulli ſuſpicati ſunt.

Eſt catech. §. Sed illud prætereà. Et D. Thom. 1. 2. q. 5. art. 4.

Nam beatitudo perfecta, ex omnibus bonis ſine vlla admiſtione mali cumulatur, quæ cùm hominis deſiderium expleat, in æterna vita neceſſariò conſiſtit; neque enim poteſt beatus non magnoperè velle vt illis bonis quæ adeptus eſt ſibi perpetuò frui liceat. Quare niſi ea poſſeſsio ſtabilis & certa ſit, maximi timoris cruciatu augeatur neceſſe eſt.

CONCLVSIO IIII.

PRæterea beatitudo vocatur ab Apoſtolis vita æterna, quod nomen multis alijs commune eſt: nam & Dæmones & improbi homines habebunt vitā æternam, vt diſcamus beatitudinem altiorem & præſtantiorem rem quandam eſſe, quàm vt proprio aliquo vocabulo perfectè ſignificare eius rationem poſsimus.

Eſt catec. §. Verùm quanta ſit beatorum.

Sic enim vſu venire ſolet, cū non habemus aliquā

propriam

propriam vocem, qua rem aliquam exprimamus, vt communi aliquo vocabulo vtamur, quod multis rebus alijs commune eſt.

Non obſtat, quod plurima nomina cæleſti huic beatitudini in ſacris litteris tribuantur, cuiuſmodi ſunt, *regnum Dei*: Matth. 5. *paradyſus*: Ezechiel 28. *Sancta ciuitas*: Eſaiæ 52. *Noua Hieruſalem*: Apocal. 3. *Domus patris*: Ioann. 14. Nam nullũ eſt ex ijs omnibus, quod ad magnitudinem beatitudinis explicandam ſatis ſit; ſingula enim aliquam tantùm beatitudinis proprietatem indicant; non perfectam & integram eius rationem. Quanta enim ſit beatorum, qui in cæleſti patria viuunt, fælicitas, ab ijs ipſis tantùm, præterea à nemine comprehendi poteſt.

CONCLVSIO V.

POſtremò, beatitudo vocatur vita æterna, ad ſignificandum beatitudinem eſſe ſummum hominis bonum, & maximè ab eo expetendum; vita enim in maximis bonis, quæ naturâ expetuntur, numerari ſolet.

Eſt Catech. §. Conſtat enim vitam in maximis bonis, &c.

Explicatur: Nam ſi exigua hac vita præſente, quæ tot ac tam varijs miſerijs ſubiecta eſt, vt mors veriùs dicenda ſit, nihil magis amatur, nihil aut chariùs, aut iucundiùs eſſe poteſt: quo tandem animi ſtudio, qua contentione æternam illam vitam quęrere debemus, quę defunctis omnibus malis perfectam, & abſolutam bonorum omnium rationem coniunctam habet?

QVAESTIO II.

Quid, & quotuplex eſt beatitudo?

CON-

CONCLVSIO I.

Beatitudo eſt omnium malorum liberatio, & bonorum adeptio.

Eſt Catech. §. Nam vt ſancti Patres tradiderunt.

Ita hactenus definiuerũt veteres Eccleſiæ Patres, D. Auguſtinus lib.22.de Ciuit. Dei,cap.30.D.Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum. D. Anſelmus epiſtola 2. ad Hugonem, & in lib. de Similitudinibus, cap. 47.

Probatur prior pars concluſionis clariſsimis ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs: Sic enim ſcriptum eſt, Apocal.cap.21. *Non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus.* Et rurſus: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quæ prima abierunt.*

Alteram partem docet Chriſtus Dominus elegãti phraſi, Matth 25. cum dicit: *Intra in gaudium Domini Dei tui*; Significare enim voluit tantam futuram fidelium ſeruorum & proborum gloriam, aliaque innumera bona, vt illa nullo pacto in animos eorum penetrare poſsint, ac proinde neceſſe ſit eos in illa gaudia introire, vt eis circumfuſi totum mentis deſiderium expleant.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Beatitudo duplex eſt, eſſentialis & accidentialis.

Eſt Catech. §. Sed illa primum diſtinctione vti oportebit. Et D.Thom.in quæſt.add.q.96.art.1.

vel ex eius eſſentia, vel ex eius ſimilitudine & ſpecie cognoſcitur.

Hoc prænotato dicendum, impoſsibile eſſe vt homo videat Deum per aliquam ſpeciem & ſimilitudinem.

Primò, quia nihil eſt Deo ſimile, cuius ſimilitudinis adiumento, ad perfectam eius notitiam homo peruenire poſsit: Conſequens ergo eſt vt eius naturã & eſſentiam nemini videre liceat, niſi hæc eadem diuina eſſentia ſe homini coniunxerit. Atque id Apoſtoli verba ſignificant, 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nam quod inquit, *In ænigmate*, interpretatur Sanctus Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. cap. 9. in ſimilitudine ad Deum intelligendum accommodatã. Quòd etiam Sanctus Dionyſius, cap. 1. de Diuinis nominibus apertè oſtendit, cùm affirmat nullã inferiorum ſimilitudine ſuperiora percipi poſſe: Neque enim ex alicuius rei corporeæ ſimilitudinè, eius, quæ corpore careat eſſentia, & ſubſtantia cognoſci poteſt: cùm præſertim neceſſe ſit, rerum ſimilitudines minùs cõcretionis habere, & magis ſpirituales eſſe, quàm res ipſas, quarum imaginem referunt, quemadmodùm in omnium rerũ cognitione facilè experimur. Quoniam verò fieri nõ poteſt, vt alicuius rei creatæ ſimilitudo æquè pura, & ſpiritualis, ac Deus ipſe eſt, reperiatur: ita fit vt ex nulla ſimilitudine diuinam eſſentiam perfectè intelligere poſsimus.

Secundò, omnes creatę res certis perfectionis terminis circumſcribuntur: At Deus infinitus eſt, neque vllius rei creatæ ſimilitudo eius immenſitatem capere poteſt.

Quocirca vna illa ratio diuinæ ſubſtantiæ cogno-

ſcendæ relinquitur, vt ea ſe nobis cõiungat & incredibili quodam modo intelligentiam noſtram altiùs extollat, atque ita idonei ad eius naturæ ſpeciem cõtemplandam reddamur.

Id lumine gloriæ aſſequemur, cùm eo ſplendore illuſtrati, Deum lumen verum in eius lumine videbimus: Nam beati Deum præſentem ſemper intuẽtur. Quo quidem dono omnium maximo, & præſtantiſsimo diuinæ eſſentiæ participes effecti, vera & ſolida beatitudine potiuntur, quam nos ita credere debemus, vt eam Dei benignitate cum certa ſpe nobis expectãdam eſſe, in ſymbolo Patrum definitum ſit: Inquit enim, *Expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi.*

Conſule D. Thom. locis ſuprà allegatis.

DIFFICVLTAS II.

Poteſtne ſimilitudine aliquã demonſtrari quomodò homo per lumen gloriæ Deo coniungatur, & diuinam quodammodo naturam induat?

Dicendum quod etſi hoc nullis verbis explicari, aut cogitatione à nobis comprehendi poſsit, licet tamen aliquam huius beatitudinis imaginem, in ijs etiam rebus quæ ſenſu percipiũtur, cernere. Nam quẽadmodùm ferrum admoto igni ignem concipit, & quamuis eius ſubſtantia non mutetur, fit tamen vt diuerſum quippiam, nimirùm ignis, eſſe videatur; Eo modo qui in cæleſtem illam gloriã admiſsi ſunt, Dei amore inflammati ita afficiuntur, cum tamen id quod ſunt eſſe non deſinãt, vt multò magis diſtare ab ijs, qui in hac vita ſunt meritò dici poſsint, quàm ferrum candens ab eo quod nullam caloris vim in ſe contineat.

CONCLVSIO IIII.

Beatitudo accidentialis ſita eſt in ornamentis & qualitatibus quibuſdam ſupernaturalibus animæ & corporis, quæ vltrà eſſentialem beatitudinem à Deo ſanctis communiter omnibus conferuntur.

Eſt catech. §. Verùm ad illam tamen quædam accedunt. Et D. Thom. in quæſt. addit. q. 96. art. 1.

Huius generis ornamenta ad animam pertinentia ſunt ea de quibus Apoſtolus, ad Rom. 8. cap. videtur loqui, cum ait: *Gloria, & honor, & pax omni operantī bonum.*

Nam beati perfruuntur gloriâ, non illâ ſolùm, quam eſſentialem beatitudinem diximus, ſed eâ etiā, quæ conſtat ex clara & aperta notitia, quam ſinguli de alterius eximia & preſtāti dignitate habituri ſunt.

Deinde, beati ſummo honore à Chriſto Domino afficientur, cùm hos amantiſsimis & honorificentiſſimis verbis, quæ habentur, Matth. 25. compellabit: *Venite benedicti patris mei poſsidete paratum vobis regnum*, &c. vt meritò liceat exclamare cū Pſalmiſta, Pſalm. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.*

Laudibus etiam à Chriſto Domino coram Patre cæleſti & Angelis eius celebrabuntur.

Prætereà, ſi hoc commune omnibus hominibus deſiderium natura ingenuit honoris, qui à viris ſapientiâ præſtantibus habeatur, quòd eos locupletiſſimos virtutis ſuæ teſtes fore exiſtiment, quantùm beatorum gloriæ acceſſurum putamus, quòd alius alium ſummo honore proſequetur?

Ornamenta pertinentia ad corpora beatorum tot, & tanta erunt, quot & quanta poſſemus vel cogitare, vel optare, quáuis hoc altiore quodam modo,

quàm oculus vidit, aut auris audiuit, aut in cor hominis aſcendit, ſicuti docet Apoſtolus, 1 ad Corinth. 2. cap. & ante illum Iſaias Propheta, cap. 64.

Nam corpus quod anteà craſſum & concretum erat, cùm in cælo detractâ mortalitate tenue ac ſpirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit; anima autem æternę gloriæ pabulo, quod magni illius conuiuij auctor tranſiens omnibus miniſtrabit, cum ſummâ voluptate exſaturabitur.

Prætioſas veſtes, aut regales corporis ornatus nemo deſiderabit, quia ibi nullus harũ rerum vſus futurus eſt, ſed oẽs immortalitate & ſplendore aucti, & ſempiternæ gloriæ corona ornati erunt.

Nullus etiã ibi amplas & magnificas domos, quales hic ſunt, optabit, ſed omnes cęlum ipſum Dei claritate colluſtratum, quo nihil amplius vel magnificentius cogitari poteſt in æternum poſsidebunt, vt meritò Propheta, cum eius domicilij pulchritudinẽ ſibi ante oculos poneret, & ad beatas illas ſedes perueniendi cupiditate arderet, dixerit: Pſalm. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

QVAESTIO III. ET POSTREMA.

An omnes beati æqualem beatitudinem conſequentur, an potius alij alijs maiorem vel minorem?

CONCLVSIO I.

Inter beatos alij alijs magis vel minus beati erunt.

Eſt Catech. §. Nam in domo Patris mei. Et D. Thom. 1.2. q. 5. art. 2.

Inquit

Inquit enim Chriſtus Dominus, Ioann. 14. cap. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

CONCLVSIO II.

MAior vel minor beatitudo, ſiue maiora vel minora præmia beatis, prout quiſq; meritus erit, reddetur. Eſt Catech. §. In quib' maiora & minora præmia. Et D. Thom. ſup.

Patet auctoritate Apoſtoli, 2. ad Corinth. 9. cùm inquit: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Documenta Spiritualia.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſuo more infert duo Documenta Spiritualia.

Primum, Paſtores & Catechiſtas debere fideles omnes ad illam beatitudinem perpetuò excitare. Secundum, certam beatitudinis conſequendæ rationem in eo conſiſtere, vt fide & charitate inſtructi, & in oratione & Sacramentorum ſalutari vſu perſeuerantes, ad omnia charitatis officia in proximos ſe exerceant.

Hæc ſufficiunt pro explicatione & Elucidatione primæ partis Catechiſmi.

SECVNDAE PARTIS CATECHISMI ROMANI, QVAE EST DE SACRAMENTIS, ELVCIDATIO.

PRAEFATIONIS ELVCIDATIO.

PRAEFATIO ſecundæ partis complectitur plures quæſtiones, de Sacramẽtis in genere. Ante harum explicationem vnum notandum eſt cum Catechiſmo, nimirùm doctrinam Sacramentorum propter ſui neceſſitatem & præſtantiam ab omnibus, & ſpeciatim à miniſtrantibus illa & ſuſcipientibus diligenter addiſcendam eſſe.

A miniſtrantibus quidem, ne propter ignorantiã indignis illa miniſtrando, faciant cõtrà illud Chriſti præceptum, Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos.*

A ſuſcipientibus verò, vt illorum accurata cognitione tales euadant, quibus præſtãtiſſimæ ac ſanctiſſimæ res dignè & ſalutariter impertiri poſſint.

QVAESTIO I.

Quid eſt Sacramentum?

NOTA quæſtionem dupliciter poſſe intelligi;

Primò, vt inquirat quid ſignificet nomen ipſum Sacramẽti. Secundò, vt quærat quæ ſit

quæ ſit res per nomen Sacramenti ſignificata. Iuxtà primum ſenſum reſpondetur queſtioni aliquot concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Sacramentum, ſi nominis rationem ſpectes, apud prophanos auctores frequentiſſimè pro iureiurando accipitur.

Eſt Catech. §. Nam alij auctores, &c.

Sic acceperunt Cicero, lib.1. officiorum, & Vegetius, lib.2. de re militari: vbi Iuſiurandum, quo ſe milites fidelem operam Reip. præſtaturos pollicentur, Sacramentum militare appellatur.

CONCLVSIO II.

Apud Latinos Eccleſiæ Patres & Doctores nomen Sacramenti aliquam rem ſacram, quæ in occulto lateat, declarat.

Eſt Catech. §. Verùm apud latinos Patres, &c. Et D. Thom. p.3. q.60. art.1.

Sic accipitur vox Sacramenti, ad Epheſ. 1. cap. cũ ait Apoſtolus: *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ.* Deinde 1. ad Timoth. 3. cap. *Magnum eſt pietatis Sacramentum.* Preterea in lib. Sapien. cap. 2. *Neſciuerunt Sacramenta Dei.* His enim & alijs multis in locis licet animaduertere Sacramẽtum nihil aliud niſi rem ſacram abditam atque occultam ſignificare. Græci Patres & DD. ad eandem rem ſignificandam myſterij vocabulo commnniter vtuntur.

CONCLVSIO III.

Latini quoque Patres & Doctores Sacramenti nomen vſurpant ad ſignificanda ſigna quædam ſenſibus ſubiecta, quæ gratiam quam efficiunt ſimul etiam declarãt, ac veluti ob oculos ponunt.

Eſt Catech. §. Quare latini Doctores ſigna quædam, &c. Et D. Thom. ſup.

Sic vſurpârunt, D. Auguſtinus epiſtola 118. & 119. & lib. 5. de baptiſmo contrà Donatiſtas. cap. 20. & alibi ſæpè D. Hieronymus, in cap. 18. Matthæi, & in commentarijs in Threnos, & in Micheam Prophetam: Et illis antiquiores Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum, & lib. 5. contra Marcionem, D. Cyprianus epiſtola 75. & in lib. de baptiſmo Chriſti.

Ex his videre eſt, errare illos qui exiſtimant vocabulum Sacraméti nouum eſſe & nuper in Eccleſiam inductum; quanquam non eſt negandum veteres Patres Eccleſiæ ad eam rem ſignificandam, quá iam nomine Sacramenti ab eis ſignificari diximus, interdùm vſurpare alia nomina, vt ſunt, ſymbolum, myſticum ſignum, ſacrum ſignum: Et in hac tertia ſignificatione accipimus nomen Sacramenti in præſenti materia.

Hactenus reſponſum eſt quæſtioni iuxtà prioré illius ſenſum: Iuxtà alterú reſpondetur ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO IIII.

Sacramentum, ſi rem ſpectes, ſic definiri ſolet: Eſt ſignum rei ſacræ: Vel alijs verbis: Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram ſanctificationem inſtitutú.

Eſt Catech. §. Verùm præter nominis notionem. Et D. Thom. p. 3. q. 60. art. 2.

Prior definitio eſt D. Auguſtini, lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 5. & vſurpatur à Magiſtro in 4. ſent. diſt. 1. & ab alijs omnibus DD. Scholaſticis in Magiſtrú. Altera definitio, quá etiá habet Magiſter ſup. col

ligitur

ligitur ex D. Auguſt. lib. de catechiſandis rudibus, cap. 26. & ex epiſtola 166.

Vt vtraque definitio magis pateat, ſingulæ illarũ partes exponendę ſunt.

Prima pars harum definitionum eſt, *ſignum*. Vt hæc clarius intelligatur duo prænotanda ſunt; Primùm rerum omnium quę ſenſibus percipiuntur duo eſſe genera: Aliæ enim ob id inuentæ ſunt vt aliquid ſignificent:

Aliæ non alterius rei ſignificandæ, ſed ſua tantùm cauſa effectæ ſunt. In hoc numero omnes pœnè res quæ naturâ conſtant haberi poſſunt: In priori genere vocabula rerũ, ſcriptura, vexilla, imagines, tubę, & alia huiuſmodi permulta ponẽda ſunt; Nam ſi ex vocabulis vim ſignificãdi detraxeris, ſublata videtur eſſe cauſa quamobrem vocabula inſtituerentur.

Hæc proprie ſigna eſſe dicũtur; Illud enim ſignũ eſſe S. Auguſtinus, lib. 2. de Doctrina chriſtiana, cap. 1. teſtatur: *quod præter rem quam ſenſibus obijcit, efficit etiã vt ex ſe alterius rei cognitionem capiamus*: Sicut ex veſtigio, quod terrę impreſſum intuemur, trãſiſſe aliquẽ, cuius veſtigium apparet, facilè cognoſcimus.

Sacramentum ad hoc rerum genus, quæ ſignificandi cauſa inſtitutæ ſunt referri debet: Siquidem ſpecie quadã & ſimilitudine id nobis declarat, quod Deus in animis noſtris ſua virtute, quæ ſenſu percipi non poteſt, efficit. Exempli gratia, Baptiſmus, cùm adhibitis certis & ſolẽnibus verbis aqua extrinſecùs abluimur, hoc ſignificat, Spiritus ſancti virtute omnẽ peccati maculã & turpitudinẽ interiùs elui, & animas noſtras præclaro illo cæleſtis iuſtitię dono augeri atq; ornari, ſimulq; ea corporis ablutio, vt poſteà ſuo loco explicabitur, illud in aïo efficit quod ſignificat.

Colligi-

Colligitur idem ex ſcripturis ſacris. Apoſtolus enim de circunciſione veteris legis Sacraméto, quæ Abraham Patri omnium credentium erat data, ita ad Rom. 4. cap. ſcribit: *Et ſignum accepit circunciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Et ad Rom. 6. cùm affirmat, nos qui baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizatos eſſe, licet cognoſcere baptiſmum huius rei ſignificationem habere, nimirùm vt ait idem Apoſtolus, ad Rom. 4. nos conſepultos eſſe cum illo per baptiſmum in mortem.

Alterum prænotádum eſt, quòd inter ſigna, quędam ſunt naturalia, quæ præter ſe ipſa alterius rei notitiam in animis noſtris gignunt, veluti eſt fumus, ex quo ſtatim ignem adeſſe intelligimus: Hoc ſignū ob eam cauſam naturale appellandum eſt, quia fumus non voluntate ignem ſignificat, ſed rerum vſus effecit vt ſi quis fumum tantùm videat, naturā ſimul & vim ignis, qui adhuc latet, ſubeſſę mente & cogitatione percipiat.

Alia ſigna ſunt ab hominibus inuenta & inſtituta, vt ſunt vocabula rerum, ſonus tubarum, tybiarum, cytharæ, quo audito quid ſignificare velit ſtatim intelligimus: Similiter imagines, vexilla oculis noſtris obiecta, quid ſignificare velint quiſque ſtatim intelligit.

Præter ſigna ab hominibus inuenta, quædam etiā ſunt à Deo inſtituta, quæ rurſus ſunt in duplici differentia.

Nam quædam illorum ob eam tātùm rem à Deo hominibus data ſūt, vt aliquid ſignificarēt vel admonerēt, cuiuſmodi fuerunt, panis aſymus, purificationes legis, de quibus agitur in leuitico, & alia permulta, quę ad cęremonias veteris legis pertinebant.

Alia

Alia vero inſtituta ſunt à Deo non tantùm ad ſignificandum rem ſacram, ſed etiā ad eam efficiendū, de quorum numero ſunt Sacramenta nouæ legis, de quibus modo agimus.

Altera definitionis pars eſt (*rei ſacræ*)

Vt hæc quoque melius intelligatur notādum eſt, quod ſicuti ſigna ſunt diuerſi generis, vt iam oſtendimus, ita etiam res ſacræ: Sed hoc loco nomine, *rei ſacræ*, à DD. & Patribus Eccleſiæ præcipuè intelligitur gratia iuſtificās, quæ nos ſanctos & iuſtos efficit, atque omnium diuinarū virtutum habitu exornat.

Gratia iuſtificans ideò ab eis vocatur nomine *rei ſacræ*, quia illius beneficio animus noſter Deo conſecratur & coniungitur.

Ex omnibus antedictis duo inferuntur; Primùm, Sacramentum nihil aliud eſſe, quam rem quandam ſenſibus ſubiectam, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.

Alterùm, imagines ſanctorum, cruces, & alia id generis, quamuis ſint ſigna rerum ſacrarum, Sacramenta tamen dici non poſſe, quod vim ſanctitatem noſtram efficiendi nullam habeant.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Sacramentum ſit ſignum tantum vnius rei ſacræ, an vero plurium?

Dicendum eſt quodlibet Sacramētum triplicem rem ſacram ſignificare.

Primò & principaliter gratiam iuſtificantem, de quâ ſtatim diximus.

Secundò, paſsionem Chriſti redemptoris, quę eſt cauſa iuſtificationis & ſanctitatis noſtræ.

Poſtremò vitam æternā, & cęleſtem beatitudinē, ad quam

ad quam iuſtificatio noſtra tanquam ad finem referri debet: vel vt loquitur D. Thomas ſup. art. 3: quodlibet Sacramentum eſt ſignum & rememoratiuum eius quod præceſsit ſcilicet paſsionis Chriſti; & demonſtratiuum eius quod in nobis efficitur per paſsionem Chriſti, ſcilicet gratiæ, & prognoſticon, id eſt, prænunciatiuum futuræ gloriæ. Neque hæc doctrina à D. Thoma & reliquis DD. Schol. inuēta eſt, ſed aperto ſacræ ſcripturæ teſtimonio comprobatur, vt cùm Apoſtolus dicit, ad Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Apertè oſtendit baptiſmum idcircò ſignum appellari, quia facit nos memores paſsionis Chriſti: Deinde quando ibidem ſubdit: *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus reſurrexit ex mortuis per gloriā Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* Apertè docet Baptiſmum ſignum eſſe gratiæ iuſtificantis in nos effuſæ, per quam nimirùm in nouitate vitę ambulamus. Poſtremò cùm addit: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus:* Innuit Baptiſmum eſſe ſignū vitæ, æternæ, quam per illum ſumus conſecuturi.

Sunt etiam quędam Sacramenta, quę, pręter rem ſacram præteritam & futuram, quam diximus ſignificari per ſingula Sacramenta, duplicem rem pręſentem ſignificant, vt euidenter patet in Sacramēto Euchariſtiæ, quod & gratiam ſanctificantem, quam ritè ſuſcipientibus confert ſignificat, & inſuper veri corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam.

Documentum Spirituale.

Catechiſmus ſuo more hoc Documentū Spirituale colligit, Sacramenta nouæ legis ab omnibus fidelibus

delibus ſumma cum religione colēda & ſuſcipienda eſſe, vtpote quæ plurima arcana myſteria in ſe cōtinent, ſummam erga nos Dei beneuolentiā teſtantia.

QVAESTIO II.

Quare oportuit inſtitui Sacramenta?

CONCLVSIO I.

PRima cauſa inſtitutionis Sacramentorum fuit, humani ingenij imbecillitas, quòd non poteſt venire in cognitionem rerum ſpiritualium & intelligibilium, niſi per ea quæ aliquo ſenſu exteriori percipiuntur.

Eſt Catech. §. Siquidē natura ita, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 61. art. 1.

Nam cùm homo conſtet animâ & corpore, & nihil venire poſsit in intellectum hominis niſi per ſenſus exteriores, neceſſum fuit vt Deus occultam illam gratiam quam per Sacramenta in nobis efficere volebat, aliquibus exterioribus ſignis ſignificaret vt illā agnoſcere & intelligere poſſemus.

Hoc præclarè & eleganter ſignificauit D. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. his verbis: *Si homo corporis concretione caruiſſet, nuda ipſa bona, neque vllis integumētis obuoluta ei oblata eſſent, quoniam verò anima corpori coniuncta eſt, omninò opus fuit, vt rerum quæ ſentiuntur adminiculo ad ea intelligenda vteretur.*

CONCLVSIO II.

CAuſa ſecunda fuit, credendi tarditas; animus enim humanus non facile commouetur ad ea quæ promittuntur credenda, niſi verbis & ſignis confirmetur.

Eſt Catec. § Altera vero cauſa eſt, &c.

Probatur & explicatur: Cùm enim Chriſtus Saluator noſter nobis remiſsionem peccatorū, gratiam & Spiri-

& Spiritus ſancti communicationem, ſimulq; maxima & ſpiritualia bona promitteret vt ei facilius crederemus, Sacramenta inſtituit, quæ verbũ ſiue promiſsionem ſuam annexam habent, quâ ſe remiſsionem peccatorum & gratiam nobis darẽ apertè pollicetur, & verbis etiam ſigna & miracula interdùm adiecit, vt in ſuo baptiſmo, cùm deſcendit ſuper eum Spiritus ſanctus in formâ columbæ: Et in confirmatione cum Spiritus ſanctus deſcẽdit ſuper Apoſtolos in linguis igneis.

Confirmatur: ſic enim Deus ab initio mundi hominẽ ad fidem promiſſorum ſuorum adducere conſueuit; Primò verbis, aſſerendo quod facere decreuerat, ſepèque idem repetendo: Deinde etiam ſi res magna & difficilis creditu eſſet, miraculis confirmãdo; Sicut fecit cum Moyſe, quem liberatorem populi Iſraelitici fore ſæpè verbis promiſerat, & tandem vt Moyſes & populus ad faciliùs credẽdum alliceretur, etiam plurimis miraculis hoc futurum oſtendit. Exod. 4.

CONCLVSIO III.

Tertia cauſa fuit; vt illi tanquam remedia, atque euãgelici Samaritani medicamenta ad animarum ſanitatem vel recuperandam vel tuendam præſto eſſent.

Eſt Catech. §. Tertia cauſa fuit, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 61. art. 2.

Probatur auctoritate D. Ambroſij, lib. 5. de Sacramentis cap. 4. vbi docet virtutem, quæ ex Chriſti paſſione manat, hoc eſt, gratiam quam ille nobis in arã crucis meruit, per Sacramẽta quaſi per alueum quẽdam in noſipſos deriuare oportere, aliter nemini vllam ſalutis ſpem reliquam eſſe poſſe.

CON-

CONCLVSIO IIII.

Qvarta cauſa fuit, vt ſcilicet eſſent nota ac ſymbola, quibus fideles ſeſe mutuo agnoſcerẽt, & ab infidelibus diſtinguerentur.

Eſt Catech. §. Sed & quarta &c. Et. D. Thom. ſup.

Adfert hanc cauſam D. Auguſtinus, lib. 19. contrà Fauſtum, cap. 11. & de vera religione, cap. 17. Quibus locis oſtendit nullum cætum, ſiue veræ ſiue falſę religionis nomine, in vnum corpus coaugmentari poſſe ſine aliquo viſibilium ſignorũ fœdere: Vtrũq; autem præſtant nouæ legis Sacramenta, quæ & fidei chriſtianæ cultores ab infidelibus diſtinguunt, & ipſos fideles ſancto quodam vinculo inter ſe connectunt.

CONCLVSIO V.

Qvinta cauſa fuit, vt eſſent fidei & religionis noſtra quædam proteſtationes.

Eſt Catech. §. Præterea illam etiam iuſtiſſimam, &c.

Hanc cauſam indicat Apoſtolus, ad Rom 10. cum ait: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem*; Sacramentis enim fidem noſtram in hominum conſpectu profitemur & notam facimus. V. g. cum baptizamur, palàm teſtamur nos credere eius aquæ virtute, quâ in Sacramento abluimur, ſpiritualem animæ purgationem fieri: Et ſic in alijs.

CONCLVSIO VI.

Sexta cauſa fuit, vt non ſolùm fidem in animis noſtris excitarent & exercerent, ſed etiam charitatẽ inflammarent, quâ amare inter nos debemus.

Eſt Catech. §. Magnam deinde vim habent, &c.

Ratio concluſionis eſt: Nam ex huiuſmodi ſacrorum myſteriorum communione recordamur nos arctiſsimo vinculo colligatos, & vnius corporis mébra effectos eſſe, quod ad charitatem fouendã & augendam plurimum valet.

CONCLVSIO VII.

Poſtrema cauſa inſtitutionis Sacramentorum fuit, vt per illa Deus humanæ mentis ſuperbiam edomaret ac comprimeret.

Eſt catech. §. Poſtremò quod in chriſtianæ pietatis ſtudio, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 61. art. 1.

Magnum enim eſt exercitium humilitatis, hominem rationalem & præſtantiſsimum, viliſsimis elementis ſubijci, vt gratiam & remiſsionem peccatorũ ſuorum conſequatur.

QVAESTIO III.

Quot ſunt ad conſtituendum Sacramentum neceſſaria? Siue, quot ſunt partes eſſentiales cuiuſlibet Sacramenti?

CONCLVSIO VNICA.

Duo ſunt ex quibus quodlibet Sacramentũ conficitur; quorum alterum habet rationem materiæ, atque elementum dicitur; Alterum formæ, & verbum communi vocabulo appellatur.

Eſt Catech. §. Primùm igitur explicãdum eſt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 60. art. 5. 6 & 7.

Probatur auctoritate Patrũ, & ſpeciatim peruulgato illo D. Auguſtini teſtimonio tract. 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

Ex hac

Ex hac concluſione clarum eſt, per ſignum viſibile in definitione Sacramenti ſuprà poſitum, non vnã tantùm rem ſignificari, ſed duplicem, videlicet elementum & verbum, ſiue materiam & formam, quãuis tamen vnum tantùm ſignum cõſtituant, cùm ad vnam rem ſignificandam vtrumque ordinetur, vt ſuo loco fiet manifeſtiùs. Exempli gratia, in Sacramento baptiſmi, ſignum eſt aqua, quæ elementi ſiue materiæ rationem habet, & verbum quod tenet locũ formę, quorum vtrumque vnam ablutionem ſignificat, & ſic in alijs Sacramentis.

Hæc doctrina confirmatur auctoritate Apoſtoli, ad Epheſ. 5. cap. cùm ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Hoc enim loco ſatis clarè materia & forma Sacramenti baptiſmi exprimitur.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid neceſſe fuit ad conſtitutionem Sacramentorum verbum addere elemento?

Dicendum, vt apertior, clariorque rei quę gerebatur ſignificatio fieret; Sicut enim docet D. Auguſtinus, lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 3. *Verba inter omnia ſigna principatum tenẽt*, ac ſi ipſa deſint planè obſcurum erit quid materia Sacramentorum deſignet ac demonſtret.

Explicatur: Nam vt in Baptiſmo videre licet, cùm aqua non minus refrigerandi, quàm abluendi vim habeat, & vtriuſq; rei ſignum & ſymbolum eſſe poſſit, niſi verba addantur, vtrum horum in Baptiſmo ſignificet, aliquis fortè cõiecturâ aliquâ dijudicabit, nemo autẽ ea de re quippiã certi affirmare audebit: at cum verba adhibẽtur ſtatim intelligimus abluẽdi vim & ſignificationem habere.

Ex hac doctrina infertur, Sacramenta nouæ legis in hoc præſtare Sacramẽtis veteris legis, quod in illis adminiſtrãdis nulla (quod quidem ſciri poteſt) definita forma ſeruaretur, vnde fiebat vt incerta admodùm & obſcura eſſent: Sacramenta autem nouæ legis formam verborum ita præſcriptam habent, vt ſi illa non ſeruetur, Sacramenti ratio conſtare non poſsit; ob eamq; cauſam clariſsima ſint, ac nullũ relinquant dubitandi locum.

Verùm de differentia Sacramentorum veteris & nouæ legis poſteà ſuo loco plura dicemus.

QVAESTIO IIII.

An ad Sacramenta adhibendæ ſint cæremoniæ? Et quare? & à quo tẽpore ſolitæ ſunt adhiberi?

CONCLVSIO I.

CAEremoniæ adhibendæ ſunt Sacramentis non de neceſsitate Sacramenti, vt loquuntur DD. Schol. ſed de neceſsitate præcepti.

Eſt Catech. §. His accedunt cæremoniæ. Et D. Thom. p. 3. q. 66. art. 10.

Ratio concluſionis eſt, quia cæremoniæ non pertinent ad naturam Sacramẽti: quare ſi quando omittantur non proptereà deſinet eſſe Sacramentũ; quia tamen præceptum eſt illas ſeruari, & generalis Eccleſiæ conſuetudo ſic habet, nõ poſſunt omitti ſine peccato, niſi excuſet magna neceſsitas, quæ in Baptiſmo frequens eſſe ſolet,

CONCLVSIO II. RESPONSIVA SECVNDAE PARTI quæſtionis.

CAEremoniæ adhibētur Sacramētis tribus potiſſimùm ex cauſis.

1. Quia maximè decet Sacris myſterijs eum religionis cultum tribuere, vt ſancta ſancti tractare videamur.

II. Quia ipſæ cæremoniæ magis declarant ac veluti ante oculos ponunt ea quæ Sacramentis efficiuntur, eorumq́ ſanctitatem in animis fidelium altiùs imprimunt:

Poſtrema, quia cæremoniæ mentes eorum, qui eas intuentur ac diligenter obſeruant, ad ſublimium rerum cogitationē erigunt, fidemq́ in eis ac charitatem excitant.

Eſt Catech. §. Ac meritò quidā, &c. Et D. Thom. ſup. & eſt ſatis per ſe clara.

MONITIO.

Hoc tantùm admonendum, curandum eſſe vt fideles virtutem cæremoniarum, quam iam explicauimus, probè cognitam & perſpectam habeant, vt illius participes eſſe poſſint quando Sacramentis miniſtrandis interſunt.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA TERTIAE PARTI quæſtionis.

A Primis vſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſeruatum eſt, vt Sacramenta ſolennibus quibuſdam cæremonijs miniſtrarentur.

Eſt Catech. §. Ac meritò quidem à primis, &c.

Ponitur hęc cōcluſio cōtrà hæreticos, & probatur

diligẽter ab ijs qui cõtrouerſias fidei&religionis noſtrę ſcribũt auctoritate veterũ Patrum Eccleſię,& in primis Dionyſij Areopag.diſcipuli sãcti Pauli,lib.de Eccleſiaſtica hierarch. cap. 2. Clementis epiſtola 3, Tertulliani lib. de Corona militis, Baſilij de Spiritu ſancto,cap.27. & aliorum ſequentium.

QVAESTIO V.

Quot ſunt Sacramenta; & an poſsit probabilis aliqua ratio adferri ſeptenarij numeri Sacramentorum?

CONCLVSIO I.

Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ ſeptenario numero definita ſunt.

Eſt Catech.§.Catholicæ igitur Eccleſiæ,&c.Et D. Thom.p.3.q.65.art.1.

Probatur tripliciter; Primò ſcripturis ſacris: nã Prouerbiorum, 1. cap. Zachariæ 3. & Apocalypſis 1. fuerunt deſignata ſeptem Eccleſię Sacramẽta. Deinde patrum traditione, qui hæc noſtra Sacramenta vera & propria eſſe teſtãtur,neque plura neque pauciora:Poſtremò conciliorum auctoritate,Conſtant. Seſſ. 15. Florent. in decreto dato Armenis. Trident, Seſſ. 7. de Sacram.

CONCLVSIO II.

Septenarius numerus Sacramentorum probabili ratione oſtendi poteſt,ducta ſimilitudine à vitâ hominis corporali & ſpirituali,quæ talis eſt: Sicuti ad vitam corporis ſuſtẽtãdã quædã requirũtur ex parte ſingulorũ hominũ,nimirùm generatio, augmentatio, nutritio, remedium contra morbos eorumq; reliquias:Quædam etiam ex parte Reip. cuius homo membrum

membrum eſt, vt parentes ad propagandum,& magiſtratus ad gubernandum: Ita in vita ſpirituali quædam requirũtur ex parte ſingulorum, vt generatio ſpiritualis, quæ fit in baptiſmo, augmentatio quæ fit in confirmatione, nutritio quæ ſit in Euchariſtia, remedium contra morbos quod datur in pœnitentia, & reliquias peccatorum, in extrema vnctione: Quadã etiam ex parte Eccleſiæ cuius homo membrum eſt ſpirituale, vt propagatio generis humani ad cultum Dei quæ fit per Sacramentum matrimonij, & gubernatio per Sacramentum ordinis.

Eſt Catech.§.Cur autem neque plura neque pauciora. Et D. Thom. p.3.q.65.art.1.

Lege ſi vis hanc Similitudinem apud Catechiſmũ & D.Thomam eleganter & fuſe explicatam.

QVAESTIO VI.

An omnia Sacramenta ſint ad ſalutem æqualiter neceſſaria?&,an inter illa ſint alia alijs digniora?

CONCLVSIO I.

TRia ſunt Sacramenta ad ſalutẽ neceſſaria, Baptiſmus abſolutè & ſimpliciter, Pœnitentia exiſtentibus in peccato mortali, Ordo reſpectu Eccleſiæ.

Eſt Catech.§.Atq; ex ijs tria ſunt,&c.Et D.Thom. p.3.q.65.art.4.

Probatur & explicatur: Baptiſmus enim vnicuique ſimpliciter & ſine vlla adiunctione neceſſarius eſt: Hoc Saluator noſter Ioãnis 3. his verbis declarauit: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto nõ poteſt introire in regnum Dei.*

Pœnitentia illis tantummodò neceſſaria eſt, qui poſt Baptiſmum relapſi ſunt in peccatum mortale;

niſi enim ritè pœnitentiam egerint de peccato, non poſſunt ſaluari: Sic enim dicit Saluator, Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis*:

Ordo prætereà etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen Eccleſiæ omninò neceſſarius eſt, quia ſine illo ſacerdotes haberi non poſſunt, ſine quibus Eccleſia eſſe non poteſt.

Patebit clariùs hæc concluſio in explicatione ſingulorum Sacramentorum.

CONCLVSIO II.

Inter Sacramẽta, Euchariſtia ſanctitate & myſteriorum numero ac magnitudine longè cætera antecellit.

Eſt Catech. §. Verùm ſi dignitas, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 65. art. 3.

Hæc etiam facile intelligetur cum ea, quæ ad Sacramentum Euchariſtiæ pertinent, explicabuntur.

QVAESTIO VII.

Quis eſt auctor Sacramentorum? Et qui illorum miniſtri, & quales?

CONCLVSIO I.

Sacramenta nouæ legis à Deo per Chriſtum inſtituta ſunt.

Eſt Catech. §. Deinceps vidẽdum eſtà quo, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 64. art. 2.

Probatur rationibus theologicis;

I. Deus eſt auctor noſtræ iuſtificationis, ſicut docet Apoſtolus, ad Rom. 8. cap. Sed ſacramenta nihil aliud ſunt quàm inſtrumenta quædam efficacia noſtræ iuſtificationis; Ergo vnus & idem eſt ſacramentorum & iuſtificationis noſtræ auctor.

II. Solius Dei eſt illabi in animam hominis, ſecundum omnes DD. Sed ſacramẽta vim ſuam & effi-

faciam extendunt vſque ad animam; Ergo ſunt à Deo inſtituta.

Poſtrema, Certa fide credendū eſt Chriſtum eſſe interiorem diſpenſatorem ſacramentorum; Sed non poteſt intus diſpenſare ſacramēta niſi ipſe idem ſit auctor ſacramentorum; Ergo Deus per Chriſtum eſt auctor & inſtitutor ſacramentorum.

Maior patet Ioannis, 1.cap. Vbi Ioannes affirmat ſe tale de Chriſto accepiſſe teſtimonium: *Qui me miſit baptizare in aquâ, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem & manētem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.*

Minor eſt clara ex duabus præcedentibus rationibus.

CONCLVSIO II.

AD conficienda Sacramenta, ſicuti opus eſt materiâ & formâ, ita etiam officio miniſtrorum.

Eſt Catech. §. Nō minus enim miniſtrorum officio, &c. Et D. Thom. p.3. q.61. art.4. & 5.

Patet ex vnanimi & cōſtanti traditione ſanctorū Patrum & DD. Eccleſiæ.

CONCLVSIO III.

MInistri Sacramentorum non ſunt Angeli, ſed homines.

Eſt Catech. §. Ea tamen non per Angelos, &c. Et D. Thom. p.3. q.64. art.7.

Poteſt oſtendi primò ſcripturarum auctoritate; Nam ſolis hominibus dictum eſt, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sācti.* Et Lucę. 22. ſolis hominibus dictū eſt, *Hoc facite in meā commemorationem.* Et Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.*

Deinde ratione Theol. tali; Sicuti ad eſſentiam ſacramentorum requiritur verum & naturale elementum, ita etiam verum & naturale verbum; Sed ſolus homo verè & naturaliter loquitur: Loqui enim eſt actio corporis viuentis per inſtrumẽtum linguæ & palati. Ergo Angeli non ſunt miniſtri ſacramentorum; Nam vt rectè docet D. Thomas p.1.q.51.art. 3. ad 4. Angeli etiam in corpore aſſumpto non poſſunt propriè loqui.

CONCLVSIO IIII.

Miniſtri ſiue boni, ſiue mali verè ſacramenta conficiũt & conferunt, modò eâ formâ & materiâ vtantur, quam ex Chriſti inſtituto eccleſia ſeruat, & intendãt facere id quod eccleſia in ea adminiſtratione facit.

Eſt Catech. §. Atque hi quidem miniſtri, &c. Et D. Thom.p.3.q.64.art.5.

Docet hanc, 1. ratio euidens, quia miniſtri in ſacris illis functionibus non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt.

Deinde certa & explorata DD. Eccleſiæ ſententia, quam D. Auguſtinus in ijs diſputationibus quas aduerſus Donatiſtas conſcripſit clariſsimè demonſtrauit.

Præterea ſacræ ſcripturæ teſtimonia, 1. ad Corinth. 1. cap. vbi Apoſtolus ſic ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit: Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ex quo loco ſatis intelligitur, quemadmodùm arboribus nihil obeſt eorum improbitas quorum manibus ſatæ ſunt, ita nihil vitij aliena culpa contrahi illis poſſe qui malorum hominum miniſterio Chriſto inſiti & incorporati ſunt. Et Ioannis 4 cap. Iudas

etiam

etiam Iſcariotes plures baptizauit, ſecundũ communem Patrum ſententiam & expoſitionem, ex quibus tamen nemo iterùm baptizatus fuit, quòd fieri debuiſſet, ſi malus miniſter, qualis erat Iudas, non verè baptizaret. Docet Hoc D. Auguſt. tract. 5. in Ioannem, his verbis: *Dedit baptiſmum Iudas & non baptizatum eſt poſt Iudam, dedit Ioannes & baptizatum eſt poſt Ioannem: quia quod datum eſt à Iudâ, baptiſma Chriſti erat, quod autem à Ioanne datum eſt, Ioannis erat; Non Iudam Ioanni, ſed baptiſmũ Chriſti etiã per manus Iudæ datũ, baptiſmo Ioannis, etiã per manus Ioannis dato, rectè præponimus.*

CONCLVSIO V.

M*ALI miniſtrantes ſacramẽta, peccant mortaliter.* Eſt Catech. 5. Meminiſſe autem ſemper debent, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 64. art. 6.

Patet auctoritate ſcripturæ, Eſaiæ 12. cap. Vbi docetur ſancta ſanctè & religiosè tractanda eſſe.

Impurè ſacramenta miniſtrare peccatũ eſt, quod ad irreuerentiam Dei & contaminationem ſacramẽtorum, quãtum eſt ex parte miniſtri peccatoris, pertinet, & per conſequens eſt mortale ex ſuo genere.

Dico (*quantum eſt ex parte miniſtri peccatoris*) quia ſacramenta in ſe contaminari non poſſunt.

Idem colligi poteſt ex Pſalm. 49. vbi ſic habetur: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam.* Ex hoc enim ſic colligere poſſumus: Si homini peccatis contaminato non licet de rebus diuinis loqui, quantum ab eo ſcelus concipi exiſtimandum erit, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius eſt, nec tamen ſacra myſteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus ſumere, contrectare, atque alijs porrigere, & miniſtrare veretur.

Patet idem auctoritate D. Dionyſij Areop. lib. de Cæleſti Hierarch. cap. 1. Vbi ſcribit, *Malis ſymbola* (ita enim ſacramẽta appellat) *ne contingere quidem permiſſum eſſe.*

Documentum Spirituale.

Ex hac cõcluſione Catechiſmus inſert vnum Documentum Spirituale, miniſtros ſacramentorũ ſanctitatem vitæ imprimis ſectari debere, vt purè ad ſacramenta conficienda & miniſtranda accedere poſſint, & in eorum miniſtratione, ita ad pietatem ſe exercere, vt ex eorum frequenti tractatione & vſu vberiorem in dies gratiam iuuante Deo conſequantur.

QVAESTIO VIII. ET POSTREMA.

Quot ſunt effectus Sacramentorum: Et, quomodo differunt Sacramenta nouæ legis à Sacramentis veteris legis?

CONCLVSIO I.

DVo ſunt principales effectus ſacramentorum; 1. gratia iuſtificans, omnibus ſacramentis communis: Alter, character, non quidem omnibus communis ſed trium tãtummodo proprius, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ſacri.

Eſt Catech. §. Hi autem duo præcipuè numerantur, &c. Et D. Thom. p. 3. tota q. 62. & 63.

Primum effectum oſtendit Apoſtolus, ad Epheſ. 5. cap. cùm ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro eâ vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.*

Alterum effectum indicat idem Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. cap. his verbis, *Vnxit nos Deus, qui & ſignauit*

nos &

nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris: Voce enim illa, *ſignauit*, non obſcurè characterem deſcripſit, cuius proprium eſt aliquid ſignare & notare, vt ſtatim fiet manifeſtum.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo fieri poteſt vt per ſacramenta, quæ ſunt res corporeæ & ſenſibiles, efficiatur gratia in animâ: Vel vt loquitur D. Auguſtinus tract. 80. in Ioannem, Quomodo fieri poteſt in Sacramento baptiſmi vt aqua corpus abluat & cor tangat?

Dicendum eſt quòd hoc humanâ ratione atque intelligentiâ comprehendi non poſsit; clarum eſt enim ratione naturali nullam rem ſenſibilem ſuapte naturâ, eâ vi præditam eſſe vt penetrare ad animam queat, ſed debet fide apprehendi & credi; fidei enim lumine cognoſcimus omnipotentis Dei virtutem ſacramentis ineſſe, quâ id efficiant quod ſuâ vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt.

Quia hæc res initio naſcentis Eccleſiæ difficilis creditu erat, Deus pluribus miraculis illam oſtendit & confirmauit, vt cùm, Saluatore noſtro in Iordane baptizato, cæli aperti fuerunt, & Spiritus ſanctus in ſpecie colūbæ ſuper ipſum apparuit; euidenter enim illo ſigno admoniti fuimus cùm ſalutari fonte abluimur, Spiritus ſancti gratiam in animam noſtram infundi.

Deinde, cùm die Pentecoſtes facto repentè de cælo ſonitu tanquam aduenientis Spiritus vehemētis apparuerunt ſuper Apoſtolos diſpertitæ linguæ quaſi ignis; clarè ſatis docti fuimus ſacramento Confirmationis eundem Spiritum ſanctum nobis tribui, qui Apoſtolis tūc donatus fuit, eaſque vires addi, quibus poſsimus carni, mundo, & ſathanæ, perpetuis ſcilicet hoſtibus noſtris fortiter repugnare & reſiſtere.

Atque

Atque hæc miracula, quoties Apoſtoli ſacramẽtã miniſtrabant, initiò naſcentis Eccleſiæ aliquamdiu viſa ſunt, donec firmatâ iam fide & corroboratâ, fieri deſierunt.

DIFFICVLTAS II.

Quid eſt character, & , quare voluit Deus characterem animabus noſtris imprimi?

Ad primàm partem dicẽdum eſt, quòd character eſt veluti inſigne quoddam animę impreſſum, quod deleri nunquam poteſt, eique perpetuò inhæret.

Hanc definitionem eleganter explicat D. Auguſtinus, his verbis: *An minus fortè ſacramenta chriſtiana, quàm corporalis hæc nota, quâ ſcilicet miles inſignitur, poterunt? Illa namque militi ad militiam quam deſeruiſſet reuertenti non noua imprimitur, ſed antiqua cognoſcitur & approbatur.*

Ad ſecundam partem dicendum, quòd Deus voluit animæ noſtræ characterem iſtum imprimi, tum vt apti ad aliquid ſacri ſuſcipiendum, vel peragẽdum efficeremur, tum vt aliquâ notâ alter ab altero internoſceretur.

Exempli gratia, per characterem baptiſmi primò ſimus idonei ad alia ſacramenta percipienda; Deinde ab infidelibus qui baptizati non ſunt diſtinguimur:

Similiter per characterem Confirmationis ſimus apti & idonei ad publicè confitendum nomen Chriſti, armamurque contrà inſitum nobis hoſtem, hoc eſt, carnem, & contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, hoc eſt, contrà diabolum & mundum; Deinde diſtinguimur ab ijs qui nouiter sũt baptizati, & necdum ſunt, Chriſti milites creati.

Similiter per characterem Ordinis ſimus idonei ad conficienda & miniſtranda ſacramenta; Deinde

diſtin-

diſtinguimur ab alijs fidelibus qui huiuſmodi poteſtatem & facultatem non habent.

DIFFICVLTAS III.

An Sacramenta illa tria quæ characterem imprimunt poßint iterari, ſicut reliqua quatuor, quæ gratiam tantùm cōferunt & characterem non imprimunt?

Dicendum, tenendam eſſe catholicæ eccleſiæ regulam, quâ docemur tria hæc ſacramenta nullo vnquam tempore iteranda eſſe. Sic docent Concilia generalia, Florentinum in inſtructione Armenorum, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Differunt ſacramenta nouæ legis à ſacramētis veteris legis, quod hæc fuerint inſtituta vt eſſent tantùm ſigna earum rerū quæ ſacramentis nouæ legis efficienda erant; Illa verò inſtituta ſunt, non ſolùm vt ſint ſigna gratiæ, ſed etiā vt eam gratiam quam ſignificant, Chriſti ſanguinis virtute operentur.

Eſt Catech. §. Ex ijs igitur quæ de priori, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 62. art. 6.

Differentiam hanc docet Apoſtolus, ad Hæbreos 9. & ad Galatas 4. c. Illis enim locis docet ſacramenta veteris legis fuiſſe infirma & egena elemēta, quæ inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, non animæ: At verò ſacramenta nouæ legis, quæ manant ex latere Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundare conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, id eſt, peccatis, ad ſeruiendum Deo viuenti; Quod ſine gratia iuſtificante fieri non poteſt.

Non

Non obſtat concluſioni, quod quidam tempore veteris legis circuncilione & alijs ſacramentis obtinerent remiſsionem peccati originalis & aliorum actualium; Quia non recipiebāt illam ex opere operato, ſed ex opere operantis, vt loquuntur DD. hoc eſt, non ex vi operationis illius externæ, quæ erat ipſum ſacramentum, ſed tantùm ex fide & deuotione ſuſcipientis & miniſtrantis, cuius fidei ſignum quoddam & proteſtatio erat ipſum ſacramētum, atque ita iuſtificatio quæ fiebat tempore veteris legis propriè loquendo non erat ſacramētalis, ſed communis omnibus operibus bonis quæ in charitate fiunt.

Documenta Spiritualia.

Ex ijs omnibus quæ diximus de ſacramentis in genere, Catechiſmus ſuo more infert duo Documenta ſpiritualia;

I. Doctores & Paſtores ſtudere debere vt fideles omnes intelligant quāto honore, & cultu, & veneratione digna ſint ſacramenta nouæ legis.

Alterum, ſimiliter curare debere, vt cùm à clemētiſsimo Deo ſacramenta ad communem omnium ſalutem æqualiter propoſita ſint, ijs omnes piè & religiosè vtātur, atque ita chriſtianæ pietatis deſiderio exardeſcant, vt ſi pœnitentiæ præſertim & Euchariſtię ſaluberrimo vſu aliquamdiu careant, plurimum damni ſpiritualis ſe feciſſe exiſtiment.

Primum oſtendi poteſt, ſi quę de ſacramentorum diuinitate & fructu hactenùs dicta ſunt, auribus fidelium ſæpius inculcentur.

In primis à Domino Saluatore noſtro, à quo nihil niſi perfectiſsimum proficiſci poteſt, inſtituta eſſe.

Præterea, cùm miniſtrātur Spiritus ſancti intima cordis

cordis noſtri permeantis, efficaciſsimum numen præſto eſſe.

Deinde, admirabili & certâ curandarum animarũ virtute eſſe prædita.

Poſtremò, per ea immenſas illas dominicæ paſsionis diuitias ad nos deriuari.

Alterum perſuaderi poteſt; Primo per hæc eadẽ quæ iam diximus.

Inſuper, oſtendendo totum Chriſtianum ædificium, hoc eſt, vitam ſpiritualẽ chriſtiani hominis firmiſsimo quidem lapidis angularis fundamento, id eſt Chriſti merito, inniti; verùm niſi verbi Dei prædicatione & ſacramentorum vſu vndique fulciatur, magnoperè verendum eſſe ne magnâ ex parte labefactatum concidat; Vt enim per ſacramẽta chriſtianus homo in vitam ſuſcipitur, ita hoc veluti pabulo alitur, conſeruatur, & augetur.

Hactenùs de ſacramentis in genere; conſequenter de ſingulis ſacramẽtis, per ſingula capita dicendũ eſt.

CAPITIS PRIMI ELVCIDATIO.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

ANTE explicationem quęſtionum, quę de Baptiſmi natura & effectibus à Catechiſmo proponuntur; duo obſeruanda ſunt. Primum, fideles omnes perfectam debere habere cognitionem ſacramẽti Baptiſmi, quod duobus argumentis oſtendi poteſt; Primo, generali, quo hactenus oſtendimus neceſsitatem & pręſtantiã omnium ſacramentorum: Altero, proprio huic ſacramento, ex Apoſtoli epiſtolis deſumpto, ad Rom. 6. 1. ad Corinth. 6. ad Galatas 3. ad Epheſios 5. Quibus locis Apoſtolus omnibus fidelibus non ſolùm frequenter, ſed & grauibus verbis, & ſpiritu Dei plenis, ſacramenti Baptiſmi memoriam renouat, diuinitatem commendat, atque in eo redemptoris noſtri mortem, ſepulturam & reſurrectionem ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum conſtituit.

Alterum, doctores & paſtores frequẽter debere explicare fidelibus præſtantiam ſacramẽti Baptiſmi, præſertim tamen eo tempore, quo baptiſmus alicui miniſtrandus eſt, & populi multitudinem adueniſſe animaduerterint, idque duabus potiſsimum ex cauſis; Prima, quia fideles tunc earum rerum doctrinam, quam auribus percipient, ſimul etiam ſacris baptiſmi cęremonijs expreſſam videre, pioque & attẽto animo contemplari poterunt. Altera, quia tunc temporis vnuſquiſque ijs rebus admonitus quæ in

alio

ſto fieri videbit ſecū recordabitur, qua ſe ſponſione Deo obligârit,cùm ipſeBaptiſmo initiatus eſt, ſimulque illud cogitabit, an vita & moribus talem ſe præbuerit, qualem ipſa chriſtiani nominis profeſsio pollicetur.

His ita obſeruatis ad elucidationem quæſtionum quæ à Catechiſmo tractantur, veniendum eſt.

QVAESTIO I.

Quid ſignificat hæc vox Baptiſmus: & quibus prætereà nominibus hoc Sacramentum appellatur?

CONCLVSIO I.

Baptiſmus eſt nomen græcum, quod in ſacris litteris non ſolùm eam ablutionem, quæ cum ſacramento coniūcta eſt, ſed etiam omne ablutionis genus ſignificat.

Eſt Catech.§ Ac baptiſmum quidem græcum eſſe nomen, &c.

Patet Marci 7. vbi dicit Euangeliſta, Phariſæos, & omnes Iudæos cùm à foro redeunt niſi baptizentur, id eſt, lauentur, non comedere. Ad Hæbræos. 9. Vbi Apoſtolus teſtatur Iudęos habuiſſe varia baptiſmata id eſt, manuum lotiones, & alijs pluribus locis.

CONCLVSIO II.

Nomen baptiſmi aliquando in ſcripturis transfertur ad ſignificandam Chriſti paſsionem.

Eſt Catech.§. Quod aliquādo ad paſsionem tranſlatum eſt.

Patet Marci. 10. cap. Vbi Chriſtus filijs Zebedæi ſic loquitur: *Poteſtis bibere calicem quē ego bibo? aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Vbi ex præcedentibus & conſe-

conſequētibus clariſsimum eſt per calicem & baptiſmum, Chriſtum intellexiſſe ſuam paſsionem.

CONCLVSIO III.

Apud Eccleſiæ ſcriptores nomē Baptiſmi non quamuis corporis ablutionem ſignificat, ſed eam quæ cum ſacramento coniungitur, nec ſine præſcriptâ verborum formâ miniſtratur.

Eſt Catech. §. Tamen apud Eccleſiæ ſcriptores, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 66. art. 1.

Vſi ſunt nomine Baptiſmi in hac ſignificatione frequentiſsimè ipſi Apoſtoli, Paulus ad Rom. 6. *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cū illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et 1. ad Corinth. 1. cap. *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et ad Galatas 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et D. Petrus 1. epiſtolę 3. cap. *In arca Noë pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma.*

CONCLVSIO IIII. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Hoc ſacramentum à Sanctis Patribus appellatur quoque pluribus alijs nominibus.

Eſt Catech. § Alia quoque nomina, &c.

A D. Auguſtino epiſtola 23. vocatur *Sacramētum fidei*, quod illud ſuſcipiētes vniuerſam chriſtianæ religionis fidem profiteantur.

A D. Dionyſio Areop. cap. 3. cæleſtis Hierar. vocatur

catur *illuminatio*, quia fide corda noſtra illuminantur, quam in baptiſmo profitentur: Quod nomen ex epiſtola, ad Hæbreos 10. cap. deſumpſit; Ita enim inquit ibi Apoſtolus; *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamẽ ſuſtinuiſtis paſſionum*, tempus nimirum quo baptizati erant, ſignificans.

A D. Chryſoſtomo, in oratione quá habuit ad baptizandos, pluribus nominibus vocatur, vt *Expurgatio*, quia per baptiſmum expurgamus vetus fermẽtum, vt ſimus noua conſperſio, ſicut loquitur Apoſtolus, 1. ad Corinth. 5. cap. Deinde. *ſepultura, plantatio, crux Chriſti*; Quarum omnium appellationum cauſam ex epiſtola, ad Rom. præſertim 6. cap. licet colligere.

Poſtremò vocatur quoque à Dionyſio Areopag. cap. 2. eccleſiaſticæ Hierar. *principium ſanctiſſimorum mandatorum*, quia hoc ſacramentum eſt veluti ianua, quâ in ſocietatem vitæ chriſtianæ ingredimur, atque ab eo diuinis præceptis obtemperãdi initiũ facimus.

QVAESTIO II.

Quid eſt Baptiſmus?

CONCLVSIO VNICA.

R*Ectè & appoſitè ſic definitur: Baptiſmus eſt ſacramẽtum regenerationis per aquam in verbo.*

Eſt Catech. §. Ita fit vt rectè & appoſitè, &c.

Colligitur hæc definitio ex Apoſtolo, ad Epheſ. 5. cap. Vbi ſic ait loquens de Eccleſia, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*: hic enim apertè habentur duæ partes eſſentiales definitionis, elemẽtum, & verbum. Et ex verbis Domini apud Ioannem 3. cap. Vbi Chriſtus ſic loquitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &*

Spiritu ſáncto, &c. Ex his enim verbis habetur proprius Baptiſmi effectus, qui eſt, regeneratio: atque ita benè dicitur à Catechiſmo, quod hæc definitio ſit aptior & commodior cæteris, quæ à ſacris ſcriptoribus & DD. Eccleſiæ afferri ſolent.

Explicatur hæc definitio; Naturà enim ex Adam filij iræ naſcimur: per Baptiſmũ verò in Chriſto filij miſericordiæ renaſcimur: Siquidem, vt loquitur D. Ioannes, 1. cap. ſui Euangelij, *dedit hominibus poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An vulgò benè dicatur aqua eſſe ſacramentum Baptiſmi?

Dicendum quod non: neque enim ipſa aqua eſt ſacramentum, ſed ablutio quæ fit per aquam, quãdo ex Domini Saluatoris inſtituto certa & ſolennia verba adhibentur. Quemadmodum ſemper ſancti Patres docuerunt, & apertiſsimo illo & vulgatiſsimo D. Auguſtini teſtimonio tract. 80. in Ioann. demonſtratur, *Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum:* Non ergo aqua eſt ſacramentum, niſi quando ipſa aquâ ad abluẽdum aliquẽ additis verbis, quæ à Chriſto inſtituta ſunt, reipſa vtimur.

QVAESTIO III.

Quæ eſt materia Baptiſmi?

CONCLVSIO VNICA.

Materia ſiue elementum huius ſacramenti eſt omne naturalis aquæ genus, ſiue ea maris ſit, ſiue fluuij, ſiue paludis, ſiue putei aut fontis, quæ ſine vlla adiunctione aqua dici ſolet.

Eſt Catech.§. Materia igitur,&c. Et D.Thom.p. 3.q.66.art.3.

Patet multipliciter; Primò, auctoritate ſcripturarum noui Teſtamẽti, Ioannis 3. ſic docet Saluator, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto,non poteſt intrare in regnum Dei*: Et Apoſtolus ad Epheſ. 5. cap. dicit eccleſiam lauacro aquæ mundatam eſſe: Et 1. Ioannis 5. cap. ſic ſcriptum legimus, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra,Spiritus,aqua,& ſanguis.*

Deinde figuris veteris teſtamẽti:Diluuium enim, de quo Geneſ. 64. cap. quo mundus purgatus eſt,eò quod multa malitia hominum eſſet in terra & cũcta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, huius aquæ figuram & ſimilitudinem geſſit, vt docet D. Petrus 1. ſuæ epiſtolæ 3. cap. Similiter & tranſitus maris rubri,vt teſtatur Apoſtolus, 1. ad Corinth. 10. & ablutio Naamã Syri, de qua agitur 4. regũ 5.cap. & probatica piſcina, de qua agitur Ioannis 5. cap.

Prætereà prædictionibus & vaticinijs Prophetarum; nemo enim dubitare poteſt quin aquæ illæ, ad quas tam liberaliter Eſaias Propheta 55. cap. inuitat, vel quas è templo egredientes Ezechiel cap. 47 in Spiritu vidit: tum prætereà fons, ille quem domui Dauid,& habitantibus Hieruſalem paratum in ablutionem peccatoris & menſtruatæ Zacharias 13. cap. prenunciauit,ad ſalutarem Baptiſmi aquam indicandam atque exprimendam pertineant.

Poſtremò, rationibus, quibus oſtenditur admodùm conſentaneum fuiſſe naturę & virtuti ſacramẽti baptiſmi,vt aqua eius materia inſtitueretur,&prę ſertim his duabus;

I. Quia cùm hoc ſacramẽtum omnibus ſine vlla exceptione ad conſequendam ſalutem ſit neceſſariũ,

maximè conueniens fuit vt aqua aſſumeretur pro materia, eo quod illa vbique præſto eſt, & ab omnibus facilè parari poteſt.

Altera, quia aqua effectũ Baptiſmi maximè ſignificat. Vt enim aqua ſordes abluit, ita etiam Baptiſmi vim atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optimè demonſtrat.

Deinde, quemadmodùm aqua refrigerandis corporibus aptiſsima eſt; ſic baptiſmo, cupiditatũ ardor magna parte reſtinguitur. Sunt etiam rationes D. Thom. p. 3. q. 66. art. 3.

Non obſtat huic concluſioni quod dicit Ioannes Baptiſta, Matth. 3. Venturum eſſe Saluatorem qui baptizaret in Spiritu ſancto & igne; Quia id nullo modo de baptiſmi materia intelligendum eſt, ſed vel ad intimum Spiritus ſancti effectum, vel certè ad miraculum referri debet, quod die Pentecoſtes apparuit, cùm Spiritus ſanctus è cælo in Apoſtolos ignis ſpecie delapſus eſt. De quo alio loco Chriſtus Dominus noſter prædixit, Actuum 1. cap. *Ioannes quidẽ baptizauit aquâ, vos autẽ baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*. Sic exponit hũc locum D. Hieronymus, in Matthæum.

DIFFICVLTAS VNICA.

An aquæ Baptiſmali debeat adijci ſacrum chriſma?

Dicendum, quod quamuis aqua ſimplex, quæ nihil aliud admixtum habet, materia apta ſit ad hoc ſacramentum conficiendum, quoties ſcilicet baptiſmi miniſtrandi articulus neceſsitatis incidit; tamen ex Apoſtolorũ traditione ſemper in eccleſia catholica obſeruatum eſt, vt cum ſolennibus cęremonijs extrà caſum neceſsitatis baptiſmus conficitur, ſacrum etiã chriſma addatur, vt baptiſmi effectus magis ac magis

declaretur & repreſentetur. Vide Ambroſium lib.1. de Sacramentis cap. 2.& 3.& Innocentium lib.1.Decretalium tit.15.cap. Cum veniſſet.Eſt etiam doctrina.D.Thom.p.3.q.66.art.10.ad 2.

QVAESTIO IIII.

Quæ eſt forma Baptiſmi?

ANTE reſolutionem quæſtionis, notandum eſt, formam Baptiſmi promiſcuè omnibus fidelibus cognitu eſſe neceſſariam, ſicut & eius materiam. Nam ſæpè caſus incidit, in quo Baptiſmus per quamcumque perſonam miniſtrari poteſt & debet, ſicuti poſtmodùm ſuo loco dicemus; quod fieri non poſſet, niſi quilibet cognitam haberet materiam & formam baptiſmi. Quare Catechiſtarum & Paſtorum erit quamdiligentiſsimè & clariſsimè populo illas inculcare. Hoc prænotato reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO VNICA.

PErfecta & abſoluta Baptiſmi forma eſt iſta: *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eſt Catech. §. Quare dilucidis & apertis verbis, &c.Et D.Thom.p.3.q.66.art.5.

Tradita eſt hæc forma à Chriſto, Matth.26. cùm Apoſtolis præcepit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Quod hæc forma ſit perfecta & abſoluta, patet ratione theologica tali: Nam illa forma ſacramenti cenſeri debet eſſe perfecta, quæ ea omnia ſignificat, quæ ad illius eſſentiam & perfectionem ſunt neceſſaria: hæc autem forma hoc facit: Ergo, &c.

Minor patet: Nam primùm actio ipſius miniſtri ſignificatur, cùm dicitur, *Baptizo*, quam ita exprimi debere ſignificauit ipſe Chriſtus ſupra nomine *baptizantes*: Deinde ipſa perſona quæ baptizatur, cùm dicitur, *te*: Præterea, principalis cauſa efficiens ipſum baptiſmum quæ eſt tota Trinitas, cum dicitur, *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: neque enim eſt ſola perſona Filij, de quâ dicitur Ioannis 1. *Hic eſt qui baptizat*, ſed ſimul omnes ſanctæ Trinitatis perſonæ ad baptiſmi ſacramentum operâtur. Quod dicitur, *In nomine*, nō autem in nominibus, ſignificatur vnam eſſe Trinitatis naturam & diuinitatem: Ergo nomen hoc loco non refertur ad perſonas, ſed ad diuinam ſubſtantiam, virtutem & poteſtatem, quæ vna & eadem eſt in tribus perſonis.

DIFFICVLTAS I.

An omnia verba huius formæ ſint æquè neceſſaria?

Dicendum, quædam ex illis ita neceſſaria eſſe vt ſi omittantur, ſacramētum confici non poſſit; Quædam verò non eſſe ita neceſſaria, vt ſi deſint, ſacramenti ratio non cōſtet; Cuiuſmodi eſt vox illa (ego) Nam in verbo *Baptizo* ſatis intelligitur. Hoc etiam doceri poteſt ex forma baptizādi græcorum, in qua vox, ego, omittitur; Sic enim Græci baptizant, *Baptizetur ſeruus Chriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; Quæ tamen forma bona eſt, vt patet ex Conc. Florentino in doctrina de Sacramentis; Nam per illā ſatis explicatur id quod ad Baptiſmi naturam & veritatem pertinet.

DIFFICVLTAS II.

An Baptiſmus poßit miniſtrari in nomine Chriſti, omißis duabus alijs perſonis?

Dicendum, proculdubio non poſſe miniſtrari, quia

quia hoc eſſet contra formam à Chriſto inſtitutam ſuperius recitatam, niſi accederet ſpecialis aliqua diſpenſatio illius qui Baptiſmum inſtituiſſet.

Quare dubitatur à Doctoribus, An Apoſtoli initio eccleſiæ baptizârint in ſolo nomine Chriſti, ſicut videntur docere Acta Apoſtolorum multis locis, vt Actuum 2.& 8.& 10. & 19.

Quidã dicunt Apoſtolos baptizâſſe ſolo & inuocato nomine Chriſti, ex peculiari videlicet diſpẽſatione ipſius Chriſti & Spiritus ſancti, vt initiò naſcentis eccleſiæ nomen Ieſu Chriſti fieret illuſtrius, diuinaque & immenſa eius poteſtas magis celebraretur. Ita ſentit D. Thom.p.3. q.66.art.6.ad 1.Nec Catechiſmus omninò contradicit:

Quidam negant Apoſtolos ita baptizâſſe, vt D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. Et D.Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap.12.

Quòd autem dicantur Apoſtoli in Actis Apoſtolorum baptizâſſe in nomine Domini Ieſu, ſic interpretantur, vt dicant illis verbis nõ ſignificari formã quâ Apoſtoli baptizabant (baptizabant enim ſecundum illos in communi & vſitata forma, quæ diſtincta trium perſonarum nomina continet) ſed tantùm ſignificari Apoſtolos non baptizâſſe baptiſmo Ioannis, ſed illo qui à Chriſto Domino traditus erat.

QVAESTIO V.

Quo pacto fieri debet ablutio in ſacramento Baptiſmi?

CONCLVSIO I.

Communi Eccleſiæ more & cõſuetudine receptum eſt, vt Baptiſmus vno aliquo ex tribus modis cõfici poſſet: Nam

Nam qui hoc ſacramento initiari debent, vel in aquã merguntur, vel aqua in eos effunditur, vel aquæ aſperſione tanguntur.

Eſt Catech. §. Quoniam verò in hoc ſacramento cóficiendo, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 66. art. 7. & facilè intelligetur ex ſequentibus.

CONCLVSIO II.

Ex prædictis tribus ritibus abluendi quicumque ſeruetur, Baptiſmum verè perfici credendum eſt.

Eſt Catech. §. Ex his autem ritibus, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio eſt clara: Nam aqua in baptiſmo adhibetur ad ſignificandam animæ ablutionem quam efficit; Ablutio autem non magis fit, cùm aliquis aquæ mergitur, quòd diu à primis temporibus in eccleſia obſeruatum fuit, quàm vel aquæ effuſione, quòd nunc in frequẽti vſu poſitum eſt, vel aſperſione, quemadmodùm à Petro factũ eſſe colligitur, Actuum 2. cùm vno die tria millia hominum ad veritatem fidei traduxit & baptizauit.

DIFFICVLTAS I.

An ad Baptiſmum conficiendum neceſſariò requiratur trina ablutio?

Dicendum nihil referre vtrum vnica, an trina ablutio fiat; vtróuis enim modo, & anteà in Eccleſia baptiſmum verè confectum eſſe, & nunc cófici poſſe, ex D. Gregorij magni epiſtola ad Leandrũ ſcripta ſatis apparet.

Retinendus eſt tamen à fidelibus is ritus quem vnuſquiſque in ſua eccleſia ſeruari animaduerterit. Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. art. 8.

DIFFICVLTAS II.

Quæ pars corporis ablui debet?

Dicendum, quod quælibet pars corporis, ſed potiſsimum caput, in quo omnes tum interiores tum exteriores ſenſus vigent, abluendum eſt. Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup. art. 7. ad 3.

DIFFICVLTAS III.

Quo tempore fieri debet ablutio, an ante, vel poſt pronunciationem verborum?

Dicendum, ablutionem peragi debere, non ante, neque poſt prolationem verborum, ſed eodẽ tempore quo verba pronunciantur, quòd ante obiter inſinuauimus, ex D. Auguſtini vulgata ſententia ſuper Ioannem: *Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum.*

QVAESTIO VI.

Quando fuit inſtitutus Baptiſmus: & quando Baptiſmus homines obligare cœpit?

VT quæſtio faciliùs intelligatur duo diuerſa tempora Baptiſmi notanda ſunt; Alterum cùm Saluator eum inſtituit: Alterum cùm lex de eo ſuſcipiendo ſancita eſt, & obligare omnes cœpit.

CONCLVSIO I.

B*Aptiſmus inſtitutus fuit, cùm Chriſtus à Ioanne in Iordane baptizatus fuit.*

Eſt Catech. §. Ac quòd ad primum attinet, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 66. art. 2.

Probatur: tũc enim cẽſeri debet aliquod ſacramẽtum inſtitutum eſſe, cùm accipit vim conferendi gratiam; Sed baptiſmus accepit virtutem ſanctificãdi & confe-

& conferendi gratiam quando Chriſtus fuit baptizatus in Iordane à Ioanne; Ergo, &c.

Minor probatur: Teſtātur enim ſancti, Gregorius Nazianzenus oratione in natalē Saluatoris circà finē: Et D. Auguſtinus Serm. 29. 36. & 37. de tempore, eo tempore aquæ vim generandi, in ſpiritualem ſcilicet vitam, datam eſſe: Et alio loco D. Auguſtinus ita ſcriptum reliquit, *Ex quo Chriſtus in aquā mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua*: Et alibi: *Baptizatur Dominus non mundari indigens, ſed tactu mundæ carnis aquas mundans, vt vim abluendi habeant.*

Et confirmatur: Nam tunc ſanctiſsima Trinitas, in cuius nomine Baptiſmus conficitur, numen ſuum præſens declarauit. Vox enim patris audita eſt, filij perſona aderat, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbę deſcendit: Præterea tunc cæli aperti ſunt, quò nobis iam per baptiſmum licet aſcendere.

DIFFICVLTAS VNICA.

Sacramenta noua legis habent vim conferendi gratiam à paſsione Chriſti, Quomodo ergo baptiſmus dicitur fuiſſe inſtitutus ante paſsionem Chriſti?

Dicendum, quod hoc ſacramentum licet ante paſsionem inſtitutum fuerit, à paſsione tamen, quę omnium Chriſti actionum tanquam finis erat, vim & efficientiam duxiſſe credēdum eſt; Nā Chriſtus potuit illi, etiam ante paſsionē actu perpeſſam vim ſuę paſsionis futuræ applicare, per cuius virtutem ipſa etiam paſsio ſalutifera erat. Eſt etiam doctrina D. Thom. p. 3. q. 66. art. 2. ad 1. argumentum.

CONCLVSIO II.

INter omnes ſacros ſcriptores cōuenit, poſt Domini reſurrectionem, sūm Apoſtolis præcepit: Euntes docete omnes gentes

gentes baptizantes, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ex eo tempore omnes homines, qui ſalutem æternam conſecuturi erant, lege de Baptiſmo teneri cœpiſſe.

Eſt Catech. §. Sed de altero etiã,&c. Et D.Thom. ſup.art. 2.

Colligitur ex 1. cap. 1. epiſt. D. Petri cùm inquit, *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis*: Et ex illo Apoſtoli, ad Ephes. 5. cap. *Seipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret* (loquitur autẽ de Eccleſia) *mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Vterq; enim Apoſtolus obligationem baptiſmi ad tempus quod mortem Domini cõſecutum eſt videtur retuliſſe, vt dubitandum nullo modo ſit verba etiam illa Saluatoris Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, nõ poteſt introire in regnum* Dei, quamuis prolata fuerint à Chriſto ante paſsionem, idipſum tamẽ tempus ſpectâſſe, quod poſt paſsionem futurum erat.

Documentum Spirituale.

Ex ijs quę dicta ſunt de inſtitutione baptiſmi, & ijs quæ tunc acciderunt, Catechiſmus colligit vnũ Documentum Spirituale, Baptiſmũ ſummo in honore habendũ eſſe: Quod facilè omnes ſibi perſuadebunt, ſi ſecum cogitârint præclara illa & ampliſsima munera, quæ cùm Chriſtus Dominus baptizaretur, miraculorum ſignificationibus declarata ſunt, ſingulis, cùm baptizantur, intima Spiritus ſancti virtute donari atque impertiri.

QVAESTIO VII.

Quotuplex eſt miniſter Baptiſmi?

CONCLVSIO VNICA.

T*Riplex eſt ordo miniſtrorum baptiſmi; Primus continet*

Epiſcopos

Epiſcopos & Sacerdotes, quibus datum eſt vt iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate baptizent. Secundus Diaconos, quibus ſine Epiſcopi aut Sacerdotis conceſſu non licet hoc Sacramentum adminiſtrare. Extremus, omnes illos cōprehendit qui cogente neceſſitate ſine ſolemnibus caremonijs baptizare poſſunt: Quo in numero ſunt omnes etiā de populo, ſiue mares, ſiue fœminæ, quamcūque ſe ctam illi profiteātur, modò habeant propoſitum faciēdi, quod eccleſia catholica in adminiſtratione Baptiſmi facit.

Eſt catech. §. Doceantur igitur fideles triplicem ordinem, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 67. quinque prioribus articulis.

Huius concluſionis ſunt tres partes. Prima probatur & explicatur: Epiſcopis enim & Sacerdotibus in Apoſtolis pręceptum eſt à Chriſto, Matth 28. *Euntes baptizate*, &c Quamuis Epiſcopi, ne munus pędicationis verbi Dei, quod eſt grauius, deſerere cogantur, Baptiſmi miniſterium Sacerdotibus relinquere ſint ſoliti, vt ſatis indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. cap.

Quod Sacerdotes iure ſuo, non aūtem extraordinaria aliqua poteſtate baptizare poſsint, ita vt præſente etiam Epiſcopo Baptiſmū legitimè miniſtrēt: Primò conſtat ex doctrina Patrum, D. Leonis epiſtola 88. & Damaſi Papæ epiſtola 4. Deinde ex vſu & conſuetudine Eccleſiæ, quæ nihil inordinatum admittere poteſt circà ſacramenta & alia pertinentia ad cultum Dei, cùm à Spiritu ſancto regatur. Poſtremò ſuadet hoc ipſum ratio Theologica talis: Nam cùm Sacerdotes ad Euchariſtiam conſecrandam inſtituti ſint, quæ eſt pacis & vnitatis Sacramentum, vt docet Apoſtolus, 1. ad Corinth. 10. conſentaneū fuit poteſtatem ijs dari omnia illa adminiſtrādi per quæ neceſ-

neceſſariò huius pacis, & vnitatis quilibet particeps fieri poſſet.

Neque aduerſatur huic doctrinæ quod Patres Eccleſiæ ſubinde dicant, non eſſe permiſſum ſacerdotibus ius baptizandi ſine veniâ Epiſcopi; Quia id de eo Baptiſmo, qui certis anni diebus ſolenni ceremonia adminiſtrari conſueuerat, intelligi debet, & no alio.

Secunda pars probatur plurimis Sanctorum Patrum auctoritatibus & decretis, Gelaſij in epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos, cap. 9. & refertur diſt. 93. cap. Diacono. & de Conſecr. diſt. 4. cap. Conſtat. Et Iſidori diſt. 35. cap. Perlectis, Vbi dicit ad Diaconum pertinere aſsiſtere & miniſtrare Sacerdotibus in omnibus quę aguntur in ſacramẽtis Chriſti, in Baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, in patena & calice, &c. Hoc idẽ ſatis apertè ſignificare videtur nomen ipſum Diaconus; Dicuntur enim Diaconi quaſi miniſtri, quaſi videlicet non pertineat ad eos principaliter aliquod ſacramentum miniſtrare, ſed tantum adhibere miniſterium alijs maioribus, putà Epiſcopis & Sacerdotibus in ſacramentorum adminiſtratione.

Poſtrema pars confirmatur multis veterum Patrum & Conciliorum teſtimonijs, Nicolai ad cõſulta Bulgarorum cap. 104. & refertur de conſecr. diſt. 4. cap. A quodam: D. Auguſtini lib. 7. de vnico baptiſmo, cap. 53. & refertur ibidem cap. Solet etiam. & lib. 3. contrà Donatiſtas, cap. 10. & refertur ibidẽ cap. Non eſt. & lib. 2. contrà Parmenianum, cap. 13. Concilij Lateran. cap. 1. & refertur de ſumma Trinitate, c. firmiter, & Conc. Florent. in decretis Eugenij, & nouiſsimè Concilij Trid. Seſſ. 7. de baptiſmo can. 4. quo anathema dicitur illis qui audent dicere,

CONCLVSIO II. RESPONSIVA SECVNDAE PARTI quæſtionis.

CAuſa quare patrini adiũgi debeant eſt iſta, Spiritualis regeneratio quæ fit per Baptiſmum ſimilis eſt ſuo modo generationi carnali, vt docet D. Petrus 1. epiſtola cap. 2. Sic enim ibi loquitur: Sicut modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite: Sed poſtquam aliquis in hanc lucem editus eſt & carnaliter genitus, nutrice & pedagogo indiget, quorum ope atque operâ educetur, ac doctrinâ & bonis artibus erudiatur: Ergo etiam neceſſe eſt, vt qui ex Baptiſmi fonte vitam ſpiritualem viuere incipiunt, alicuius fidei & prudentiæ cõmittantur, à quo chriſtianæ religionis præcepta haurire, ad omnemq́ue pietatis rationem inſtitui poſſint, atque ita paulatim in Chriſto adoleſcere, donec tandem viri perfecti iuuante Domino euadant, maximè cum paſtoribus, qui publicæ parochiarum curationi præpoſiti ſunt, tantùm temporis non ſuperſit, vt priuatam illam curam pueros in fide erudiẽdi ſuſcipere poſſint.

Eſt Catech. §. Quæ cauſa fuit cur ad Baptiſmum, &c. Et D. Thom. ſup. art. 7. neque eget maiori explicatione.

CONCLVSIO III.

MVnus & officium ſuſceptorum eſt ſpirituales filios perpetuò commendatos habere, atque in ijs quæ ad chriſtianæ vitæ inſtitutionem ſpectant curare dilĩgẽter, vt illi tales ſe in omni vita præbeant, quales eos futuros eſſe ſolẽni cæremoniâ ſpoponderunt.

Eſt Catech. §. Præterea docere oportet fideles quę ſint ſuſceptoris partes, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 67. art. 8.

Docet

Docet hanc D. Dionyſius loco ſuperius citato, cùm verba ſponſoris exprimens ſic ait: *Spondeo pueriſ inducturum cùm ad ſacram intelligẽtiam venerit ſedulis adhortationibus meis vt abrenunciet contrarijs omninò, profiteatur peragatq́ diuina quæ pollicetur.* Item D. Auguſtinus Serm. 163. de tempore, & refertur de conſecr. diſt. 4 cap. Vos autem. *Vos* (inquit) *ante omnia tam viros, quàm mulieres, qui filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, vt cognoſcatis fideiuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.*

Suadet etiam hoc ipſum ratio: Nam qui aliquod officium ſuſcipit, debet illo ritè defungi; Sed ille qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte aſſumit officium pedagogi; Non debet ergo pati illum eſſe deſertum, quẽ ſemel in fidem & cliẽtelam ſuam recepit, quãdiu illum operâ & præſidio ſuo egere intellexerit.

Quæ filijs ſpiritualibus trãdẽda ſint, paucis D. Auguſtinus comprehendit, cùm de hoc ipſo ſuſceptoris officio loqueretur de conſecr. diſt. 4. cap. Res autẽ. Inquit enim, *Debẽt eos admonere vt caſtitatem cuſtodiãt, iuſtitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia ſymbolum & orationem Dominicam doceant, decalogum etiam & quæ ſint prima chriſtianæ religionis documenta.*

Docet hæc eadem fuſius idẽ D. Auguſtinus ſerm. 163. de tempore.

DIFFICVLTAS I.

An inter patrinos & baptizatum oriatur aliqua affinitas ſpiritualis?

Dicendum quod cùm patrinus ſit pater ſpiritualis illius quem ſuſcipit ex ſacro fonte; ſapientiſſimè à ſancta eccleſia conſtitutum eſt, vt non ſolùm is qui baptizat cum baptizato, ſed etiam patrinus cum eo quem ſuſcipit, & cum eius veris parentibus affinitate

deuinciantur, ita vt matrimonia inter hos contrahi non poſsint, & contracta dirimantur.

DIFFICVLTAS II.

Qui ſunt vocandi vt fiant patrini?

Dicendum primò: Non debent vocari parentes carnales, vt appareat differẽtia, quæ eſt inter educationem ſpiritualem & carnalem.

Secundò, Hæretici, Iudæi, Infideles non ſunt vocandi, imò omninò ab hoc officio prohibendi; Quia illi nihil aliud cogitant, quàm vt fidei veritatem mẽdacijs obſcurent, atque omnem chriſtianam pietatẽ euertant.

DIFFICVLTAS III.

Quot debent eſſe patrini?

Dicendum, Concilium Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrimonij cap. 20. ſtatuiſſe, ne plures baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, ſed vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummum vnus & vna.

Huius duæ ſunt præcipuè cauſæ; 1. quia à multitudine magiſtrorum ordo diſciplinæ atque inſtitutionis perturbari poſſet. Altera; quia prouidere oportebat ne inter plures affinitates contraherentur, quæ impedirent, quò minus legitimo matrimonij vinculo huiuſmodi inter homines ſocietas latiùs diffunderetur.

QVAESTIO XI.

An omnes teneantur ſuſcipere Baptiſmum? Et, quæ præparatio requiritur in baptizandis?

CONCLVSIO I.

Lex Baptiſmi ſuſcipiendi omnibus hominibus à Domino præſcripta

preſcripta eſt, ita vt niſi per baptiſmi gratiam Deo renaſcantur, in ſempiternam miſeriam & interitum à parentibus, ſiue illi fideles ſint, ſiue infideles, procreentur.

Eſt Catech. §. Sed cùm cæterarum rerum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 68. art. 1. & 2.

Docet hanc Chriſtus, Ioannis 1. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

DIFFICVLTAS I.

An lex iſta de Baptiſmo ſuſcipiendo ſit etiam intelligenda de pueris infantibus?

Dicendum, hanc legem non ſolùm de ijs qui adultâ ætate ſunt, ſed etiam de pueris infantibus intelligendam eſſe; quòd multipliciter oſtendi poteſt;

Primò, apoſtolica traditione, quam confirmat communis Patrum ſententia & auctoritas.

Deinde pluribus rationibus theologicis è ſacra Scriptura petitis.

Nam primò, credendum eſt noluiſſe Chriſtum Dominum Baptiſmi ſacramétum & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat, Matth. 18. *Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim eſt regnũ cælorum: quos amplexabatur, ſuper quos manus imponebat, & quos benedicebat.*

Inſuper cùm legimus, 1. ad Corinth. 1. cap. totam aliquam familiam à Paulo baptizatam eſſe, ſatis apparet pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe.

Prætereà, Circuncifio, quæ fuit figura baptiſmi, eum morem maximè commendat: Nam pueri circuncidebantur die octauo, vt patet Geneſ. 17. cap. Et quibus circuncifio manu facta in expoliatione corporis carnis proderat, ijſdem Baptiſmum, qui

eſt circuncifio Chriſti non manu facta prodeſſe perſpicuum eſt.

Poſtremò, vt Apoſtolus docet, ad Rom. 5. Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abũdantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vitã regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum; Ergo cùm per Adæ peccatum pueri ex origine noxam cõtraxerint, multò magis per Chriſtum Dominum poſſunt gratiam & iuſtitiam conſequi, vt regnent in vitam, quòd quidem ſine Baptiſmo fieri nullo modo poteſt.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd infantes non poſsint mentis aſſenſione credere: ex quo videri poſſet alicui, quòd ideò non poſsint ſacramentum fidei ſuſcipere; Quia parentum fide, ſi parẽtes fideles fuerint, ſin minus, fide (vt D. Auguſtini verbis vtamur epiſtola 3. ad Bonifacium) vniuerſę ſocietatis ſanctorum, id eſt, eccleſiæ muniuntur: Etenim ab ijs omnibus rectè dicimus eos baptiſmo offerri, quibus placet vt offerantur, & quorum charitate ad communionem ſancti Spiritus adiunguntur.

DIFFICVLTAS II.

An ſtatim à natiuitate ſint baptizandi paruuli? An verò in aliquod tempus baptiſmus differri debeat?

Dicẽdum, Infantes cùm primùm id ſine periculo facere licet, ad eccleſiam deferendos eſſe, & ſolennibus cæremonijs baptizandos; Nam cum nulla alia pueris infantibus ſalutis comparandæ ſit ratio, niſi eis baptiſmus prębeatur, ſi differretur, maximo ęternæ damnationis periculo exponerentur, præſertim cùm propter ætatis imbecillitatem infinita pænè illis pericula impendant.

Ex hoc ſequitur grauiter peccare illos, qui pueros

ſacra-

ſacramenti gratia diutiùs quàm neceſsitas poſtulat carere patiuntur.

DIFFICVLTAS III.

An ſtatim baptizandi ſint adulti, qui ſcilicet ab Infidelibus, putà Iudæis, paganis, oriuntur?

Dicendum, quod Eccleſia non conſueuit Baptiſmi ſacramentum huic hominum generi ſtatim tribuere, ſed ad certum tempus differendum eſſe conſtituit, Paſchæ ſcilicet & Pentecoſtes, quia ea dilatio periculum quod pueris imminere ſupradictum eſt, coniũctum non habet; Nam ijs qui rationis vſu prædıti ſunt, Baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum & malè actæ vitæ pœnitentia ſatis futura eſt ad gratiam & iuſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quò minùs ſalutari aquâ ablui poſsint.

Differt eccleſia Baptiſmum adultorum propter tres potiſsimum vtilitates.

Prima, quia cùm ab eccleſia diligenter prouidẽdum ſit, ne quis ad hoc ſacramentum ficto & ſimulato animo accedat, eâ dilatione eorum volũtas qui Baptiſmum petunt magis exploratur atque perſpicitur: Cuius rei cauſa in antiquis Concilijs, Agatenſi cap. 34. Bracharenſi 2. cap. 1. & Laodicenſi cap. 46. decretum legimus vt qui ex Iudæis ad fidem catholicam veniũt, antequã Baptiſmus illis adminiſtretur aliquot menſes inter catechumenos eſſent.

II. Quia intereà temporis in fidei doctrina quam profiteri debent, & chriſtianæ vitæ inſtitutionibus perfectiùs erudiuntur.

Poſtrema, quia maior religionis cultus ſacramẽto tribuitur, ſi conſtitutis tantùm Paſchæ & Pentecoſtes diebus, ſolenni cæremonia Baptiſmum ſuſcipiãt.

Non vult etiam eccleſia adultos vltrà tempus ab

eccleſia præſcriptum Baptiſmi ſacramentum differre propter multas cauſas;

I. Quia ſcriptum eſt Eccleſ. 5. cap. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Perfecta autem cõuerſio in nouã per baptiſmũ regeneratione poſita eſt.

II. Quia quò ſeriùs ad baptiſmum veniunt, eò diutiùs ſibi carendum eſt cæterorum ſacramentorũ vſu & gratiâ, cùm ad ea ſine Baptiſmo nulli aditus eſſe poſsit,

III. Quia intereà temporis priuantur maximo fructu quem ex baptiſmo percipimus: ſiquidem non ſolùm omnium ſcelerũ, quæ anteà admiſſa ſunt, maculam & ſordes baptiſmi aqua prorſus eluit ac tollit, ſed diuinâ gratiâ nos ornat, cuius ope & auxilio in poſterũ etiam peccata vitare poſſumus, iuſtitiamq́; & innocentiã vitæ tueri, in quo totius vitę chriſtianę ſumma conſiſtit.

DIFFICVLTAS IIII.

Quid ſi adulto vitæ periculum imminere videatur, aut ſimilis aliqua neceſsitas, debebitne Baptiſmus in tempus longius differri?

Dicendum, quod illo caſu Baptiſmus differendus non eſt, præſertim ſi abluendus ſit qui iam fidei myſteria plenè perceperit: Hoc ſuo exemplo demonſtrarũt D. Philippus, Actuum 8. & D. Petrus, Actuũ 10. Quorum alter Candacis Reginę eunuchum, alter Cornelium nulla interpoſita mora, ſed ſtatim vt ſe fidem amplecti profeſsi ſunt, baptizauit.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

IN baptizandis requiritur; primò, vt velint ſitq́; illis propoſitum Baptiſmum ſuſcipere.

Eſt Catech. § Docendum præterea ac populo explicandum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 68. art. 7.

Ratio concluſionis eſt; Nam cùm vnuſquiſque in Baptiſmo peccato moriatur, & nouæ vitæ rationem & diſciplinam ſuſcipiat, æquum eſt non inuito cuiquam, aut recuſanti, ſed illis tantùm qui ſponte ſua & libenti animo accipiunt, Baptiſmum præberi.

Hinc ex eccleſiæ traditione ſemper obſeruatum eſt, vt nemini Baptiſmus miniſtretur, niſi prius interrogatus fuerit, An velit baptizari: quòd etiam locũ habet in infantibus baptizandis, pro quibus eccleſiæ voluntas ſpondet.

DIFFICVLTAS VNICA.

An amentes & furioſi ſint baptizandi?

Dicendum cum diſtinctione; Vel enim aliquando mentis compotes fuerunt, vel nunquam fuerũt; Si primum, vel habuerunt voluntatem baptiſmi ſuſcipiendi, vel non habuerunt: Si habuerunt, baptizandi ſunt; Si non habuerunt, non ſunt baptizandi.

Si ſecundum, id eſt, ſi nunquam mẽtis compotes fuerunt, non ſecùs ac pueri qui ratione carent baptizãdi ſunt, ſicut eccleſiæ auctoritas & cõſuetudo ſatis declarat.

Idem iudicium de dormientibus fieri debet.

CONCLVSIO III.

PRæter Baptiſmi ſuſcipiendi voluntatem fides etiam

ad conſe-

Epiſcopos & Sacerdotes, quibus datum eſt vt iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate baptizent. Secundus Diaconos, quibus ſine Epiſcopi aut Sacerdotis conceſſu non licet hoc Sacramentum adminiſtrare. Extremus, omnes illos cōprehendit qui cogente neceſsitate ſine ſolemnibus caremonijs baptizare poſſunt: Quo in numero ſunt omnes etiā de populo, ſiue mares, ſiue fœminæ, quamcūque ſectam illi profiteātur, modò habeant propoſitum faciēdi, quod eccleſia catholica in adminiſtratione Baptiſmi facit.

Eſt catech. §. Doceantur igitur fideles triplicem ordinem, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 67. quinque prioribus articulis.

Huius concluſionis ſunt tres partes. Prima probatur & explicatur: Epiſcopis enim & Sacerdotibus in Apoſtolis prēceptum eſt à Chriſto, Matth 28. *Euntes baptizate*, &c Quamuis Epiſcopi, ne munus prędicationis verbi Dei, quod eſt grauius, deſerere cogantur, Baptiſmi miniſterium Sacerdotibus relinquere ſint ſoliti, vt ſatis indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. cap.

Quod Sacerdotes iure ſuo, non aūtem extraordinaria aliqua poteſtate baptizare poſsint, ita vt præſente etiam Epiſcopo Baptiſmū legitimè miniſtrēt: Primò conſtat ex doctrina Patrum, D. Leonis epiſtola 88. & Damaſi Papæ epiſtola 4. Deinde ex vſu & conſuetudine Eccleſiæ, quæ nihil inordinatum admittere poteſt circà ſacramenta & alia pertinentia ad cultum Dei, cùm à Spiritu ſancto regatur. Poſtremò ſuadet hoc ipſum ratio Theologica talis: Nam cùm Sacerdotes ad Euchariſtiam conſecrandam inſtituti ſint, quæ eſt pacis & vnitatis Sacramentum, vt docet Apoſtolus, 1. ad Corinth. 10. conſentaneū fuit poteſtatem ijs dari omnia illa adminiſtrādi per quæ neceſ-

neceſſariò huius pacis, & vnitatis quilibet particeps fieri poſſet.

Neque aduerſatur huic doctrinæ quod Patres Eccleſiæ ſubinde dicant, non eſſe permiſſum ſacerdotibus ius baptizandi ſine veniá Epiſcopi; Quia id de eo Baptiſmo, qui certis anni diebus ſolenni ceremonia adminiſtrari conſueuerat, intelligi debet, & no alio.

Secunda pars probatur plurimis Sanctorum Patrum auctoritatibus &decretis, Gelaſij in epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos, cap. 9. & refertur diſt. 93. cap. Diacono. & de Conſecr. diſt. 4. cap. Conſtat. Et Iſidori diſt. 35. cap. Perlectis, Vbi dicit ad Diaconum pertinere aſsiſtere & miniſtrare Sacerdotibus in omnibus quę aguntur in ſacramẽtis Chriſti, in Baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, in patena & calice, &c. Hoc idẽ ſatis apertè ſignificare videtur nomen ipſum Diaconus; Dicuntur enim Diaconi quaſi miniſtri, quaſi videlicet non pertineat ad eos principaliter aliquod ſacramentum miniſtrare, ſed tantum adhibere miniſterium alijs maioribus, putà Epiſcopis & Sacerdotibus in ſacramentorum adminiſtratione.

Poſtrema pars confirmatur multis veterum Patrum & Conciliorum teſtimonijs, Nicolai ad cõſulta Bulgarorum cap. 104. & refertur de conſecr. diſt. 4. cap. A quodam: D. Auguſtini lib. 7. de vnico baptiſmo, cap. 53. & refertur ibidem cap. Solet etiam. & lib. 3. contrà Donatiſtas, cap. 10. & refertur ibidẽ cap. Non eſt. & lib. 2. contrà Parmenianum, cap. 13. Concilij Lateran. cap. 1. & refertur de ſumma Trinitate, c. firmiter, & Conc. Florent. in decretis Eugenij, & nouiſsimè Concilij Trid. Seſſ. 7. de baptiſmo can. 4. quo anathema dicitur illis qui audent dicere,

Baptiſmum, qui datur ab hæreticis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cum intentione faciẽdi quod facit eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum.

Oſtẽdit hoc ipſum ratio theologica talis: Ad miſericordiã eius qui vult omnes homines ſaluos fieri pertinet, vt in his quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, homo facile remedium inueniat; Inter omnia autem ſacramenta maximæ neceſsitatis eſt Baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem: Pueris enim aliter omninò ſubueniri non poteſt; & adulti non poſſunt aliter quàm per baptiſmum plenam remiſsionem conſequi, quantum videlicet ad culpam & pœnam: Et ideò vt homo circa remedium tam neceſſarium, defectũm nõ patiatur, benè inſtitutum eſt vt materia baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ à quolibet facile haberi poteſt, & miniſter Baptiſmi ſit quicumque laicus cuiuſcumque etiam ſectæ, ne defectu Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur.

DIFFICVLTAS VNICA.

An in caſu neceſsitatis, cùm permiſſum eſt quibuſcumque laicis baptizare, inter eos aliquis ordo ſeruari debeat?

Dicendum, omninò decere vt ordo aliquis obſeruetur: Quare mulier, ſi mares adſint, laicus item præſente clerico, tum clericus vel etiam diaconus præſente ſacerdote adminiſtrationem baptiſmi ſibi ſumere non debet.

Non erunt tamen obſtetrices improbandæ, ſi interdum præſente aliquo viro, qui huius ſacramenti conficiendi minimè peritus ſit, quod aliàs viri magis proprium officium videretur, ipſæ exequantur. Eſt etiam doctrina D. Thom. p. 3. q. 67. art. 4.

QVAE-

QVAESTIO VIII.

An ad Baptiſmum præter ſacramenti miniſtros, patrini etiam & ſuſceptores adiungi debeant? Et quare? Et quod illorum munus & officium?

CONCLVSIO I.

Præter eos miniſtros qui baptiſmum cōficiunt, de quibus præcedente quæſtione dictum eſt, aliud etiam miniſtrorum genus ad ſacram & ſalutarem ablutionem celebrandam adhiberi debet, qui nunc patrini, olim ſuſceptores, ſponſores, ſeu fideiuſſores communi vocabulo à DD. Eccleſiaſticis vocari ſolent.

Eſt Catech. §. Accedit autem ad eos miniſtros. Et D. Thom. p. 3. q. 67. art. 7.

Patet ex vetuſtiſsimâ eccleſiæ catholicæ conſuetudine, cuius præclara teſtimonia habentur, à D. Dionyſio, lib. de Eccleſiaſtica Hierar. cap. 7. cùm inquit: *Diuinis noſtris ducibus* (ſic enim Apoſtolos vocât) *in mentem venit & viſum eſt ſuſcipere Infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quòd naturales parentes pueri, eum cuidam docto in diuinis veluti pedagogo traderent, ſub quo, ſicut ſub diuino patre, & ſaluationis ſanctæ ſuſceptore, reliquum vitæ puer degeret.* Et à Tertulliano lib. de baptiſmo, cap. 2. Vbi patrinos vocat ſponſores & lib. de corona militis, vbi eos ſuſceptores nominat. Et à Hyginio Pontifice de conſecr. diſt. 4. cap. In Catechiſmo: Et ibidem cap. Non plures, & cap. In baptiſmate, & cauſa 30. q. 1. cap. peruenit, & ſequentibus.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA SECVNDAE PARTI quæſtionis.

CAuſa quare patrini adiũgi debeant eſt iſta, Spiritualis regeneratio quæ fit per Baptiſmum ſimilis eſt ſuo modo generationi carnali, vt docet D. Petrus 1. epiſtola cap. 2. Sic enim ibi loquitur: Sicut modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite: Sed poſtquam aliquis in hanc lucem editus eſt & carnaliter genitus, nutrice & pedagogo indiget, quorum ope atque operâ educetur, ac doctrinâ & bonis artibus erudiatur: Ergo etiam neceſſe eſt, vt qui ex Baptiſmi fonte vitam ſpiritualem viuere incipiunt, alicuius fide: & prudentiæ cõmittantur, à quo chriſtianæ religionis præcepta haurire, ad omnemq́; pietatis rationem inſtitui poſſint, atque ita paulatim in Chriſto adoleſcere, donec tandem viri perfecti iuuante Domino euadant, maximè cum paſtoribus, qui publicæ parochiarum curationi præpoſiti ſunt, tantùm temporis non ſuperſit, vt priuatam illam curam pueros in fide erudiẽdi ſuſcipere poſſint.

Eſt Catech. §. Quæ cauſa fuit cur ad Baptiſmum, &c. Et D. Thom. ſup. art. 7. neque eget maiori explicatione.

CONCLVSIO III.

MVnus & officium ſuſceptorum eſt ſpirituales filios perpetuò commendatos habere, atque in ijs quæ ad chriſtianæ vitæ inſtitutionem ſpectant curare dilĩgẽter, vt illi tales ſe in omni vita præbeant, quales eos futuros eſſe ſolẽni cæremoniâ ſpoponderunt.

Eſt Catech. §. Præterea docere oportet fideles quę ſint ſuſceptoris partes, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 67. art. 8.

Docet hanc D. Dionyſius loco ſuperius citato, cùm verba ſponſoris exprimens ſic ait: *Spondeo pueriũ inducturum cùm ad ſacram intelligẽtiam venerit ſedulis adhortationibus meis vt abrenunciet contrarijs omninò, profiteatur peragatq́ꝫ diuina quæ pollicetur.* Item D. Auguſtinus Serm. 163. de tempore, & refertur de conſecr. diſt. 4 cap. Vos autem. *Vos* (inquit) *ante omnia tam viros, quàm mulieres, qui filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, vt cognoſcatis fideiuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.*

Suadet etiam hoc ipſum ratio: Nam qui aliquod officium ſuſcipit, debet illo ritè defungi; Sed ille qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte aſſumit officium pedagogi; Non debet ergo pati illum eſſe deſertum, quẽ ſemel in fidem & cliẽtelam ſuam recepit, quãdiu illum operâ & præſidio ſuo egere intellexerit.

Quæ filijs ſpiritualibus trãdẽda ſint, paucis D. Auguſtinus comprehendit, cùm de hoc ipſo ſuſceptoris officio loqueretur de conſecr. diſt. 4. cap. Res autẽ. Inquit enim, *Debẽt eos admonere vt caſtitatem cuſtodiãt, iuſtitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia ſymbolum & orationem Dominicam doceant, decalogum etiam & quæ ſint prima chriſtianæ religionis documenta.*

Docet hæc eadem fuſius idẽ D. Auguſtinus ſerm. 163. de tempore.

DIFFICVLTAS I.

An inter patrinos & baptizatum oriatur aliqua affinitas ſpiritualis?

Dicendum quod cùm patrinus ſit pater ſpiritualis illius quem ſuſcipit ex ſacro fonte; ſapientiſsimè à ſancta eccleſia conſtitutum eſt, vt non ſolùm is qui baptizat cum baptizato, ſed etiam patrinus cum eo quem ſuſcipit, & cum eius veris parentibus affinitate

deuinciantur, ita vt matrimonia inter hos contrahi non poſsint, & contracta dirimantur.

DIFFICVLTAS II.

Qui ſunt vocandi vt fiant patrini?

Dicendum primò: Non debent vocari parentes carnales, vt appareat differētia, quæ eſt inter educationem ſpiritualem & carnalem.

Secundò, Hæretici, Iudæi, Infideles non ſunt vocandi, imò omninò ab hoc officio prohibendi; Quia illi nihil aliud cogitant, quàm vt fidei veritatem mēdacijs obſcurent, atque omnem chriſtianam pietatē euertant.

DIFFICVLTAS III.

Quot debent eſſe patrini?

Dicendum, Concilium Trid. Seſſ. 24. de reform. Matrimonij cap. 20. ſtatuiſſe, ne plures baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, ſed vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummum vnus & vna.

Huius duæ ſunt præcipuè cauſæ; 1. quia à multitudine magiſtrorum ordo diſciplinæ atque inſtitutionis perturbari poſſet. Altera; quia prouidere oportebat ne inter plures, affinitates contraherentur, quæ impedirent, quò minus legitimo matrimonij vinculo huiuſmodi inter homines ſocietas latius diffunderetur.

QVAESTIO XI.

An omnes teneantur ſuſcipere Baptiſmum? Et, quæ præparatio requiritur in baptizandis?

CONCLVSIO I.

L*ex Baptiſmi ſuſcipiendi omnibus hominibus à Domino præſcripta*

præſcripta eſt, ita vt niſi per baptiſmi gratiam Deo renaſcantur, in ſempiternam miſeriam & interitum à parentibus, ſiue illi fideles ſint, ſiue infideles, procreentur.

Eſt Catech.§. Sed cùm cæterarum rerum, &c. Et D. Thom.p.3.q.68.art.1.&2.

Docet hanc Chriſtus, Ioannis 1. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

DIFFICVLTAS I.

An lex iſta de Baptiſmo ſuſcipiendo ſit etiam intelligenda de pueris infantibus?

Dicendum, hanc legem non ſolùm de ijs qui adultâ ætate ſunt, ſed etiam de pueris infantibus intelligendam eſſe; quòd multipliciter oſtendi poteſt;

Primò, apoſtolica traditione, quam confirmat communis Patrum ſententia & auctoritas.

Deinde pluribus rationibus theologicis è ſacra Scriptura petitis.

Nam primò, credendum eſt noluiſſe Chriſtum Dominum Baptiſmi ſacramētum & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat, Matth. 18. *Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim eſt regnū cælorum: quos amplexabatur, ſuper quos manus imponebat, & quos benedicebat.*

Inſuper cùm legimus, 1. ad Corinth. 1. cap. totam aliquam familiam à Paulo baptizatam eſſe, ſatis apparet pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe.

Prætereà, Circunciſio, quæ fuit figura baptiſmi, eum morem maximè commendat: Nam pueri circuncidebantur die octauo, vt patet Geneſ. 17. cap. Et quibus circunciſio manu facta in expoliatione corporis carnis proderat, ijſdem Baptiſmum, qui

eſt circunciſio Chriſti non manu facta prodeſſe perſpicuum eſt.

Poſtremò, vt Apoſtolus docet, ad Rom. 5. Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abũdantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum; Ergo cùm per Adæ peccatum pueri ex origine noxam cõtraxerint, multò magis per Chriſtum Dominum poſſunt gratiam & iuſtitiam conſequi, vt regnent in vitam, quòd quidem ſine Baptiſmo fieri nullo modo poteſt.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd infantes non poſsint mentis aſſenſione credere: ex quo videri poſſet alicui, quòd ideò non poſsint ſacramentum fidei ſuſcipere; Quia parentum fide, ſi parẽtes fideles fuerint, ſin minus, fide (vt D. Auguſtini verbis vtamur epiſtola 3. ad Bonifacium) vniuerſę ſocietatis ſanctorum, id eſt, eccleſiæ muniuntur: Etenim ab ijs omnibus rectè dicimus eos baptiſmo offerri, quibus placet vt offerantur, & quorum charitate ad communionem ſancti Spiritus adiunguntur.

DIFFICVLTAS II.

An ſtatim à natiuitate ſint baptizandi paruuli? An verò in aliquod tempus baptiſmus differri debeat?

Dicẽdum, Infantes cùm primùm id ſine periculo facere licet, ad eccleſiam deferendos eſſe, & ſolennibus cæremonijs baptizandos; Nam cum nulla alia pueris infantibus ſalutis comparandæ ſit ratio, niſi eis baptiſmus prębeatur, ſi differretur, maximo ęternæ damnationis periculo exponerentur, præſertim cùm propter ætatis imbecillitatem infinita pænè illis pericula impendant.

Ex hoc ſequitur grauiter peccare illos, qui pueros ſacra-

ſacramenti gratia diutiùs quàm neceſsitas poſtulat carere patiuntur.

DIFFICVLTAS III.

An ſtatim baptizandi ſint adulti, qui ſcilicet ab Infidelibus, putà Iudæis, paganis, oriuntur?

Dicendum, quod Eccleſia non conſueuit Baptiſmi ſacramentum huic hominum generi ſtatim tribuere, ſed ad certum tempus differendum eſſe conſtituit, Paſchæ ſcilicet & Pentecoſtes, quia ea dilatio periculum quod pueris imminere ſupradictum eſt, coniūctum non habet; Nam ijs qui rationis vſu prædìti ſunt, Baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum & malè actæ vitæ pœnitentia ſatis futura eſt ad gratiam & iuſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quò minùs ſalutari aquâ ablui poſsint.

Differt eccleſia Baptiſmum adultorum propter tres potiſsimum vtilitates.

Prima, quia cùm ab eccleſia diligenter prouidēdum ſit, ne quis ad hoc ſacramentum ficto & ſimulato animo accedat, eâ dilatione eorum volūtas quī Baptiſmum petunt magis exploratur atque perſpicitur: Cuius rei cauſa in antiquis Concilijs, Agatenſi cap. 34. Bracharenſi 2. cap. 1. & Laodicenſi cap. 46. decretum legimus vt qui ex Iudæis ad fidem catholicam veniūt, antequā Baptiſmus illis adminiſtretur aliquot menſes inter catechumenos eſſent.

II. Quia intereà temporis in fidei doctrina quam profiteri debent, & chriſtianæ vitæ inſtitutionibus perfectiùs erudiuntur.

Poſtrema, quia maior religionis cultus ſacramēto tribuitur, ſi conſtitutis tantùm Paſchæ & Pentecoſtes diebus, ſolenni cæremonia Baptiſmum ſuſcipiāt.

Non vult etiam eccleſia adultos vltrà tempus ab

eccleſia prǫſcriptum Baptiſmi ſacramentum differre propter multas cauſas;

I. Quia ſcriptum eſt Eccleſ. 5. cap. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Perfecta autem cõuerſio in nouâ per baptiſmũ regeneratione poſita eſt.

II. Quia quò ſeriùs ad baptiſmum veniunt, eò diutiùs ſibi carendum eſt cæterorum ſacramentorũ vſu & gratiâ, cùm ad ea ſine Baptiſmo nulli aditus eſſe poſsit.

III. Quia intereà temporis priuantur maximo fructu quem ex baptiſmo percipimus: ſiquidem non ſolùm omnium ſcelerũ, quæ anteà admiſſa ſunt, maculam & ſordes baptiſmi aqua prorſus eluit ac tollit, ſed diuinâ gratiâ nos ornat, cuius ope & auxilio in poſterũ etiam peccata vitare poſſumus, iuſtitiamq́; & innocentiã vitæ tueri, in quo totius vitę chriſtianę ſumma conſiſtit.

DIFFICVLTAS IIII.

Quid ſi adulto vitæ periculum imminere videatur, aut ſimilis aliqua neceſsitas, debebitne Baptiſmus in tempus longius differri?

Dicendum, quod illo caſu Baptiſmus differendus non eſt, præſertim ſi abluendus ſit qui iam fidei myſteria plenè perceperit: Hoc ſuo exemplo demonſtrarũt D. Philippus, Actuum 8. & D. Petrus, Actuũ 10. Quorum alter Candacis Reginę eunuchum, alter Cornelium nulla interpoſita mora, ſed ſtatim vt ſe fidem amplecti profeſsi ſunt, baptizauit.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

IN *baptizandis requiritur; primò, vt velint ſitq́; illis propoſitum Baptiſmum ſuſcipere.*

Eſt Catech. § Docendum præterea ac populo explicandum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 68. art. 7.

Ratio concluſionis eſt; Nam cùm vnuſquiſque in Baptiſmo peccato moriatur, & nouæ vitæ rationem & diſciplinam ſuſcipiat, æquum eſt non inuito cuiquam, aut recuſanti, ſed illis tantùm qui ſponte ſua & libenti animo accipiunt, Baptiſmum præberi.

Hinc ex eccleſiæ traditione ſemper obſeruatum eſt, vt nemini Baptiſmus miniſtretur, niſi prius interrogatus fuerit, An velit baptizari: quòd etiam locũ habet in infantibus baptizandis, pro quibus eccleſiæ voluntas ſpondet.

DIFFICVLTAS VNICA.

An amentes & furioſi ſint baptizandi?

Dicendum cum diſtinctione; Vel enim aliquando mentis compotes fuerunt, vel nunquam fuerũt;

Si primum, vel habuerunt voluntatem baptiſmi ſuſcipiendi, vel non habuerunt: Si habuerunt, baptizandi ſunt; Si non habuerunt, non ſunt baptizandi.

Si ſecundum, id eſt, ſi nunquam mẽtis compotes fuerunt, non ſecùs ac pueri qui ratione carent baptizãdi ſunt, ſicut eccleſiæ auctoritas & cõſuetudo ſatis declarat.

Idem iudicium de dormientibus fieri debet.

CONCLVSIO III.

PRæter *Baptiſmi ſuſcipiendi voluntatem fides etiam ad conſe-*

ad conſequendam ſacramenti gratiam neceſſaria eſt.

Eſt Catech. §. Verum præter baptiſmi voluntatẽ, &c. Et D. Thom. p 3. q. 68. art. 8.

Etenim Dominus & Saluator noſter, Marci 16. c. ſic dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.*

Dixi, *ad conſequendam ſacramenti gratiam*: Quia licet ſolo propoſito Baptiſmi ſuſcipiendi, poſſit ſuſcipi Baptiſmus, & character Baptiſmi, ſine fide tamẽ non poteſt ſuſcipi alter effectus Baptiſmi, qui eſt gratia; quia ſicut docet Apoſtolus, ad Rom. 3. *Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti.*

CONCLVSIO IIII.

Deinde opus eſt vt quemlibet admiſſorum ſcelerum & malè acta vita pœniteat, atque vt ideus in poſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuat.

Eſt Catech. §. Deinde vt quemlibet, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 68. art. 4.

Probatur & explicatur duabus potiſſimum rationibus theologicis.

I. Baptiſmus ob eam rem expetendus eſt, vt Chriſtum induamus, & cum eo coniungamur; Sed quamdiu aliquem malę vitæ non pœnitet, non poteſt eſſe Chriſto coniunctus, nulla enim eſt coniunctio lucis ad tenebras; Ergo, &c.

Altera, Nihil eorum quæ ad Chriſtum & eccleſiã pertinent fruſtrà ſuſcipiendum eſt; Sed inanis & fruſtraneus futurus eſt Baptiſmus, ſi effectũ gratiæ ſpectemus, ſi ab eo ſuſcipiatur, qui ſecundum carnẽ ambulare, & non ſecundum Spiritum cogitat: Ergo non eſt à tali baptiſmus ſuſcipiendus.

Dixi, *ſi effectum gratiæ ſpectemus*, quia ſi ſpectemus ſolum ſacramentum, ille etiam perfectam eius rationem ſine vlla dubitatione poterit conſequi, quem

non

non pœnitet malè actæ vitæ, ſi modo, cùm ritè baptizatur, in animo habeat accipere, quod à ſancta eccleſia adminiſtratur.

QVAESTIO X.

Qui ſunt effectus Baptiſmi?

CONCLVSIO I.

PRimus & maximè proprius eſt, peccatorum omnium, ſiue originis vitio, ſiue noſtrâ culpâ contracta ſint, remiſſio.

Eſt Catech. §. Hoc primum tradere oportet, &c. Et D. Thom. p.3.q.69.art.1.

Manifeſta eſt primò ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs, Ezechielis 36. cap. ſic Deus futurum prædixit, cùm ait: *Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: Et Chriſti Saluatoris, cùm apud S. Ioannem, cap. 13. ait: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*: Et Apoſtoli, 1. ad Corinth. 6. qui poſt longam peccatorum enumerationem ſic ait: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Et Petri Actuum 2. cum ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.*

II. Figurâ veteris teſtamenti clariſſimâ, quæ eſt 4. Regum 5. cap. de Naaman Syro læproſo, qui cùm ſepties Iordanis aquâ ſe abluiſſet, teſtante ſcriptura, ita à læpra mundatus eſt, vt eius caro, caro pueri videretur.

III. Veritas huius concluſionis patet perpetua eccleſiæ traditione, & antiquorum Patrum teſtimonijs, D. Auguſtini in lib. quem de Baptiſmo paruulorum conſcripſit, vbi ita teſtatur: *Generante carne, tantùm con-*

tùm contrahitur peccatum originale, regenerante autem ſpiritu non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum peccatorum fit remiſſio: D. Hieronymi ad Oceanum epiſtola 83. ante medium, *Omnia* (inquit) *in baptiſmate condonata ſunt crimina:* Et D. Gregorij lib. 9. regiſtri epiſt. 30. ita ſcribentis: *Si qui ſint qui dicant peccata in Baptiſmo ſuperficie tenùs dimitti, quid eſt hac prædicatione infidelius? cùm per fidei ſacramentum anima peccatis radicitùs abſoluta ſoli Deo inhæreat.*

Poſtremò, definitione Conciliorum generalium, Viennenſis & Florentini in doctrina de ſacramentis, & nouiſsimè Tridentini, quod anathema in eos decreuit qui aliter ſentire auderent, quíue aſſerere non dubitarent, quamuis peccata in Baptiſmo remittantur, ea tamen prorſus non tolli aut radicitus euelli, ſed quodammodò abradi, ità vt peccatorum radices animo infixæ adhuc remaneant: Namque, vt eiuſdem ſanctæ Synodi verbis vtamur, *nihil odit Deus, quia nihil damnationis eſt his qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſmum in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum qui ſecundũ Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt.*

Non obſtat concluſioni, Concupiſcentiam vel fomitem remanere in baptizatis, ſicut eodem loco Synodi ipſius auctoritate decretum eſt; Quia illa verè peccati rationem non habet: Nam ex D. Auguſtini ſententia lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 39. & lib. 3. cõtra 2. epiſtolam Pelagij cap. 3. in paruulis baptizatis concupiſcentiæ reatus abſoluitur, & ad agonem relinquitur. Idem teſtatur & pluribus alijs locis lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia, cap. 23. & 25. & contra Iulianum, lib. 6. cap. 5. & lib. 1. retracta-

retractationnm, cap. 15. & de verbis Apoſtoli Serm. 6. Illis enim locis docet concupiſcétiæ reatum in baptiſmate ſolui, ſed infirmitatem manere; Concupiſcentia enim quæ ex peccato eſt nihil aliud eſt niſi animi appetitio, naturâ ſuâ rationi repugnans: Qui tamen motus, ſi voluntatis conſenſum aut negligentiam coniunctám non habeat, à vera peccati natura longè abeſt.

Neque aduerſatur huic ſolutioni quod D. Paulus ad Rom. 7. ait: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*; Ex his enim verbis D. Paulus nó concupiſcédi vim, ſed voluntatis vitiū vult intelligi.

CONCLVSIO II.

Secundus effectus eſt, pœnarum omnium quæ peccatis debentur condonatio.

Eſt Catech. §. Iam vero in baptiſmo non ſolum peccata remittuntur, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 69. art. 2.

Ratio eſt; Nam etſi omnibus ſacramentis hoc cómune eſt, vt per illa virtus paſsionis Chriſti Domini communicetur, de ſolo tamen baptiſmo dictum eſt ab Apoſtolo, ad Rom. 6. nos per ipſum Chriſto cómori & ſepeliri.

Ex quo ſancta eccleſia ſemper intellexit, ſine maxima ſacramenti iniuria fieri non poſſe, vt ei qui baptiſmo expiandus ſit, eiuſmodi pietatis officia, quæ vſitato nomine S. Patres opera ſatisfactionis vocârunt, imponantur.

Et Confirmatur; Nam, ſi, vt iam dictum eſt, in baptiſmo quodammodò patimur & morimur cum Chriſto, Paſsio autem & mors Chriſti eſt ſufficiens ſatisfactio pro peccatis omnium hominum, Iniuria fieret paſsioni Chriſti ſi à recés baptizato exigeretur aliqua alia ſatisfactio.

Intelli-

Intelligitur concluſio de eo genere pœnarum quas quis debet Deo quem peccato offendit,non autem de eo quas quis debet per leges ciuiles hominibus, qui peccato etiam offenſi & ſcandalizati ſunt: Quare latro qui hominem occidiſſet ante baptiſmũ, non liberaretur, per ſuſceptionem baptiſmatis à patibulo, quod per leges ciuiles latroni pro extremo ſupplicio decretum eſt, & ſic in alijs: tametſi vehementer laudanda eſſet eorum principum religio & pietas,qui eas quoque pœnas, vt Dei gloria in ſuis ſacramentis illuſtrior fieret, ſontibus remitterent ac condonarent.

Non obſtat concluſioni veteris eccleſiæ conſuetudo quæ olim Iudæis, cùm baptizarentur præcipiebat,vt quadraginta continuos dies ieiunarent; Quia ieiunium illud non imponebatur per modum ſatiſfactionis & pœnæ alicuius Deo debitæ, ſed ea ratione admonebantur,vt ſacramenti dignitatem venerãtes,ieiunijs& orationibus aliquamdiu ſine intermiſſione operam darent.

CONCLVSIO III.

Tertius Baptiſmi effectus eſt, liberatio à pœnalitatibus quæ peccatum originale cõſequuntur:vt ſunt,infirmitas corporis,morbus,dolorum ſenſus,concupiſcentia motus & ſimiles, non quidem in præſenti vita,ſed in futura.

Eſt Catech. §. Efficit præterea baptiſmus poſt huius vitę curriculum,&c.Et D.Thom.ſup.art 3.

Probatur & explicatur ratione theologica tali: Merito mortis Chriſti fit, vt poſt hanc vitam ab huiuſmodi pœnalitatibus & miſerijs liberemur: Baptiſmo autem,vt ſupra dictum eſt ex Apoſtolo,Chriſto cõmorimur; Ergo virtute baptiſmi à pœnalitatibus poſt hanc vitam liberamur.

DIFFICVLTAS VNICA, SED PERmaximi momenti.

Quare virtute Baptiſmi non liberamur ab huiuſmodi pœnalitatibus & incommodis in hac vita?

Dicendum, id fieri duabus potiſsimum de cauſis; I. Quia nobis, qui per Baptiſmum Chriſti corpori cõiuncti, atque eius membra effecti ſumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quàm ipſi capiti noſtro tributum eſſet; Sed Chriſtus Dominus etſi ab initio ortus ſui, gratiæ & veritatis plenitudinẽ habuit, tamen humanæ naturæ fragilitatem, quam ſuſcepit, non ante depoſuit, quàm paſsionis tormẽta & mortẽ pertulit, ac deinde ad immortalis vitæ gloriam reſurrexit.

Altera, vt ſcilicet tanquam ſegetem & materiam virtutis haberemus, ex qua deinde vberiorẽ gloriæ fructum atque ampliora præmia conſequeremur. Nam cùm patienti animo vitæ incommoda omnia toleramus, prauaſque animi noſtri affectiones ſub rationis imperium diuina ope ſubijcimus; certa ſpe niti debemus, fore, vt ſi cum Apoſtolo bonum certamen certauerimus, curſum conſummauerimus, fidẽ ſeruauerimus, repoſitam quoque iuſtitiæ coronam reddat nobis Dominus in illa die iuſtus iudex.

Poteſt addi & hæc ratio, quia ſi per Baptiſmum præter virtutes & dona cæleſtia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari meritò poſſet, quin multi pręſentis potius vitę cómoda, quam futuræ ſperatã gloriã cõſectantes, ad Baptiſmũ venirent, cùm tamen non falſa hæc & incerta quę videntur, ſed vera atq; æterna quę non videntur bona, chriſtiano homini ſemper propoſita eſſe debeant.

CONCLVSIO IIII.

*Q*Vartus effectus eſt, collatio gratiæ.*
Eſt Catech. §. Sed vt ad Baptiſmi effectus, Et D.Thom.ſup.art.4.

Colligitur ex ſcriptura, Marci.16. cap. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*: Quod fieri non poteſt ſine gratia Dei; *Gratia enim Dei* (inquit Apoſtolus) *vita æterna*. Et ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. cap. cùm ait: *Eccleſiam mundatam eſſe lauacro aquæ in verbo vitæ*; Lauatio enim hæc ſine gratia Dei fieri non poteſt.

Gratia ſecundum Conc. Trid. Seſſ.6. de Iuſtificatione cap.7. eſt non ſolùm per quam peccatorum fit remiſsio, ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarũ maculas omnes delet, ipſaſq; animas pulchriores & ſplendidiores reddit.

Hęc deſcriptio ex ſcripturis apertè colligitur, cùm dicunt gratiam animæ infundi, & illam appellant pignus Spiritus ſancti.

CONCLVSIO V.

*Q*Vintus effectus eſt, virtutum omnium infuſio.*
Eſt Catech. §. Huic additur nobiliſsimus omnium virtutum comitatus, &c. Et D. Thom. ſup. eodem art.

Colligitur ex verbis Apoſtoli ad Titum 3. cap. quibus ait: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum*; D. enim Auguſtinus verba illa (*abundè effudit*) explicans, Nimirum (inquit) ad remiſsionem peccatorum & copiam virtutum.

CON-

CONCLVSIO VI.

Sextus effectus eſt, quod per Baptiſmum Chriſto capiti tanquam membra copulamur & connectimur.

Eſt Catech. §. Iam per baptiſmum, &c. Et D. Thom. ſup. art. 5.

Ratio eſt, quia per Baptiſmum regeneramur in ſpiritualem vitam, quæ eſt propria filiorum Chriſti, ſicut docet Apoſtolus, ad Galatas 2. cùm ait: *Quod autem viuo in carne, in fide viuo filij Dei*; Vita autem nõ eſt niſi membrorum capiti vnitorum, à quo ſenſum & motum ſuſcipiũt, & ideò neceſſe eſt quòd per baptiſmum aliquis incorporetur Chriſto quaſi membrũ ipſius. Sicut igitur à capite naturali vis manat, à qua ſingulæ corporis partes ad proprias functiones aptè exequendas mouentur: ita etiam ex Chriſti Domini plenitudine in omnes qui iuſtificantur diuina virtus & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia chriſtianæ pietatis officia habiles reddit.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si per Baptiſmum gratia & virtutes infunduntur, quibus ad omnia pietatis & virtutum officia habiles reddimur, vnde fit quod cum tanta difficultate & labore pias honeſtaſq; actiones inchoamus, vel certè abſoluimus?

Dicendum, quòd id ob eam cauſam non euenit, quòd virtutes à quibus actiones ipſæ proficiſcuntur Dei beneficio nobis donatæ non ſint, ſed quoniam poſt Baptiſmum concupiſcentiæ pugna aduerſus ſpiritum relicta eſt, in qua ſi conſtanter perſeueremus Dei benignitate optima ſpe niti debemus fore, vt quotidiana rectè viuendi exercitatione, quæcumque pudica ſint, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, eadem etiam facilia & iucunda videantur.

CONCLVSIO VII.

Septimus effectus eſt, characteris indelebilis in anima impreſſio.

Eſt Catech. §. Præterea per baptiſmum cõſignamur charactere. Et D. Thom. p. 3. q. 63. art. 6.

Intelligitur ſufficienter concluſio ex his quę diximus de ſacramentis in genere, quæſt. 8.

DIFFICVLTAS I.

An Baptiſmus iterari poſſit?

Quamuis hæc difficultas aliquo modo reſoluta ſit, cùm ageretur de ſacramentis in genere q. 8. diff. 3. nihilominùs tamen, quia à multis Paſtoribus hac in parte grauiter erratur, diligentiùs paulò & clariùs explicanda eſt.

Dicendum ergo, quod ex characteris indelebilis vi & natura ab eccleſia definitum eſt, baptiſmi ſacramentum nulla ratione iterandum eſſe. Si enim, vt ante diximus, cùm de ſacramentis in genere ageremus, character deleri aut amitti ne per peccatum quidem poſſit, quid eſt opus peccatori repetere baptiſmum?

Sed probatur hoc ipſum multipliciter: I. ſcripturę ſacræ auctoritate, Apoſtoli ad Epheſ. 4. cap. cùm ait: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Deinde cùm idẽ Apoſtolus da Romanos hortatur, vt mortui per baptiſmum in Chriſto cauerent, ne vitam quam ab ipſo accepiſſent, amitterent, cùm inquit, ad Rom. 5. c. *Quòd enim Chriſtus mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel*, hoc videtur apertè ſignificare, ſicut Chriſtus morī iterùm non poteſt, ita nobis denuò mori per baptiſmum non licere.

Præterea eccleſiæ auctoritate, quæ ſe vnum baptiſma cre-

ſima credere palam profitetur, cùm canit: *Confiteor vnum baptiſma.*

Poſtremò ratione Theolog. tali; Baptiſmus eſt quædã ſpiritualis generatio, vt iam aliquoties dictũ eſt; Quemadmodum igitur naturali virtute ſemel tãtùm generamur & in lucem edimur, atque vt D. Auguſtinus loquitur tract. 15. in Ioannem, vterus non poteſt repeti, ſic etiam eſt vna ſpiritualis generatio, nec baptiſmus vllo vnquam tempore iterandus eſt.

Difficvltas II.

Iteratúrne Baptiſmus cùm ex decreto Alexandri 3. baptizatur quis ſub conditione dicendo: Si Baptizatus es, te iterum nõ baptizo; ſi verò nõdum baptizatus es, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?

Dicendum quod non; ſed ſinctè ſub conditione, ſi puer non eſt baptizatus baptiſmus miniſtratur.

Difficvltas III.

An quiuis ſine delectu ſub conditione baptizari poſſit?

Dicendum quod non: Nam formula baptizandi ſub conditione ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantùm permittitur de quibus re diligẽter perquiſita dubium relinquitur, an baptiſmum ritè ſuſceperint; Aliter vero nunquam fas eſt etiam ſub cõditione baptiſmum alicui iterùm miniſtrare.

Quare grauiter errant illi Paſtores, qui ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærẽdum putãt, an is prius ablutus fuerit, ſed ſtatim ei Baptiſmum tribuunt: Quin etiam quamuis exploratum habeant domi ſacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacrã ablutionẽ in eccleſia, adhibitã ſolẽni cæremoniã ſub conditione repetere non dubitant: quod quidem, vt ex antedictis patet, ſine ſacrilegio facere nõ poſſunt:

& eam maculam incurrunt, quam noſtri Doctores irregularitatem vocant.

CONCLVSIO VIII. ET POSTREMA.

VLtimus Baptiſmi effectus eſt, cæli, quod per peccatum intercluſum fuerat, apertio.

Eſt Catech.§ Præter cętera verò quæ ex baptiſmo conſequimur. Et D. Thom. p. 3. q. 69. art. 7.

Poteſt intelligi hęc cõcluſio ex ijs quæ in Saluatoris Baptiſmo contigiſſe, euãgelica auctoritas confirmauit; etenim cæli aperti ſunt, & Spiritus ſanctus colũbæ ſpecie in Chriſtum Dominum deſcendens apparuit: Ex quo proculdubio ſignificatum eſt eis qui baptizantur diuini numinis chariſmata impertiri, & cælorum ianuam reſerari: Quòd tamen intelligi debet non quòd ſtatim baptizati à baptiſmo cælum ingrediantur, ſed quòd magis oportuno tempore ingrediãtur in illam gloriam cùm omnium miſeriarũ expertes, quæ in beatam vitã cadere non poſſunt, pro mortali conditione immortalitatem aſſequentur.

DIFFICVLTAS VNICA.

An omnes baptizati æqualiter omnes effectus Baptiſmi percipiant?

Dicendum, quod omnes effectus baptiſmi, ſi quidem ſacramenti vim ſpectemus, æquè ad omnes pertinere dubitari non poteſt: ſin autem quo quiſque animo affectus ad illum ſuſcipiendum acceſſerit conſideremus, plus minúſve cæleſtis gratiæ fructus ad vnũ aliquem, quàm ad aliũ peruenire fateri oportet.

QVAESTIO XI. ET POSTREMA.

Quotuplices ſunt Baptiſmi cæremoniæ?

Ante-

ANTEQVAM reſoluatur quæſtio, duo obſeruanda ſunt;

Primum, cæremonias Baptiſmi, quamuis neceſſariæ omninò non ſint, plurimi tamen faciendas, magnoq; in honore eſſe oportere, propter duas potiſsimum cauſas.

Prima eſt, auctoritas inſtituentium, qui ſine controuerſia ſancti Apoſtoli fuerunt, vt teſtantur Dionyſius Areopag. cap. 2. Eccleſiaſticę Hierar. Clemẽs Romanus epiſt. 3. Tertullianus de corona militis & baptiſmo, Origenes Hom. 12. in numeros, Cyprianus epiſtola 70. & alij tẽporibus Apoſtolorũ vicini.

Altera, finis cuius cauſa cæremonias adhiberi voluerũt; Ideò enim illi cæremonias baptiſmo addiderunt, vt maiori cum religione ac ſanctitate adminiſtraretur, & prçclara i 1 i & eximia dona, quę in eo cõtinentur, veluti ante oculos ponerentur, & in animos fidelium magis imprimerentur.

Ex quibus ſequitur, cæremonias diligenter explicandas eſſe: cùm enim illæ tantum ſint ſigna & imagines, quibus ea quæ in Baptiſmo continentur veluti ante oculos ponũtur, ſi quis vim & poteſtatem illorum ſignorum non animaduerterit, non magnam ex illis ſpiritualem vtilitatem cóſequetur, ſicut Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. de linguarum dono àdmonuit, cùm inquit, ſine fructu eſſe quæ aliquis loquitur, ſi à fidelibus non intelligantur.

Alterum, cùm cæremonię baptiſmi ſint multiplices, curandum eſſe, vt illæ bono ordine tradantur & explicentur, vt quæ de ijs tradita fuerint, auditorum memoriâ faciliùs retineantur.

His ita obſeruatis aliquot concluſionibus reſpondetur.

CONCLVSIO I.

OMnes cæremoniæ & precationes quibus in Baptiſmi adminiſtratione eccleſia vtitur, ad tria genera rediguntur. Primum quidē illarum genus eſt, quæ antequam accedatur ad Baptiſmi fontem ſeruantur. Alterum, earum, quæ cum ad ipſum fontem ventum eſt adhibentur. Tertium, earum, quæ peracto iam Baptiſmo, addi ſolent.

Eſt Catech. §. Sed omnes cæremoniæ & precationes, &c. Et D. Thom. p. 3. tota q. 71.

CONCLVSIO II.

CAEremoniæ, antequam accedatur ad fontem obſeruandæ, ſunt iſtæ. Primo, aqua paratur, quâ ad baptiſmum vti oportet; conſecratur enim baptiſmi fons addito myſticæ vnctionis oleo. Secundò, afferuntur, vel etiam adducuntur qui baptiſmo initiandi ſunt ad eccleſiæ fores, atq; ab eius introitu omninò prohibentur, quòd indigni ſunt qui domum Domini ingrediantur, antequam à ſe turpiſſimæ ſeruitutis iugum repulerint, & totos ſe Chriſto Domino eiuſq; iuſtiſſimo imperio addixerint. Tertiò, ſacerdos à baptizandis exquirit, quidnam ab eccleſia petant, qui reſpondent ſe Baptiſmum petere. Quartò, perſpecta voluntate baptizandorū, ſacerdos eos catechiſat, id eſt, fidei doctrinam, quam in baptiſmo profiteri debent, docet. Quintò, ſacerdos baptizandos exorciſat. Sextò, obſignat ſigno crucis frontem, pectus, humeros, aures. Poſtremò, nares & aures baptizandi, ſaliuâ linit, ſtatimq; ad baptiſmi fontem mittit.

Eſt Catech. §. Imprimis igitur aqua parāda eſt, &c.

Vt harum cæremoniarum antiquitas, ſignificatio, & præſtantia melius intelligatur, de ſingulis ex ordine, aliqua cum Catechiſmo dicenda ſunt.

Primò, Aquam conſecrari ad baptiſmum, teſtis eſt D.

eſt D. Cyprianus epiſtola 70. D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 27.

Conſecratur aqua non omni tempore; ſed more maiorum, feſti quidam dies, Paſchæ videlicet & Pentecoſtes, qui omnium celeberrimi & ſanctiſsimi optimo iure habendi ſunt, expectantur, in quorum vigilijs ſacræ ablutionis aqua conficitur: Quibus etiam dieb⁹, niſi neceſsitas aliter facere coëgiſſet, in veteris eccleſiæ more poſitū fuit, vt Baptiſmus adminiſtraretur, quod quamuis hoc tempore propter communis vitæ pericula non ſeruetur, tamen ſolennes illos dies, Paſchæ videlicet & Pentecoſtes, quibus baptiſmi aqua conſecranda eſt, ſumma cum religione adhuc obſeruat.

Conferri ſolere Baptiſmum præcipuè temporibus Paſchæ & Pentecoſtes, teſtatur Leo Pontifex epiſtola 4. ad Epiſcopos Siciliæ.

Secundò, Non admitti baptizandos in eccleſiam, teſtantur Tertullianus de corona militis cap. 3. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 5.

Tertiò, Catechiſmum præceſsiſſe baptiſmum, notiſsimum eſt apud omnes veteres. Vide ſpeciatim D. Auguſtinum de fide & operibus cap. 6. & Clementē Romanum epiſtola 3.

Catechiſmus à Chriſto inſtitutus eſt, Matth. 18. cùm iuſsit Apoſtolis: *Ite in mundum vniuerſum, & docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes ſeruare omnia quæcumque mādaui vobis.*

Inſtitutio catechiſtica fit per interrogationes, ad quas, ſi is, qui inſtituitur adultus fuerit, per ſe reſpōdere debet: ſi autem infans ſit, pro illo ſponſor ritè reſpondet, ſolennemque ſponſionem facit.

Quartò, Exorciſmorum, qui Baptiſmum quoque præcedunt, meminerunt Tertullianus de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, cap. 41. D. Cyprianus epiſtola 2. D. Auguſtinus lib. 2. de gratia Dei & peccato originali cap. 40.

Exorciſmus conficitur ſacris verbis ac precationibus, & valet ad expellẽdum Diabolũ, eiuſque vires frangendas.

Quintò, Quòd baptizandi frons, oculi, pectus, humeri, aures ſigno crucis obſignentur; ſignificatur Baptiſmi myſterio ſẽſus baptizati aperiri ac roborari, vt Deum excipere, præceptaq; eius intelligere, ac ſeruare poſsit.

Signum crucis in baptiſmo adhiberi ſolitum ſcribunt Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis, D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, D. Chryſoſtomus lib. contrà gentes, & alij.

Sextò, Quòd baptizandi nares & aures ſaliuâ liniantur; ſignificatur, quòd quemadmodùm cæcus ille euangelicus, Ioann. 9. cap. quem Dominus iuſſerat oculos luto illitos Siloës aquâ abluere, lumen recuperauit; Ita etiam intelligamus ſacræ ablutionis eã vim eſſe, vt menti ad cæleſtem veritatem percipiendam lumen afferat.

CONCLVSIO III.

CAEremoniæ, quæ adhibentur cùm ad ipſum Baptiſmi fontem ventum eſt, ſunt iſtæ.

Primò, ſacerdos ter conceptis verbis, eum, qui baptizandus eſt, interrogat, Abrenũcias Sathanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius? Ille, aut eius nomine patrinus ad ſingulas interrogationes reſpondet, Abrenuncio.

Secundò, baptizãdus interrogatur à ſacerdote hoc modo, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Cui ille reſpondet,

Credo. Atque ità deinceps de reliquis ſymboli articulis rogatus fidem ſuam ſolenni religione profitetur.

Tertiò, cum iam Baptiſmum adminiſtrare oportet, quærit ſacerdos ab eo qui baptizãdus eſt, Num baptizari velit? Quo quidẽ per ſe, vel eius nomine ſi infans ſit, patrino annuẽte ſtatim, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſalutari aquâ eum abluit.

Eiſ. Catech. § His peractis ad baptiſmi fontem veniunt.

Vt ſimiliter harum cæremoniarum antiquitas & ſignificatio intelligatur, de ſingulis quoque aliquid dicendum eſt.

Primò, Baptizandos ſolere abrenunciare Sathanæ, teſtatur Tertullianus lib. de corona militis cap. 13 & de Spectaculis cap. 4. & de Idololatria cap. 6. & D. Cyprianus epiſtola 7. & alij.

Hac abrenunciatione ſignificatur, Eum, qui Chriſto nomen daturus eſt, hoc primùm ſanctè ac religiosè polliceri debere ſe Diabolũm & mundum deſerere ac nullum vnquam tempus fore in quo vtrũque velut teterrimum hoſtem non deteſtetur.

Secundò, Baptizandos fidem ſuam profiteri debere, & quomodo, docet Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 1. & 2. & D. Auguſtinus lib. 7. confeſſionum.

Huiuſmodi cæremoniã, omnis chriſtianę legis vis & diſciplina ſignificatur & continetur.

Tertiò, Quod Baptizandus interrogatur, Num baptizari velit; ea interrogatione ſignificatur, quòd quẽadmodùm homo ſua volũtate ſerpenti obediẽs meritò dãnatus fuit; Ita Dñs neminem ad ſuorũ numerum niſi volũtarium militem adſcribi velit, vt ſic diuinis iuſsis obtẽperans ęternam ſalutẽ cõſequatur.

CONCLVSIO IIII.

CAEremoniæ, quæ peracto Baptiſmo fiunt, ſunt quatuor. Primò, ſacerdos ſummum baptizati verticem perungit. Secundò, induit baptizatum veſte albâ, dicens, Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternã. Infantibus, qui veſtitu non vtuntur, iiſdem verbis ſudariolum capiti imprimit. Tertiò, tradit in manum baptizati cereum ardentem. Poſtremò, illi nomen imponit.

Eſt Catech. §. Iam poſtquam baptiſmus abſolutus eſt.

De his quoque cæremonijs aliquid dicendum eſt.

Primò, Vnctionis poſt Baptiſmũ præter D. Ambroſium meminerunt D. Dionyſius Areop. eccleſ. Hierarchiæ, cap. 2. & 3. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 3. D. Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27.

Hęc Vnctio ſignificat, baptizatũ ab eo die Chriſto capiti tanquam membrum coniunctum eſſe, atque eius corpori inſitum, & ea re chriſtianum à Chriſto, & Chriſtum à chriſmate appellari.

Quid Chriſma ſignificet, D. Ambroſius lib. 1. de Sacramẽtis cap. 2. & lib. 2. cap. 7. teſtatur ſatis intelligi ex ijs quæ tunc ſacerdos orat.

Secundò, Veſtem candidam ſolere dari in Baptiſmo, teſtatur D. Dionyſius Areop. loco ſup. allegato, & D. Ambroſius lib. de ijs qui myſterijs initiantur cap. 7. & alij.

Hac cæremoniã Patres ſignificãt tũ reſurrectionis gloriã, ad quã per baptiſmũ renaſcimur, tum nitorem & pulchritudinem, quã dilutis peccatorũ maculis anima in baptiſmo ornatur, tum innocentiam atque integritatẽ, quam in omni vita ſeruare debet.

Tertiò,

Tertiò, Cerei ardentis, qui datur in manibus baptizatorum, meminerunt Gregorius Nazianzenus Serm. 9. de Baptiſmo, Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 11. Nicephorus hiſtoriæ eccleſiaſt. lib. 3. cap. 11.

Cereus ardens ſignificat fidem charitate inflāmatam, quam in baptiſmo accipimus, bonorum operū ſtudio alendam atque augendam eſſe.

Quartò, Nomen baptizato imponendum, deſumēdum eſſe ab aliquo, qui propter excellentē animi pietatem & religionem in ſanctorū numerū relatus eſt: Hoc duplicem habet vtilitatem; Nam primò baptizatus propter nominis ſimilitudinem faciliùs ad imitationem ſanctitatis, & virtutis illius excitabitur: Deinde, libentiùs eum inuocabit, ſperabitq́; ſibi faciliorem patronū, & aduocatum futurum apud Deū, ad defendendam tùm animi, tum corporis ſalutem.

Ex his colligitur reprehendendos eſſe illos, qui gentilium nomina, & eorum pręcipuè, qui ſceleratiſſimi fuerunt, ſuis pueris imponunt.

Documentum Spirituale.

Ex omnibus antedictis Catechiſmus ſuo more infert vnum Documētum Spirituale, nimirum fideles oēs in hac cura & cogitatione perpetuò verſari debere, vt in ijs quæ adeò ſanctè & religioſè ſpoponderūt, cùm baptiſmo initiati ſunt, fidem ſeruent, atque eam vitam inſtituant, quæ ſanctiſsimæ nominis chriſtiani profeſsioni reſpondeat.

Hæc, quæ de baptiſmi noīe & natura, de materia & forma, de auctore & miniſtro, de patrinis & ſponſoribus, de præparatione baptizandorū, de effectibus baptiſmi, eiuſdemque cęremonijs & ritibus diximus, pro inſtituti noſtri ratione ſufficiunt.

CAPITIS II.

ELVCIDATIO.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

ANTE explicationem huius ſacramẽti tria notanda ſunt cum Catechiſmo.

I. Sacramentum Confirmationis ſumma cum pietate & religione ab omnibus ſuſcipiendum eſſe propter maximos & præſtantiſsimos fructus quos ex eo capimus, de quibus poſtea.

II. Paſtores, & catechiſtas magnam curam in eo explicando & illuſtrando adhibere debere, præſertim hoc tẽpore, quo in ſancta Dei eccleſia hoc ſacramẽtum à multis omninò prætermittitur, pauciſsimi verò ſunt qui diuinæ gratiæ fructum quem debent ex eo capere ſtudent.

Poſtremum, tempus accommodatum ad docendum & explicandum eſſe maximè diem Pentecoſtes, quo præcipuè die adminiſtrari ſolet, tũ alios omnes dies quibus id paſtores & catechiſtæ commode fieri poſſe iudicauerint.

QVAESTIO I.

Quare hoc Sacramẽtum vocatur Cõfirmatio; Et, An ſit verum & propriè dictum Sacramentum nouæ legis à Baptiſmi Sacramento diſtinctum?

Sunt tres partes huius quæſtionis, ad quas totidẽ concluſionibus reſpondetur.

CONCLVSIO I.

HOc Sacramentum idcircò vocatur Confirmatio quoniam qui baptizatus eſt, cùm ab Epiſcopo ſacro chriſmate vngitur, additis ſolẽnibus illis verbis, Signo te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, niſi aliud efficientiam impediat, noua virtutis robore firmior, atque adeò perfectus Chriſti miles eſſe incipit.

Eſt Catech. §. Sed vt à nomine initium ſumatur, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 72. art. 1. & ex ſequentibus fiet manifeſta.

CONCLVSIO II.

COnfirmationem veram & propriam Sacramenti rationem habere Catholica Eccleſia ſemper agnouit.

Eſt Catech. §. In Confirmatione autem veram, &c. Et D. Thom. ſup.

Perpetuam fuiſſe traditionem eccleſiæ, teſtantur plures ſanctiſsimi & vetuſtiſsimi pontifices: Imprimis Melchiades Pontifex ad Epiſcopos Hiſpaniarũ, cap. 2. & habetur de conſecr. diſt. 5. cap. Spiritus, & cap. de his verò. Deinde ſanctus Clemens Papa epiſtola 4. eius veritatis doctrinam grauiori ſententia comprobare non potuit; (inquit enim) *Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demùm ab Epiſcopo cõſignari, id eſt, ſeptiformem gratiã Spiritus ſancti percipere, cùm alioqui perfectus chriſtianus nequaquam poſsit eſſe is, qui iniuriâ & volũtate, non autem neceſsitate compulſus hoc ſacramentum prætermiſerit, vt à beato Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.*

Præterea hanc eandem fidem ſuâ doctrinâ cõfirmârunt,

marunt, qui eodem Spiritu pleni, pro Chriſto ſanguinem profuderunt, plures Romani pontifices, Vrbanus epiſtola 1. ad omnes chriſtianos cap. 7. & habetur de cõſecratione diſt. 5. cap. omnes fideles, Fabianus epiſtola 2. ad omnes Orientis Epiſcopos cap. 1. Euſebius epiſtola 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Cãpaniæ, & habetur de conſecr. diſt. 5. cap. manu.

Poſtremò, accedit ſanctorum patrum & DD. eccleſiæ conſentiens auctoritas, inter quos Dionyſius Areopag. Athenarum Epiſcopus, cùm diceret lib. de eccleſ. Hierar. cap. 2. qua ratione hoc ſacrum vnguẽtum conficere, eoque vti oporteret, ita inquit: *Baptizatum ſacerdotes induunt veſte congrua munditiæ vt ad põtificem ducant: Ille verò ſacro atque prorſus diuino vnguẽto baptizatum ſignãs, ſanctiſſimæ communionis participẽ facit.* Euſebius quoque Cæſarien. lib. 6. eccleſ. hiſtoriæ c. 20. tantum hoc ſacramento tribuit, vt dicere nõ dubitârit, Nouatum hæreticum Spiritum ſanctum promereri non potuiſſe, quia cum baptizatus eſſet, in graui ægritudine ſignaculo chriſmatis non eſt ſignatus.

Clariſsima quoque huius rei habemus teſtimonia, tum à D. Ambroſio in eo libro, quem de ijs qui myſterijs initiantur inſcripſit cap. 7. tum à D. Auguſtino in libris quos aduerſus Petiliani Donatiſtæ epiſtolas edidit cap. 10. & 15. Quorum vterque adeò de huius ſacramenti veritate nihil poſſe dubitari exiſtimauit, vt eam ſcripturæ etiam locis doceat ac confirmet; Nam alter verba illa Apoſtoli ad Epheſ. 4. cap. *Nolite cõtriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis:* Et alter, id quod in Pſalmo 132. legitur: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbã, barbam Aaron:* Et illud eiuſdem Apoſtoli, ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa*

diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ad confirmationis ſacramentum referri teſtatus eſt.

CONCLVSIO III.

QVamuis Melchiades Pontifex, loco ſuperius allegato dicat, Baptiſmũ Confirmationi maximè coniunctum eſſe, non idem tamen ſacramentum, ſed ab altero longè diſiunctum exiſtimandum eſt.

Eſt Catech.§.Quamuis autem à Melchiade,&c. Et D.Thom.ſup.

Probatur & explicatur dupliciter. Primò, duabus rationibus theologicis;

Prima eſt, Varietas gratiæ, quam ſingula ſacramenta conferunt, & varietas rei ſenſibus ſubiectæ, quæ ipſam gratiam ſignificat, efficiunt quoque varia & diuerſa ſacramenta, vt patet ex ijs quæ de ſacramẽtis in genere diximus; Sed in ſacramentis Baptiſmi & Confirmationis diuerſæ ſunt gratiæ, diuerſa quoque ſigna ſenſibilia gratiarum; Ergo ſunt diuerſa ſacramenta.

Minor propoſitio probatur: Nam baptiſmi gratia homines in nouam vitã gignuntur; Confirmationis autem ſacramento, qui iam geniti ſunt, viri euadunt euacuatis ijs quæ erant paruuli, vt loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. cap.

Altera, vbi animus in nouam aliquam difficultatem incurrit, nouum atque diſtinctum ſacramẽti genus conſtituendũ eſt: Sed alia eſt gratia, quâ animus indiget, vt fide informetur, quòd fit per baptiſmum: & alia quâ animus ſic confirmetur, vt nullo pœnarũ, ſuppliciorum, mortis periculo aut metu, à veræ fidei cõfeſsione deterreatur, quòd fit per Confirmationẽ;

 Ergo

Ergo Confirmatio eſt nouum & diſtinctum ſacramentum à Baptiſmo.

Minor propoſitio confirmatur auctoritate Melchiadis Pontificis epiſtola ſupra citata, in qua vtriuſque ſacramenti diſcrimen accurata oratione proſequitur, ita ſcribens: *In Baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione, confirmatur ad pugnam: In fonte baptiſmatis Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam; Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat: In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur: In baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur: Regeneratio per ſe ſaluat in pace baptiſmum recipientes: Confirmatio armat atque inſtruit ad agones.*

Secũdò probatur cõcluſio auctoritate Cõciliorũ generalium, Florentini in inſtructione Armenorũ, & Tridentini Seſſ. 7. de confirmatione, vt iam de illa non ſolùm aliter ſentire, ſed ne dubitare quidem vllo modo liceat.

QVAESTIO II.

Quis eſt auctor Sacramenti Confirmationis?

CONCLVSIO VNICA.

Chriſtus Dominus non ſolùm ipſum Sacramentum, ſed & chriſmatis ritum & verba, quibus in eius adminiſtratione Catholica Eccleſia vtitur, inſtituit & præcepit.

Eſt Catech. §. Quoniam verò ſuprà demonſtratũ eſt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 72. art. 1. ad 1.

Ita docet expreſſis verbis Fabianus Romanus Põtifex initio 2. epiſtolæ, quæ eſt ad Epiſcopos orientis, & habetur tomo 1. Conciliorum.

Deinde

Deinde ratio theologica clarè hoc ipſum conuincit, præſertim apud illos qui confirmationem, ſacramentum eſſe nouæ legis confitentur; Nam cum illa conferant gratiam, non ſolùm humanæ, ſed & omnis creatæ naturæ vires ſuperant. Cùm ergo confirmatio ſit ſacramentum nouæ legis, non potuit alium, quàm Deum auctorem habere.

QVAESTIO III.

Quæ eſt materia huius Sacramenti?

CONCLVSIO VNICA.

Materia huius Sacramenti, chriſma appellatur.

Eſt Catech. §. Ac primùm de materia dicendum eſt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 72. art. 2.

Chriſma, vocabulũ græcum eſt, quod apud prophanos, quodlibet vnguenti genus ſignificat: Apud illos tamen qui res diuinas tradunt, cõmuni loquendi conſuetudine ad illud tantummodò vnguentum ſignificandum accomodatur, quod ex oleo & balſamo ſolenni Epiſcopi conſecratione conficitur.

Chriſma eſſe materiam huius Sacramenti, conſtat multis argumentis;

Primò, auctoritate Eccleſiæ, & Cõciliorum, Laodicenſis cap. 48. & ſecundi Cartaginenſis cap. 3. & tertij Cartag. cap. 36. & aliorum.

Secundò, plurimorum grauiſſimorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ teſtimonijs, imprimis Fabiani Pontificis, qui Apoſtolos chriſmatis confectionem à Domino accepiſſe, nobiſque reliquiſſe teſtatur epiſtola ſuperiùs citata ad epiſcopos Oriẽtis, quæ refertur de conſecr. diſt. 3. cap. Litteris veſtris. Dionyſij lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 2. & 4. Cypriani epiſt. 70. ad Ianua-

ad Ianuarium, & in lib. de Vnctione Chriſmatis Ambroſij ſuper Pſalm.118. & in lib.de Spiritu ſancto cap. 3. & Hieronymi in epiſtola ad Principiam, & aliorum.

Poſtremò, ratione theologica tali; Nulla alia materia quàm chriſma aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc ſacramento efficitur; Ergo chriſma eſt materia huius ſacramenti.

Conſequentia probatur; quia illa ratio cõmuniter à Theologis adferri ſolet quare aliquid ſit materia alicuius ſacramenti, quia nimirum eſt maximè conueniens ad ſignificandum illud quod illo ſacramento efficitur.

Antecedẽs probatur; Oleum enim quod pingue ſit & naturâ ſuâ manet ac diffluat,gratiæ plenitudinẽ exprimit, quæ per Spiritum ſanctũ à Chriſto capite in alios redundat atque effunditur, ſicut vnguẽtum, quod deſcendit in barbam Aaron,vſque in oram veſtimenti eius: vnxit enim Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, ac de plenitudine eius,nos omnes accepimus.

Balſamum cuius odoratus iucũdiſsimus eſt, nihil aliud ſignificat,quàm fideles cùm ſacramento Confirmationis perficiũtur, eam virtutum omnium ſuauitatem effundere, vt illud Apoſtoli queant dicere 2. ad Corinth. 2. cap. *Chriſti bonus odor ſumus Deo.*

Habet prætereà Balſamum eam vim, vt quicquid eo circumlitum fuerit putreſcere non ſinat; quod ad ſacramenti virtutem ſignificãdam valdè accommodatũ eſt;Nam conſtat fidelium animos cęleſti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facilè à ſcelerum contagione defendi poſſe.

Quòd

Quòd Chriſma debeat ab Epiſcopo conſecrari, oſtendi poteſt duobus modis.

Primò, auctoritate Fabiani Pōtificis, ſanctitate & martyrij gloriâ clariſsimi, qui tradit ſaluatorem noſtrum hoc docuiſſe cum chriſmatis cōficiendi rationem in vltima cæna illis commendaret.

Deinde ratione theologica tali: Etenim in pleriſque alijs ſacramentis Chriſtus ita eorum materiam inſtituit, vt ſanctitatem quoque illi tribuerit: non ſolùm enim aquam elementum baptiſmi eſſe voluit, cùm inquit Ioannis 3. cap. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*: Sed cùm ipſe baptizatus eſt, effecit vt ea deinceps, vi ſanctificandi prædita eſſet. Quare dictum eſt a ſancto Chryſoſtomo: *Aqua baptiſmi purgare peccata credentium non poſſet, niſi tacta dominici corporis ſanctificata fuiſſet*: Quoniam igitur Chriſtus hanc confirmationis materiam vſu ipſo & tractatione non ſacrauit, neceſſarium eſt, vt ſanctis & religioſis precationibus conſecretur; Non poteſt autem ad alium ea cōfectio niſi ad Epiſcopum pertinere, qui eiuſdem ſacramenti ordinarius miniſter conſtitutus eſt.

QVAESTIO IIII.

Quæ eſt forma huius Sacramenti?

CONCLVSIO VNICA.

His verbis forma Confirmationis abſoluitur, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Eſt Catech. §. Sed explicanda erit quoque altera pars. Et D. Thom. ſup. art. 4.

Patet primò & potiſsimùm auctoritate catholicæ

eccleſiæ, cuius magiſterio cùm ſemper docti fuerimus, hanc eſſe veram & abſolutam confirmationis formam, nemo catholicus de ea quicquam dubitare poteſt.

Deinde ratione theologica tali: Illa debet cenſeri vera & abſoluta alicuius ſacramenti forma, quæ ea omnia continet, quæ ipſius ſacramenti naturam & ſubſtantiam explicant: Sed tria maximè, in ſacramẽto Confirmationis obſeruãda ſunt; Primum, diuina poteſtas, quæ vt principalis cauſa in ſacramento operatur, quæ ſignificatur per verba illa formæ extremo loco poſita, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: Secundum, robur animi & Spiritus, quod per ſacram vnctionem fidelibus ad ſalutẽ tribuitur, quod ſignificant illa verba quæ in medio ſunt: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*. Tertium, ſignum quo notatur is, qui in certamen chriſtianę militiæ deſcenſurus eſt, quod denotatur per illa verba quæ in principio formæ locantur: *Signo te ſigno crucis*; Ergo eſt bona & abſoluta forma.

MONITIO.

Hoc loco benè notat Catechiſmus, monẽdos eſſe fideles, vt in hoc ſacramento ſuſcipiendo, & maximè cùm forma ab Epiſcopo profertur, ad fidem, pietatẽ & religionem animos excitẽt, ne quid videlicet gratiæ cæleſti, quæ illo temporis momento confertur, impedimenti eſſe poſſit.

QVAESTIO V.

Quis eſt huius Sacramenti miniſter? Et, An præter miniſtrum, patrinus aliquis adhiberi debeat?

CONCLVSIO I.

Solus Epiſcopus, huius ſacramenti cōficiendi ordinariam poteſtatem habet.

Eſt Catech. § Docere etiam paſtores debent, &c. Et D.Thom.ſup..art.11.

Probant hanc concluſionem, primò ſacræ litteræ; Nam in Actis Apoſtolorum cap. 8. legimus, cùm Samaria verbum Dei accepiſſet, Petrum & Ioannem ad eos miſſos eſſe, qui orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum, nondùm enim in quemquā illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant. Quo loco videre licet eum qui baptizauerat, quia tantùm erat Diaconus, poteſtatem confirmandi nullam habuiſſe, ſed munus illud perfectioribus miniſtris, hoc eſt Apoſtolis, reſeruatum fuiſſe.

Patet idem clarè Actuū 19. cap. Quin etiam vbicumque ſacræ ſcripturæ huius ſacramenti mentionē faciunt, idem obſeruari poteſt.

Secundò, clariſsima teſtimonia ſanctorum Patrū atque Pontificum, Vrbani in fine epiſtolæ ad omnes chriſtianos, Euſebij epiſtola 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ, Damaſi epiſtola 4. ad Proſperum & cæteros Epiſcopos Orthodoxos, Innocentij epiſtola 1. cap. 3. Leonis epiſtola 88. ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos. Diuus quoque Auguſtinus in quæſtionibus noui Teſtamēti, q. 42. grauiter queritur de corrupta AEgyptiorum & Alexandrinorum conſuetudine, quorum ſacerdotes audebant Confirmationis ſacramentum adminiſtrare.

Poſtremò, ratio à ſimilitudine ſumpta; Vt enim in extruēdis ædificijs, etſi fabri, qui inferiores miniſtri ſunt, ſementa, calcem, ligna & reliquam materiam

parant atque componunt, abſolutio tamẽ operis ad architectum ſpectat: Ita etiam hoc ſacramentum, quo veluti ſpirituale ædificiũ perficitur, à nullo alio niſi à ſummo ſacerdote adminiſtrari opus erat.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA SECVNDAE PARTI quæſtionis.

IN huius ſacramenti adminiſtratione rectè patrini aduocantur.

Eſt Catech. §. Additur verò etiam patrinus. Et D. Thom. ſup. art. 10.

Docet hanc concluſionem ratio theologica talis; Sacramentum hoc, ſicuti ante oſtẽdimus, confertur homini chriſtiano ad robur pugnæ ſpiritualis; Sed illi qui digladiatoriam dimicationem ſubeunt, alicuius indigent, cuius arte & conſilio doceantur, quibus ictibus & petitionibus, ipſis ſaluis, conficere aduerſarium poſsint; Ergo & fideles cùm ſacramento Confirmationis, quaſi firmiſsimis armis tecti & muniti in ſpirituale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, deſcendunt; ducis ac monitoris indigent.

DIFFICVLTAS VNICA.

An cum patrinis contrahatur aliqua affinitas ſpiritualis, quæ Matrimoniũ impediat & dirimat, ſicuti fit in Baptiſmo?

Dicendum contrahi, Matrimoniumq; impedire ac dirimere, ſed illam ex nouiſsimo Concil. Trid. decreto Seſſ. 24. de reform. Matrimonij cap. 2. confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem ac tenentem non egredi, omniaque inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimenta omninò ſublata eſſe.

QVAESTIO VI.

Quibus miniſtrari debet hoc Sacramentum? Et qua ætate, & qua præparatione?

Sunt tres partes huius quæſtionis, quibus totidẽ concluſionibus reſpondetur.

CONCLVSIO I.

Qvamuis hoc Sacramentum nõ ſit omninò neceſſarium ad ſalutem conſequẽdam, omnibus tamen miniſtrari debet, vtpote cùm ſit omnibus ad ſanctificationem à Deo propoſitum.

Eſt Catech. §. Atque illud imprimis docendum eſt, &c. Et D. Thom. ſup. art. 8.

Indicat hanc concluſionem Lucas, Actuum 2. cap. Vbi admirabilem illam Spiritus ſancti effuſionem deſcribens, ita inquit: *Factus eſt de repente ſonus, tanquã aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum.* Deinde paucis interiectis: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*; Ex ijs enim verbis licet intelligere, quoniam do nus illa, ſanctæ Eccleſiæ figuram & imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis ſacramẽtum, cuius initium ab eo die ductum eſt, pertinere.

Probatur quoq; ratione theologica tali; Illi enim ſacro Chriſmate cõfirmari debent, quibus ſpirituali incremento opus eſt, & qui ad perfectum chriſtianæ religionis habitum perducendi ſunt; Sed omnibus chriſtianis hoc conuenit: Ergo, &c.

Antecedẽs probatur, Vt enim hoc ſpectat natura, vt qui in lucem eduntur adoleſcát, atque ad perfectã ætatem perueniát, etiamſi interdũ quod vult, minus

aſſequatur: ita communis omnium mater eccleſia catholica vehementer optat, vt in ijs, quos per baptiſmum regenerauit, chriſtiani hominis forma perfectè abſoluatur, quòd fit in ſacramento Confirmationis.

CONCLVSIO II.

Qvamuis omnibus poſt Baptiſmum, ſacramentum Confirmationis poßit adminiſtrari, minus tamen hoc expedit fieri antequam pueri rationis vſum habuerint: Quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, vſque ad ſeptimũ certè hoc ſacramentũ differre maximè conuenit.

Eſt Catech. §. In quo illud obſeruandum eſt.

Ratio eſt clara, quia ſacramentum Confirmationis non eſt inſtitutum tanquam ad ſalutem conſequẽdam omninò neceſſarium, ſed vt eius virtute optimè inſtructi & parati inueniremur, cùm nobis pro fide Chriſti pugnandum eſſet, ad quod pugnæ genus non ſunt apti pueri, qui vſu rationis carent.

CONCLVSIO III.

Qvi adulta iam ætate confirmandi ſunt, præter fidem, debent etiam habere contritionem grauiorum peccatorum quæ admiſerunt, illaq; ſacerdoti confiteri, necnon ieiunijs, & alijs pietatis operibus vacare.

Eſt Catech. §. Ex iam dictis illud etiam efficitur, Et D. Thom. ſup. art. 7. ad 2.

Ratio prioris partis eſt: Quia exiſtens in peccato mortali, niſi de illo cõteratur, nõ poteſt cõſequi gratiam, quæ eſt effectus huius ſacramenti.

Ratio poſterioris eſt: quia per opera pietatis, ieiunia & ſimilia, fideles capaciores fiunt gratiarum, quæ in hoc ſacramento conferuntur.

MONITIO.

Hoc loco benè monet Catechiſmus, renouádam eſſe antiquam eccleſię cóſuetudinem, ſecundum quá non niſi ieiuni hoc ſacramentum ſuſcipiebant, quæ perſuaderi poterit, ſi huius ſacramenti dona admirabileſque effectus fidelibus benè explicentur.

QVÆSTIO VII.

Qui ſunt Confirmationis effectus?

CONCLVSIO I.

P*Rimò, Confirmatio cum cæteris ſacramentis hoc habet commune, vt niſi aliquod impedimẽtum inferatur, nouam gratiam tribuat.*

Eſt Catech. §. Itaque paſtores docebunt cófirmationem, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 72. art. 7.

Ratio eſt iſta, quia hactenus demonſtratum eſt omnia ſacraméta eiuſmodi eſſe, vt gratiam quá ſignificant etiam conferant; Cùm ergo Confirmatio ſit ſacramentum, neceſſum eſt dicere, quòd gratiam conferat.

CONCLVSIO II.

E*X hoc primo effectu ſequitur ſecundus, illi etiam cum omnibus ſacramentis communis, nimirum vt peccata condonet ac remittat.*

Eſt Catech. §. Ex quo ſequitur vt peccata etiam condonet, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio quoque eſt clara, quoniam gratiam ſimul cum peccato ne fingere quidem nobis licet.

CONCLVSIO III.

P*Ræter hos duos effectus communes, primus quidem ille* Confir-

Cõfirmationi propriè tribuitur, quòd Baptiſmi gratiã perficit. Eſt Catech.§. Sed præter hæc, &c. Et D. Thom. ſup. ad 1.

Ratio eſt, qui enim per Baptiſmum chriſtiani effecti ſunt, quaſi infantes modò geniti teneritatem adhuc & mollitiem quandam habẽt, & deinde chriſmatis ſacramento, aduerſus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robuſtiores fiunt, & eorum animus in fide omninò confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini noſtri Ieſu chriſti.

Confirmatur ratione, petita ex etymologia nominis, *cõfirmatio*, Ideò enim ſuperius diximus hoc ſacramentum vocari cõfirmationem; quia baptizatus per hoc ſacramẽtum nouæ gratiæ robore fit firmior atque perfectior.

Ex quo ſequitur ſecundũ conc. Trid. Seſſ. 7. can. 1. de confirmatione, hæreticos noſtri temporis non minus imperitè, quàm impiè confirmationis vocabulum ab eo deducere, quod olim qui infantes baptizati erant, cùm iam adulti eſſent, ad Epiſcopũ adducebãtur, vt fidem chriſtianam, quam in baptiſmo ſuſceperant, confirmarent: ita vt ſecundum illos cõfirmatio nihil à catecheſi differre videatur: cuius cõſuetudinis nullum teſtimonium probatum afferri poteſt, ſed ab eo, vt ſtatim factum eſt, nomen rei impoſitum eſt; quod ſacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari cœpit; noſq; ad chriſtianæ ſodalitatis perfectionem adducit.

CONCLVSIO IIII.

SEcundus effectus huic ſacramento proprius eſt, quòd nõ ſolum gratiã baptiſmi perficit atq; auget, ſed quòd illã admirabili quadam ratione auget,

Eſt

Eſt Catech. §. Deinde non auget modò, &c. Et D.Thom. ſup.

Admirabile hoc augmẽtum gratiæ, duobus modis oſtenditur;

Primò, pulcherrima indumenti tranſlatione: Sic enim inquit Dominus Saluator, cùm de hoc ſacramento loqueretur, Lucæ 24. *Sedete in ciuitate, quoadvſque induamini virtute ex alto.* Non eſt difficile intelligere iſtam metaphoram.

Secundò poteſt & illud gratiæ augmentum, ex ijs oſtendi quę Apoſtolis contigerũt, partim in ipſa Domini paſsione, partim poſt Aſcenſionem Chriſti in cælum, miſſo in ipſos Spiritu ſancto: Illi enim ante paſsionem, vel ſub ipſam paſsionis horam adeò infirmi & remiſsi fuerunt; vt cùm Dominus comprehenſus eſt, ſtatim ſe in fugam coniecerint: Petrus verò qui eccleſiæ petra & fundamentum deſignatus erat, & ſummam conſtantiam, excelſiq́ue animi magnitudinem præ ſe tulerat, vnius mulierculæ voce perterritus, ſe Ieſu Chriſti diſcipulum eſſe non ſemel aut iterum, ſed tertiò negauerit, ac poſt reſurrectionem omnes propter metum Iudæorum, incluſi domi ſe continuerint: At verò in die Pentecoſtes tanta Spiritus ſancti virtute omnes repleti ſunt, vt dum euangelium, quod eis commiſſum erat, nõ ſolùm Iudæorum regione, ſed vniuerſo orbe audacter & liberè diſpergerẽt, nihil ſibi fœlicius accidere poſſe exiſtimauerint, quàm quòd digni haberẽtur, qui pro Chriſti nomine, contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent.

CONCLVSIO V.

Tertius effectus proprius huic ſacramẽto, eſt peculiaris character quem imprimit.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Habet præterea Confirmatio,&c. Et D.Thom.ſup.art.7.

Dixi, *peculiaris character*, quia alius eſt character Baptiſmi,alius Cõfirmationis,& alius Ordinis: cùm ad diuerſas actiones & functiones ordinentur, vt facilè colligere licebit ex ijs quæ diximus de ſacramentis in genere,q.8.diff.2.

Ex hoc effectu ſequitur,Confirmationem nulla vnquam ratione iterari poſſe: Quòd etiam in Baptiſmo ſupra obſeruatum eſt, ac de ſacramento Ordinis quoque ſuo loco planiùs exponetur.

QVAESTIO VIII. ET POSTREMA.

Qui ſünt ritus & cæremoniæ Confirmationis?

CONCLVSIO I.

CAEremonia prima eſt,quòd qui confirmatur,in fronte inungitur ſacro Chriſmate.

Eſt Catech. §. Qui igitur confirmatur,&c. Et D. Thom.ſup. art. 9.

Frons vngitur chriſmate, non alia corporis pars; Primò, vt declaretur hac cæremonia eos qui confirmantur, nullo metu aut verecundiâ, quorum affectionum ſigna maximè in fronte ſolent apparere, à libera chriſtiani hominis confeſsione abſterrendos eſſe.

Prætereà,nota illa,quâ chriſtianus à cęteris,veluti miles inſignibus quibuſdam ab alijs diſtinguitur, in illuſtriori corporis parte imprimenda erat.

CONCLVSIO II.

CAEremonia ſecunda in Eccleſia ſolenni religione ſeruata eſt,

uata eſt, vt in Pentecoſte præcipuè hoc ſacramentum admi-niſtretur.

Eſt Catech.§.Sed illud quoque ſolenni religione, &c. Et D.Thom.ſup.art.12.

Ratio huius cæremoniæ eſt,quia hoc maximè die, Apoſtoli Spiritus ſancti virtute roborati ac confirmati ſunt, cuius diuini facti recordatione, fideles admonẽtur, quæ, quantaq́; myſteria in ſacra vnctione cogitandã ſint.

CONCLVSIO III.

CAEremonia tertia eſt, quod cõfirmatus manu leuiter in maxilla ab Epiſcopo ceditur.

Eſt Catech. §. Deinde verò qui iam vnctus, &c. Et D.Thom.ſup.

Ratio cæremoniæ eſt, vt confirmatus meminerit ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia aduerſa inuicto animo, pro Chriſti nomine ferenda.

CONCLVSIO IIII.

POſtrema cæremonia eſt, Confirmato pax datur.

Eſt Catech. §. Poſtremò autem pax, &c. Et D.Thom.ſup.

Significat hæc cæremonia confirmatum gratiæ cæleſtis plenitudinem & pacem quæ exuperat omnẽ ſenſum conſecutum eſſe.

Hæc quoquè de ſacramento Confirmationis ſufficiunt.

CAPI-

CAPITIS III.
ELVCIDATIO.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

ANte explicationem huius Sacramenti, vnum cum catechiſmo diligenter obſeruandum eſt, & ſemper præ oculis habendum; Sacramentum hoc, omnium ſacramentorũ eſſe præſtantiſsimum, nõ ſolùm quia res eſt oĩs ſãctitatis plena, ſed potius quia omnis ſanctitatis auctorẽ & fontem, Chriſtum ſcilicet in ſe continet.

Ex hoc duo alia ſtatim licet colligere; Vnum, eos qui dignè & religiosè eo vtuntur, ſanctiſsimum, & maximè meritorium opus facere. Alterum, eos contrà qui indignè illud tractant vel ſumunt, graue ſcelus committere, iuſtiſsimamque Dei iram in ſe prouocare: Quæ duo poſtrema, ſapienter vidit, & de iis nos admonuit, Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. cap. Nam cum declaraſſet quãto illi ſcelere obſtricti eſſent, qui corpus Domini non diiudicarent, ſtatim ſubiecit; *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiũt multi.*

QVAESTIO I.

An hoc Sacramentum conuenienter fuerit à Chriſto inſtitutum, in vltimâ cœnâ?

CONCLVSIO VNICA.

COnuenienter admodùm Chriſtus ex hoc mundo migraturus ad Patrem, in vltima ſua cœna hoc ſacramentum

mentum inſtituit, in quo ſub ſpeciebus panis & vini, corpus eius & ſanguis continentur.

Eſt Catech. §. Quâ in re opus erit vt Pauli Apoſtoli, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 73. art. 5.

Manifeſta eſt hæc concluſio; Primò, auctoritate Apoſtoli 1. ad Corinth. 11. cap. Quò tradit Chriſtum ipſum æternam Dei ſapientiam, eo modo & eo tempore inſtituiſſe.

Deinde ratione theologica, inſinuata à D. Ioanne cap. 13. ſui Euangelij; Cùm enim Dominus dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, cuius quidem amoris vt diuinum aliquod & ſe dignum pignus daret, ſciens horam iam adueniſſe vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, ne vllo vnquam tempore à ſuis abeſſet, inexplicabili concilio, quod omnem naturæ ordinem & conditionem ſuperat, perfecit. Etenim celebrata cum Diſcipulis agni Paſchalis cœna, vt figura veritati, vmbra corpori cederet, *panem accepit, Deoq; gratias agẽs, benedixit, ac fregit, deditq; Diſcipulis ſuis & dixit: Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem: Similiter & calicem accepit poſtquam cœnauit, dicens, Hic calix nouũ Teſtamentum meum eſt in meo ſanguiné, hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Hanc rationem explicat D. Chryſoſtomus Hom. 41. in Ioanné.

Qui volet videre plures rationes huius conuenientiæ, legat D. Thomam loco iam citato.

QVAESTIO II.

An conuenienter Sacramentum appelletur multis nominibus, & quibus?

CONCLVSIO VNICA.

Quia ſacri ſcriptores huius ſacramenti dignitatē atque excellentiam non potuerunt vno vocabulo ſufficiēter explicare, conuenienter eam pluribus nominibus exprimere conati ſunt, videlicet Euchariſtiæ, ſacrificij, communionis, ſacramenti pacis & charitatis, viatici, cœnæ.

Eſt Catech. §. Huius verò admirabilis Sacramēti dignitatem, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

Explicatur & probatur concluſio. D. Chryſoſtomus Hom. 24. in 1. ad Corinthios, ſuper illud: *Calix benedictionis cui benedicimus*, appellat ſacramentum hoc nomine Euchariſtiæ, quod verbum, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latinè reddere poſſumus.

Vocatur rectè Euchariſtia ſiue bona gratia, tum quia vitam æternam, de qua ſcriptum eſt, ad Rom. 6. *gratia Dei vita æterna*, præſignificat; tum quia Chriſtū Dominū, qui vera gratia atque omnium chariſmatū fons eſt, in ſe continet.

Vocatur etiam conuenienter gratiarum actio;

Primò, quia cùm hanc puriſsimam hoſtiam immolamus, immenſas quotidie gratias pro vniuerſis in nos beneficijs Deo agimus, atque imprimis pro eius gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc ſacramento tribuit.

Deinde, quia cum ijs, quę à Chriſto Domino geſta eſſe in hoc myſterio inſtituēdo legimus, optimè conuenit: Etenim panem accipiens, fregit & gratias egit. Dauid quoque cùm huius myſterij magnitudinem contemplaretur, Pſalm. 110. antequam carmen illud pronunciaret: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe;*

gratiarum

gratiarum actionem præponendam exiſtimauit, cùm inquit: *Confeſsio & magnificentia opus eius.*

Patres Conc. Nyceni can. 14 vocant nomine ſacrificij, de quo nomine poſtmodùm proprio loco latiùs dicemus.

Ireneus lib. 5. cap. 2. D. Chryſoſtomus Hom. 45. in Ioannem, Cyrillus lib. 7. in Ioannem, & Damaſcenus lib. 4. orthod. fidei cap. 14. vocant nomine communionis, quod verbum ex Apoſtolo 1. ad corinth. 10. cap. ſumptum eſſe liquet, vbi ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cōmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt.*

Vocatur rectè communio ſecundum Damaſcenū ſupra, quia chriſto nos copulat, atque eius Deitatis & carnis participes efficit, noſq; inter nos in eodem chriſto conciliat ac coniungit, & veluti vnum corpus coaugmentat.

D. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem vocat ſacramentum pacis ac charitatis. Ratio huius nominis ex præcedentibus facilè intelligi poteſt, & ex ſequentibus fiet magis manifeſta. Ex hoc vocabulo intelligimus quā ſint indigni chriſtiano nomine qui inimicitias exercent: Deinde quanto ſtudio odia, diſsidia, & diſcordias à nobis exterminare debeamus, cùm præſertim quotidiano religionis noſtræ ſacrificio nihil nos ſtudioſius ſeruare, quàm pacem & charitatem profiteamur.

Partes concilij Nyceni can. 12. & cartaginenſis 4. can. 77. & 78. appellant viaticum, tum quia ſpiritualis cibus eſt, quo in huius vitæ peregrinatione ſuſtentamur, tum quia viam nobis ad æternam gloriā & fælicitatem innuit: Quare ex veteri eccleſiæ con-

ſuetudine huc vſque ſeruatur, vt nemo fidelium ſine hoc ſacramento è vita excedat.

D. Cyprianus in lib. de cæna Domini, ac alij quidam vetuſtiſsimi Patres, Apoſtolorum auctoritatem ſecuti, cœnę nomine ſacram Euchariſtiam interdùm vocârunt, quia in illo nouiſsimæ cœnæ ſalutari myſterio, à Chriſto Domino fuit inſtituta.

Non ſequitur tamen ex eo vocabulo, quod volũt noſtri hæretici, à cibo aut potione illam conficere aut ſumere debere aut licere: Quia obſtat cõſuetudo ab ipſiſemet Apoſtolis introducta, cuius teſtis eſt D. Auguſtinus, epiſtola 118. cap. 6. & concilium cartag. 3. can. 29. quâ docemur à ieiunis tantum conficiendam & ſumendam eſſe Euchariſtiam.

QVAESTIO III.

An hoc Sacramentum ſit verum & propriè dictum nouæ legis ſacramentum?

CONCLVSIO VNICA.

Hoc Sacramentum eſt verum & propriè dictum ſacramẽtum, vnum ex illis ſeptem quæ ſancta Eccleſia ſemper religiosè coluit ac venerata eſt.

Eſt catech. §. Docendum eſt verum eſſe Sacramẽtum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 73. art. 1.

Probatur primò auctoritate canonis miſſæ, in quo cùm calicis conſecratio fit, myſterium fidei appellatur: myſterium enim idem eſt quod ſacramentum, vt ante docuimus.

Prætereà, infinitis pœnè ſacrorum ſcriptorum, & DD. Eccleſiæ teſtimonijs, qui hoc inter vera ſacra-

menta numerandum eſſe perpetuò cēſuerunt, quorũ teſtimonia paſsim reperire eſt apud illos qui controuerſias fidei & religionis noſtræ ſcribunt contra hæreticos.

Poſtremò, ex ipſa ratione & natura ſacramenti: Etenim in hoc ſacramento ſunt ſigna externa & ſenſibus ſubiecta, quæ gratiam nō ſolùm ſignificant, ſed etiam efficiunt, ſuntque à Chriſto inſtituta, vt Euāgeliſtæ teſtantur, Lucas 22. cap. & Marcus 14. & Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. cap. Ergo Euchariſtia eſt verum & propriè dictum ſacramentum nouæ legis.

DIFFICVLTAS I.

Cùm multa ſint in hoc Sacramēto, quibus doctores Eccleſiæ tribuunt nomen Sacramenti, vt ſunt Cōſecratio, perceptio, ipſum Domini corpus & ſanguis, qui in Euchariſtia continetur (inquit enim D. Auguſtinus de catechizandis rudibus cap. 16. Sacramentum hoc duobus conſtare, viſibili ſcilicet elemētorum ſpecie, & inuiſibili carne & ſanguine ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque ad eundem modum hoc Sacramentum adorandum eſſe, nimirum, corpus & ſanguinem Domini intelligētes, affirmamus) Cùm inquam tam multa ſint, quibus ſacramenti nomen tribuitur, quod illorum debet dici verũ & propriè dictum ſacramentum?

Dicendum, ſolas panis & vini ſpecies veram & abſolutam huius nominis rationem habere: Cætera quæ modò enumerata ſunt, impropriè & largè tantùm dici ſacramenta, vt cuilibet facilè erit videre ex definitione ſacramentorum nouæ legis.

DIFFICVLTAS II.

Sacramenta nouæ legis, quæ habent materiam ſenſibilem, in vſu materiæ perficiuntur, ſicut Baptiſmus in ablutione, & Confirmatio in Chriſmatis conſignatione; Sed Euchariſtia nō perficitur in vſu materiæ, ſed potius in ipſius materiæ conſe-

cratione; Nam forma huius ſacramenti ſunt verba quæ in conſecratione materiæ pronunciantur, vt poſteà fiet manifeſtum: Quomodo ergo Euchariſtia poteſt dici verum & propriè dictum ſacramentum nouæ legis?

Dicendum, hoc Sacramentum à reliquis ſacramẽtis nouæ legis, aliquo modo differre: Nam cætera ſacramenta materiæ vſu perficiuntur, dum ſcilicet alicui adminiſtrari ea contingit; Baptiſmus enim ſacramenti naturam tùnc adipiſcitur, cum re ipſa homo aquâ abluitur, At verò ad Euchariſtiæ perfectionem ſatis eſt ipſius materiæ conſecratio: Verum enim ſacramentum eſſe non deſinit, quamuis in pixide aſſeruetur. Deinde in conficiendis alijs ſacramentis nulla fit materiæ atque elemẽti in aliam naturam mutatio: Etenim baptiſmi aqua, aut chriſmatis oleũ, cùm illa ſacramenta adminiſtrantur, priorem aquæ & olei naturam non amittũt; In Euchariſtia verò, quod panis & vinum ante conſecrationem erat, confecta cõſecratione verè eſt corporis & ſanguinis Domini ſubſtantia.

Eſt etiam doctrina D. Thom. p. 3. q. 73. art. 1. ad 3.

QVAESTIO IIII.

An hoc Sacramentum ſit vnum vel plura?

CONCLVSIO VNICA.

Licet ſint duo elementa, panis ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ ſacramentum conficitur, non tamen plura, ſed vnum tantum eſt Sacramentum.

Eſt Catech. §. Licet autem duo ſint elementa, &c. Et D. Thom. ſup. art. 2..

Patet primò Eccleſiæ auctoritate; Aliter enim

ſeptena-

ſeptenarius ſacramētorū numerus, quemadmodùm ſemper traditum atque à Concilijs generalibus Lateran. Florent. & Tridentino decretum eſt, conſtare non poſſet.

Deinde ratione theologica: Sacramentum ipſum rei quā ſignificat & efficit conuenire & reſpondere debet; Sed res quæ ſignificatur & efficitur per hoc Sacramentum, eſt vnum corpus myſticum; Ergo eſt vnum Sacramentum, & vnum ſignum.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo hoc Sacramentum poteſt dici vnum, cùm panis & vinū, quibus perficitur, res ſint in indiuiduo, imò, & ſpecie diuerſæ & differentes.

Dicendum, dici vnum, non quia indiuiduum ſit, ſed quia vnius rei ſignificationem habet; Nam quēadmodum cibus & potio, quæ duæ diuerſæ res ſunt ad vnam tantum rem adhibētur, vt ſcilicet vires corporis reficiantur: Ita etiam duas illas diuerſas ſacramenti ſpecies reſpondere conſentaneum fuit, quæ cibum ſpiritualem ſignificarent, quo mentes ſuſtinentur ac recreantur: Quòd ſignificauit Chriſtus ipſe, Ioannis 6. cùm dixit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup.

DIFFICVLTAS II.

Tria ſunt ſecundum omnes, quæ nobis hoc ſacramento ſignificantur; Primum eſt, Chriſti Domini paſſio, quæ iam præterijt; Ipſe enim Chriſtus ſic docuit, Lucæ 22. cùm dixit, hoc facite in meam commemorationem; Et Apoſtolus 1. ad Chorinth. 11. teſtatus eſt, cùm inquit: Quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicē bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat; Alterum eſt, diuina & cæleſtis

gratia, quæ præſens ad animam alendam & conſeruandam hoc Sacramento tribuitur: Quemadmodum enim baptiſmo in nouam vitam gignimur, confirmatione roboramur, vt Sathanæ repugnare, & palam Chriſti nomen profiteri poßimus; Ita Euchariſtiæ ſacramento alimur ac ſuſtetamur: Tertium eſt, quod futurum prænunciat, æternæ iucunditatis & gloriæ fructus, quos in cæleſti patria ex Dei promißione capiemus: Quomodo ergo hoc ſacramentum vnum ſignificatione dici poteſt?

Dicendum, quod hæc tria quæ inſtantis, præteriti & futuri temporis varietate diſtingui perſpicuũ eſt, ſacris myſterijs ita ſignificantur, vt totum ſacramentum, quamuis ex diuerſis ſpeciebus cõſtet, ad ſingula horum declarãda tanquam ad vnius rei ſignificationem referatur.

Conſule etiam D. Thom. ſup. art. 4.

QVAESTIO V.

Quæ eſt materia huius Sacramenti?

CONCLVSIO I.

Dvplex eſt huius ſacramenti materia, Altera, panis ex tritico confectus, de qua primò agetur; De altera poſtea dicendum erit, &c.

Eſt Catech. §. Duplex igitur eſt materia. &c. Et D. Thom. p. 3. q. 74. art. 1.

Probatur ſcripturarum auctoritate; Nam vt docent Euangeliſtæ, Matth. 26. cap. Marcus 14. & Lucas 22. Chriſtus Dominus inſtititurus hoc ſacramentũ, *panem in manibus accepit, benedixit & fregit dicens, Hoc eſt corpus meum.* Deinde apud Ioannem cap. 6. Idem Saluator noſter ſe ipſum panem appellauit, cùm inquit; *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.*

Dicitur

Dicitur in concluſione, *ex tritico confectus*, vt excludantur panes confecti ex quacumque alia materia, puta ex hordæo, ex leguminibus, aut alijs terræ fructibus, ex quibus ſacramentũ confici non poteſt. Nam Saluatoris verba ſatis oſtendunt, panem, vt ſit apta materia huius ſacramenti, ex tritico cõfici oportere: Communi enim loquendi conſuetudine, cùm panis abſolutè dicitur, panis ex tritico intelligitur. Id etiam figurâ veteris teſtamenti ſatis declaratur, Leuitici 24. cap. Vbi præceptum fuit à Deo vt panes propoſitionis, qui hoc ſacramentum figurabant, ex ſimila conficerentur, hoc eſt, ex medulla farinæ triticeæ.

DIFFICVLTAS I.

Qualis debet eſſe panis triticeus, vt ſit materia huius ſacramenti: hoc eſt, An debeat eſſe fermentatus, vel azymus, id eſt, ſine fermento?

Dicendum, quòd ex ijs quæ Chriſtus geſsit, ſatis intelligitur debere eſſe azymum; Chriſtus enim inſtituit & confecit hoc ſacramentum primo die azymorum, id eſt, quo Iudæis nihil panis fermentati domi habere licebat, vt patet Matth. 26. cap. & Marci 14.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd Ioannes cap. 13. dicit Chriſtum confeciſſe & inſtituiſſe hoc ſacramẽtum pridie Paſchæ; Nam primus dies azymorum, de quo ſuprà Euangeliſtæ, incipiebat feria 5. veſperi, quo tẽpore Saluator noſter ſuum Paſcha celebrauit, & hoc ſacramentum confecit atque inſtituit.

Deinde panis azymus magis conuenit, quàm fermentatus; Magis enim repræſentat integritatem & mentis munditiem, quam fideles ad hoc ſacramentũ afferre debent.

Hanc rationem conuenientiæ adfert Apoſtolus 1. ad corinth. 5. cap. cùm inquit: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi: Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

DIFFICVLTAS II.

An ea qualitas panis, hoc eſt, quod ſit ſine fermēto, ſit vſque adeò neceſſaria, vt ſi fermenti aliquid habeat admixtum nō poſſit fieri ſacramentum?

Dicendum, quòd nō ſit ita neceſſaria; Nam vterque panis, & fermentatus, & azymus apta ſunt materia huius ſacramēti, cùm veram & propriam panis rationem habeant.

Peccarēt tamē ſacerdotes qui cōſecrarent in pane fermētato, quia nemini licet priuata auctoritate laudabilē eccleſiæ ritum & conſuetudinem immutare:

Et magis peccarent Latini ſacerdotes, quàm græci, quia latinis ſacerdotibus à Pōtificibus maximis præceptum eſt, vt ex azymo pane tantùm ſacramentum hoc conficiant, quòd non eſt ita præceptum græcis, vt videre eſt lib. 3. Decretalium, de celebratione, cap. Litteras.

DIFFICVLTAS III.

Quàm multa materia panis debet conſecrari?

Dicendum, quòd definitio & quantitas materiæ, ſiue panis, ſiue vini, debet deſumi ex numero eorum qui aut poſſunt, aut debent ſacramentum hoc percipere.

CONCLVSIO II.

Altera materia huius Sacramēti, ſiue altera materiæ pars, eſt vinum ex vitis fructu expreſſum, cui modicū aquæ permiſtum ſit.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Supereſt vt de altera huius ſacramenti materia,&c.Et D. Thom.ſup.

Probatur Eccleſiæ catholicæ auctoritate, quæ ſemper docuit Dominum Saluatorem vino in huius ſacramenti inſtitutione vſum eſſe, cùm ipſe dixerit, Matth. 26. *Non bibam modò de hoc genimine vitis vſque in diem illum*: Quo in loco ſic D. Chryſoſtomus: *De genimine*(inquit) *vitis,quæ certè vinum non aquam produxit.* Ex quibus verbis conuincitur clarè illorum hæreſis qui aquam ſolam in hoc ſacramento adhibendam cenſuerunt.

Dicitur in concluſione, *cui modicum aquæ permiſtū ſit*, quia Eccleſia Dei aquam vino ſemper immiſcuit.

Facit hoc propter tres cauſas; Prima quia id Chriſtus Dominus fecit, vt teſtantur Concilia, Cartaginenſe 3. cān. 24. Tridentinum Seſſ. 22. de ſacrificio miſſæ can. 7. & D. Cyprianus lib. 2. epiſtola 3. ad Cecilium.

Secunda,vt hac aquę permixtione renouetur memoria ſanguinis &aquæ,quę ex chriſti latere in cruce exierunt.

Tertia, propter ſignificationem; Aquæ enim, vt in Apocalypſi cap. 17. legimus, populum deſignant, quare aqua vino admixta fidelis populi cùm chriſto capite coniunctionem ſignificat.

DIFFICVLTAS I.

An mixtio aquæ ſit ita neceſſaria, vt ſine illa ſacramētum conſtare non poſſit?

Dicendum, quòd quamuis multæ & graues cauſę ſint quare aquâ vino miſceri debeat, ſicut iam oſtédimus, ita vt eam ſine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen ſi deſit, ſacramentum conſtare poteſt.

DIFFICVLTAS II.

Quantum aquæ vino miſceri debet?

Dicendum, aquam modicam infundendam, quia eccleſiaſticorum ſcriptorum iudicio & ſententia, aqua illa in vinum ante conſecrationem conuerti debet.

De hac aquę permixtione Honorius Pontifex, lib. 3. decretalium, titulo de miſſarum çelebratione cap. pernicioſus, ita ſcribit: *Pernicioſus in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet quòd maior quantitas aquæ in ſacrificio, quàm vini adhibetur, cùm ſecundum conſuetudinem rationalem eccleſiæ generalis, longè plus vini quàm aquæ adhibendum ſit.*

QVAESTIO VI.

An panis & vinum ſint conueniens materia huius Sacramenti?

CONCLVSIO VNICA.

Conuenienter admodùm Chriſtus panem & vinum inſtituit materiam huius Sacramenti.

Innuatur à Catech. §. Sed iam vidēdum eſt, &c.

Ratio concluſionis eſt clara, quia illa debet cēſeri conueniens materia alicuius ſacramenti, quæ res per illud ſacramentum ſignificatas maximè repreſentat; Sed hoc fit in ſacramento Euchariſtiæ per aquam & vinum: Ergo, &c.

Maior eſt notiſsima in materia ſacramentorum.

Minor probatur à Catechiſmo quadruplici ratione.

Prima; panis enim & vinum Chriſtum nobis ſignificant, vt vera eſt hominum vita: ipſe enim Dominus ait Ioannis 6. cap. *Caro mea verè eſt cibus, &*

ſanguis

ſanguis meus verè eſt potus: Cùm igitur Chriſti Domini corpus vitæ æternę alimentum illis præbeat, qui eius ſacramentum purè & ſanctè ſuſcipiunt, rectè ijs potiſsimum rebus conficitur, quibus hæc vita continetur, vt fideles facile poſsint intelligere pretioſi corporis & ſanguinis Chriſti communione mentē animumque ſatiari.

Secunda, nonnihil etiam hæc ipſa elementa ad id valent, vt eam cognitionem accipiant homines, eſſe in hoc ſacramento corporis & ſanguinis Domini veritatem. Nam cùm panem & vinum in humanā carnem & ſanguinem quotidie vi naturæ immutari animaduertamus, facilius adduci poſſumus hac ſimilitudine, vt credamus panis & vini ſubſtantiam in veram Chriſti carnem, verumque eius ſanguinem cæleſti benedictione conuerti.

Tertia, affert etiam aliquid adiumenti hæc admirabilis elemētorum mutatio ad adumbrādum quod fit in anima. Vt enim, etſi nulla extrinſecus panis & vini mutatio apparet, tamen eorūm ſubſtantia in carnem & ſanguinem Chriſti verè tranſit: Ita etiam quamuis in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renouamur, dum verā vitam in Euchariſtiæ ſacramento accipimus.

Poſtrema, accedit adhæc, quòd cùm vnum Eccleſiæ corpus ex multis membris compoſitum ſit, nulla re magis elucet, quàm panis viniq́ue elementis; Panis enim ex multis granis conficitur, & vinum ex multitudine racemorum exiſtit: Atque ita nos cùm multi ſimus, huius diuini myſterij vinculo arctiſsimè colligari & tanquam vnum corpus effici declarant.

QVAESTIO VII.

Quæ eſt forma huius Sacramenti?

BREVITER prænotandum eſt, prudenter à Paſtoribus coram populo agendum eſſe de forma conſecrationis panis & vini; eos enim qui ſacris initiati non ſunt, niſi aliqua grauis neceſsitas cogat, de hac erudiri neceſſariũ non eſt: nihilominus debet diligenter hæc ſuo loco & tempore doceri, ne eius ignoratione in ſacramẽto conficiendo à ſacerdotibus turpiſsimè peccetur.

Hoc prænotato reſpondetur duabus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Sicuti duplex eſt materia huius ſacramenti: ita etiam duplex eſt forma: Materia panis cõſecratur hac forma, Hoc eſt corpus meum. De conſecratione vini agetur ſequenti concluſione.

Eſt Catech. §. Sequitur nunc vt de forma,&c. Et D. Thom. p.3. q. 78. art.1.&.2.

Probatur primò auctoritate ſacrę ſcripturę; Nam à ſanctis Euangeliſtis Matthæo cap.26. & Luca cap. 22. Itemque ab Apoſtolo, 1. ad Corinth.11. cap. docemur illam eſſe formam: *Hoc eſt corpus meum*; Sic enim ſcriptum eſt ab Apoſtolo: *Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq́; Diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum*: Cùm ergo hac conſecrationis formâ Chriſtus Dominus vſus fuerit, ſequitur eam veram eſſe conſecrationis panis formam.

Deinde teſtimonijs ſanctorum Patrum, & DD. Eccleſiæ

Eccleſiæ, quæ omnia infinitum eſſet enumerare, ſolùm quædam recenſebimus, Ambroſij lib. 4. de Sacramentis cap. 4.& 5. Chryſoſtomi Hom. de proditione Iudæ, Aug. lib. 3. de Trinitate cap. 4, Irenei, lib. 4. contra hæreſes cap. 24. Origenis lib. 3. contra Celſum, Heſichij lib. 6. in Leuiticum cap. 22. Cyrilli Alexandrini in epiſtola ad Coleſyrium Epiſcopum, Tertulliani lib. 4. contra Marcionem, Hieronymi epiſtola 1. ad Heliodorum.

Præterea auctoritate Conc. Florent. in decreto de Sacramentis, quod omnibus patet atque in promptu eſt, & nouiſsimè Tridentini Seſſ. 13. can. 1.

Inſuper idem licet colligere ex verbis ipſius Saluatoris Lucæ 32. quibus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*; Nam quòd Dominus faciendum præcepit, non ſolùm ad id quod egerat, ſed etiam ad ea quæ dixerat referri debet, præſertim cùm verba conſecrationis, non minus efficiendi, quàm ſignificandi vim habeant; Sed Chriſtus accipiens panẽ benedixit dicens, Hoc eſt corpus meum: Ergo ſacerdotes hac verborum forma debent benedicere, id eſt, conſecrare panem.

Poſtremò probatur ratione theologica tali: Illa eſt forma alicuius ſacramenti quâ ſignificatur, quod in illo ſacramẽto efficitur: Sed hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant & declarant id quod fit in hoc ſacramento, videlicet panis conuerſio in verum Dñi noſtri corpus: Ergo ſunt forma huius ſacramenti.

DIFFICVLTAS VNICA.

An omnia verba ex Apoſtolo & Euangeliſtis ſtatim recitata, & in canone Miſſæ recitari ſolita in conſecratione panis, ſint de neceſſitate ſacramenti: ita videlicet vt ſinè illis forma conſecrationis panis, & ſacramentũ cõſtare non poſſit?

Dicendum,

Dicendum, non eſſe ita neceſſaria: quamuis enim Matthæus Euangeliſta verba illa: *Accipite & comedite*, formæ conſecrationis præpoſuerit, illis tamen non materiæ conſecrationem, ſed vſum tantummodò ſignificari perſpicuum eſt: Sic enim debent conſtrui & ordinari verba Euangeliſtarum & Apoſtoli: *Cœnātibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit dicens, Hoc eſt corpus meum: Deinde fregit, deditq; Diſcipulis ſuis & dixit; Accipite & manducate, & hoc facite in meam commemorationem*; Eſt ergo conſecratio facta antequam dicatur, *Accipite & manducate*: Quare etſi à ſacerdote proferri debeant, prout in canone Miſſæ habentur, ad ſacramentum tamen conficiēdum omninò neceſſaria nō ſunt: Quemadmodum etiam illa coniunctio, *enim*, cum dicitur, *Hoc eſt enim corpus meum*, proferri quidē debet, ſed non eſt de neceſsitate ſacramenti, vt patet.

Probatur hæc tota doctrina euidenti ratione; Si enim hæc verba, *Accipite & manducate*, eſſent de neceſsitate ſacramenti; ſequeretur, quòd ſi nemo eſſet in præſentia cui ſacramentum adminiſtrari poſſet, quòd non oporteret, aut etiam non poſſet cōfici ſacramentum, quod falſum eſt; Nam nemini dubitare licet, quin ſacerdos prolatis ex more atque inſtituto ſanctæ Eccleſiæ verbis Dñi, aptam panis materiam verè conſecret, quamuis deinde cōtingit vt nulli vnquam ſacra Euchariſtia adminiſtretur.

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. ad 1.

CONCLVSIO II.

Vinum conſecratur hac forma: Hic eſt calix Sanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei; qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Iam verò quoad vini, &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

Colligitur hæc forma, partim ex verbis ſacræ ſcripturæ, partim ex Apoſtolica traditione.

Nam quòd dicitur, *Hic eſt calix*, à D. Luca cap. 22. & ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. cap. ſcriptum eſt.

Quod verò ſequitur, *Sanguinis mei*, vel *ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remiſsionem peccatorum*, partim à D. Luca 22. partim à D. Matthæo 26. dictum eſt.

Verba autem illa, *æterni*, &, *myſterium fidei*, ſancta traditio catholicæ veritatis interpres, & cuſtos nos docuit.

Quòd tota hæc forma ſit apta & conueniens, probatur eadem ratione, quâ ſuperius probatū eſt formam conſecrationis panis eſſe aptam & conuenientem; Illa enim dicitur conueniens forma alicuius ſacramenti, quæ optimè ſignificat ea, quæ fiunt in illo ſacramento: Sed verba cōſecrationis vini ſuprafata, hoc optimè faciunt; Significant enim vini ſubſtantiam in ſanguinem Domini conuerti: Ergo, &c.

Confirmatur: Nam verba prædicta non ſolùm, quòd iam diximus, cōuerſionem vini in ſanguinem ſignificant, ſed inſuper exprimūt quoſdam effuſi ſanguinis in paſsione Domini admirabiles effectus, qui ad hoc ſacramentum maximè pertinent; quorum vnus eſt, aditus ad æternam hęreditatem, quæ noui atque æterni Teſtamenti iure ad nos venit: Alter eſt, aditus ad Iuſtitiam per myſterium fidei; Ieſum enim per fidem in ſanguine eius propitiatorem Deus propoſuit, vt ipſe ſit iuſtus & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Tertius eſt, remiſsio peccatorum.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm hæc verba conſecrationis vini obſcura ſint & plena myſteriorum, quæritur quid ſingula verba ſignificent, & quæ myſteria in ſe contineant?

Dicendum, quod id quòd primo loco dicitur, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſic intelligendū eſt, Hic eſt ſanguis meus, qui hoc calice continetur.

Rectè & appoſitè, dum ſanguis hic, vt eſt fidelium potus, cōſecratur, calicis fit mentio, neque enim ſanguis huiuſmodi potionē ſatis ſignificare videretur, niſi vaſe aliquo exceptus eſſet.

Sequitur deinde (*noui Teſtamenti*) quod quidem ob eam rem additum eſt, vt intelligeremus Chriſti Domini ſanguinem non figurâ, quemadmodum in veteri Teſtamento fiebat, ſed verè & re ipſa hominibus tradi, quòd ad nouum Teſtamentum pertinet.

Verbum (*æterni*) ad hæreditatem æternam, quæ Chriſti Domini æterni teſtatoris morte, ad nos iure peruenit, referendum eſt.

Quod ſubiungitur (*myſterium fidei*) non rei veritatem excludit, ſed quod occultè latet, atque ab oculorum ſenſu remotiſsimum eſt, certa fide credendū eſſe ſignificat.

Diuerſa hiſce verbis ſententia ſubiecta eſt, ab ea, quam habent, cùm baptiſmo etiam tribuūtur: Nam quod ſanguinem Chriſti ſub vini ſpecie latētem fide cernimus, myſterium fidei dicitur: At Baptiſmus, quoniam vniuerſam chriſtianæ fidei profeſsionem complectitur, à nobis fidei ſacramentum, à Græcis, myſterium fidei, iure appellatur.

Quanquam alia etiam ratione ſanguinē Domini myſterium fidei dicimus, quia ſcilicet in eo plurimū difficul-

difficultatis & negotij humana ratio experitur, cùm nobis fides credendum proponit Chriſtum Dominum verum Dei filium, ſimulque Deum & hominẽ, mortem pro nobis pertuliſſe, quę quidem mors ſanguinis ſacramento deſignatur.

His verbis (*qui effundetur in remiſſionem peccatorũ*) paſsio Domini commemoratur: Sanguis enim ſeparatim conſecratus ad paſsionem Domini, & mortem, & paſsionis genus ante oculos omnium ponendum, magnam vim & momentum habet.

Verba illa quę addũtur (*pro vobis & pro multis*) à Matthæo & Lucá ſingula ſingulis ſumpta ſunt, quæ tamẽ ſancta Eccleſia Spiritu Dei inſtructa ſimul cõiunxit: Pertinent autem ad paſsionis fructum & vtilitatem declarandam: Nam ſi paſsionis Chriſti virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem à Chriſto Saluatore effuſum eſſe fatendum erit: Si verò fructũ quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantùm eam vtilitatẽ peruenire facile intelligemus.

Igitur cùm *pro vobis* dixit, eos qui aderant, vel delectos ex Iudæorum populo, quales erant Diſcipuli, excepto Iuda, quibuſcum loquebatur, ſignificauit.

Cùm addidit, *pro multis*, reliquos electos ex Iudęis aut gentibus intelligi voluit.

Non eſt dictum, *pro vniuerſis*, quia hoc loco tantũmodò de fructibus paſsionis ſermo eſt, quæ ſalutis fructum non omnibus, ſed electis ſolùm attulit.

QVAESTIO VIII.

An verum Chriſti Domini corpus, illud inquam idem, quod natum eſt ex virgine, & in cælis ſedet ad

dexteram patris hoc Sacramento contineatur?

VT ordo ſequentium quęſtionum cum pręcedentibus, & inter ſe facilius animaduertatur, notandum eſt cum Catechiſmo tria eſſe maximè admiranda, quæ in hoc ſacramento verbis conſecrationis efficiũtur, & fide catholica nobis credenda eſſe proponuntur.

Primum eſt, verũ Chriſti Domini corpus, illud idem, quod natum eſt ex Virgine, & in cælis ſedet ad dexteram Patris, hoc ſacramento contineri.

Alterum eſt, nullam in eo elementorum ſubſtãtiam remanere.

Tertium eſt, quod ex vtroque facilè colligitur, accidentia, quæ aut oculis cernũtur, aut alijs ſenſibus percipiuntur, ſine ſubiecto eſſe mira quadam atque inexplicabili ratione. Cùm igitur hactenus de vtraque cõſecrationis forma dictum ſit, ordo poſtulare videtur, vt de his tribus quæ per cõnſecrationem efficiuntur, aliquid dicatur, quod fiet cõſequenter totidem quæſtionibus.

Hoc notato reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO VNICA.

VErum Chriſti Domini corpus, illud idem quod natum eſt ex Virgine, & in cælis ſedet ad dexteram Dei Patris, hoc ſacramento continetur.

Eſt Catech. §. Primùm eſt verum Chriſti Domini corpus, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 75. art. 1.

Probatur primò perſpicuis & claris Saluatoris noſtri verbis, quę corporis eius veritatẽm in ſacrãmẽto demonſtrant: Nam cùm inquit, Marci 14. *Hoc eſt corpus meum,*

pus meum; *Hic eſt ſanguis meus*, nemo qui modò ſanæ mentis ſit, ignorare poteſt, quid nobis intelligẽdum ſit; Vt vir ſanctiſsimus atque doctiſsimus Hylarius lib. 8. de Trinitate Dei, tractans illud Ioannis, *Vt ſit vnum*, præclarè ſcripſerit de veritate carnis & ſanguinis Chriſti, cùm ex ipſius Domini profeſsione & fide noſtra, caro eius verè ſit cibus, relictum non eſſe ambigendi locum.

Secundò, probatur verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. 11. cap. Vbi poſtquam Apoſtolus commemorauit panem & vinum à Domino conſecratum, & ſacra myſteria Apoſtolis ſuis adminiſtrata eſſe, ſubiungit; *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui autem manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*: Si enim, vt quidam hæretici dictitant, nihil aliud in ſacramento venerandum eſſet præter memoriam & ſignum paſsionis Chriſti, quid opus erat Apoſtolo tã grauibus verbis fideles hortari, vt ſe ipſos probarẽt? graui enim illa, *Iudicij*, voce, declarauit Apoſtolus, nefarium aliquod ab eo ſcelus admitti, qui impurè ſumẽs corpus Domini, quod in Euchariſtia occultè latet, ab alio ciborum genere non diſtinguit.

Tertiò cõfirmatur & alijs eiuſdem Apoſtoli verbis in eâdem epiſtolâ eôdẽ cap. quæ ſunt huiuſmodi: *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* Hæc enim verba apertè veram corporis & ſanguinis Chriſti Domini ſubſtantiam demonſtrant.

Quartò, Eccleſiæ catholicæ auctoritate, quæ prædicta loca ſacræ ſcripturæ ſemper ſic interpretata eſt.

Hanc interpretationem oſtendere poſſumus duobus modis.

Primo, producendo teſtimonia & ſententias ſanctorum Patrum & DD. qui ab initio Eccleſię, atque omni deinceps ætate floruerunt, & eccleſiaſticæ doctrinæ optimi teſtes ſunt.

Altero, oſtendendo eos qui contrariam doctrinam aſtruere voluerunt, ab eâdem eccleſiâ ſemper damnatos fuiſſe hæreſeos.

Teſtimonia Patrum & Doctorum Eccleſiæ ſingula adferre, quoniam nimis operoſi laboris eſſet, ſatis erit pauca notare, vel indicare potius, ex quibus iudicium de cæteris facilè fieri poterit.

D. Ambroſius in lib. de ijs qui initiantur myſterijs cap. 9. teſtatur verum Chriſti corpus in hoc ſacramento ſumi, ſicut verum ex Virgine ſumptũ eſt, idque certiſsima fide tenendum eſſe: & lib. 4. de ſacramentis cap. 4. docet ante conſecrationem, panem ibi eſſe; poſt conſecrationem autem, carnem Chriſti.

D. Chryſoſtomus hanc eandem veritatem profitetur & docet, cùm multis alijs in locis, tum verò præcipuè Hom. 60. de ijs qui ſacra myſteria impurè ſumunt; Itemque Hom. 44. & 45. in Ioannem: ſic enim inquit; *Pareamus Deo neque cõtradicamus, licet vel cogitationibus vel oculis noſtris videatur aduerſari id quod dicitur: Ipſius enim ſermo ineffabilis eſt, ſenſus noſter facilè ſeducitur.*

D. Auguſtinus conſentit in omnibus ſuis ſcriptis, & in primis in expoſitione tituli Pſalmi 33. vbi ſic inquit: *Portare ſe in manibus ſuis homini impoßibile eſt, ſoliq; Chriſto conuenire poteſt, ferebatur enim ille in manibus ſuis, quãdo cõmendãs ipſum corpus ſuũ ait: Hoc eſt corpus meum.*

Cyrillus

Cyrillus adeò apertè lib. 4. in Ioannem, veram Domini carnem in hoc ſacramento eſſe affirmat, vt eius verba nullis poſsint fallacibus & captioſis interpretationibus obfuſcari.

Quòd ſi quis alia etiam Patrum teſtimonia requirat, facile erit SS. Dionyſium, Hylarium, Hieronymum, Damaſcenum addere, innumerabileſq; alios, quorum de hac re grauiſsimas ſententias, doctorū & piorum hominum induſtriā & labore in vnum congeſtas, paſsim legimus.

Quòd Eccleſia damnârit hæreſeos omnes illos qui contrariam doctrinam docuerunt, manifeſtum eſt; Nam cùm Berengarius ante quingentos annos negare auſus fuiſſet veritatem corporis & ſanguinis Christi Domini in ſacramento Euchariſtiæ, ibique ſignum tantummodò eſſe aſſereret, ſtatim in Vercellenſi Concilio, quod Leonis 9. auctoritate conuocatum fuerat, omnium Patrum Eccleſiæ ſententijs cōdemnatus fuit, ipſeque hęreſim ſuam anathematizauit: Qui poſtea cùm ad eandem impietatis inſaniā redijſſet, rurſum tribus alijs Concilijs, Turonenſi, & duobus Romanis, quorum alterum Nicolaus 2. Alterum Gregorius 7. Pont. Max. conuocauerant, damnatus fuit.

Eandem poſtea ſententiam Innocentius 3. in cōcilio Lateran. magno cōfirmauit, ac deinceps à Florentino & Trid. concilijs eiuſdem veritatis fides contrà hæreticos noſtri temporis apertiùs declarata ac ſtabilita eſt.

Quintò & poſtremò, probatur hæc eadem veritas, ſymboli Apoſtolici auctoritate: ſiquidem fidelibus dubitare non licet, quin inter cæteros fidei articulos, hujus etiam dogmatis fides comprehendatur,

Nam cùm Dei ſummam omniũ rerum poteſtatem credunt & confitentur, credant etiam neceſſe eſt poteſtatem ei non defuiſſe maximi huius operis efficiendi, quod in Euchariſtiæ ſacramento admiramur & colimus. Deinde cùm credunt ſanctam eccleſiam catholicam, neceſſariò ſequitur vt ſimul credãt eam eſſe quam explicauimus huius ſacramẽti veritatem.

Ex hac concluſione diſcimus duo, quæ omnes fideles mirum in modum afficere debent.

Primum, quanta ſit euangelicæ legis perfectio, cui datum eſt id re ipſa habére quòd ſignis tantùm & figuris Moſaicæ legis tempore adumbratum fuerat. Vt verè diuinitus dictum fuerit à D Dionyſio lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 5. Eccleſiam noſtram mediam eſſe inter ſynagogam, & ſupremam Hieruſalem, ac proptereà vtriuſque participem; Ita vt inter Eccleſiæ perfectionem & cæleſtis gloriæ beatitudinem vnus tantum gradus intereſſe videatur; Hoc enim nobis cum cæleſtibus commune eſt, vt vtrique Chriſtum Deum & hominem præſentem habeamus; Sed quo vno gradu ab eis diſtamus, illi præſentes beata viſione perfruuntur: nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotũ, ſacrorum myſteriorum admirabili integumẽto firma & conſtanti fide veneramur.

Alterum, quanta ſit Saluatoris noſtri ergà ſuos fideles charitas; Eius enim ſummam bonitatẽ maximè decuit, naturam, quam à nobis ſumpſerat, à nobis nunquam ſubtrahere, ſed quantum fieri poſſet, eſſe, verſarique nobiſcum velle, vt illud Prouerb. 31. omni tempore verè & propriè dictum videretur: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*

DIFFICVLTAS I.

An totus Chriſtus in hoc ſacramento contineatur?

Dicen-

Dicendum,totum Chriſtum contineri: id eſt,totam illius diuinitatem & humanitatem; Chriſtus enim eſt nomẽ Dei & hominis, id eſt, perſonæ in qua diuina & humana natura coniuncta eſt: Quare vtrãque ſubſtantiam, & quæ vtriuſque ſubſtantiæ conſequentia ſunt, diuinitatem & totam humanam naturam, quæ ex anima & omnibus corporis partibus & ſanguine etiam conſtat, complectitur: Quæ omnia in hoc ſacramento eſſe credendum eſt; Nam cùm in cælo tota humanitas diuinitati in vna perſona & hypoſtaſi coniuncta ſit, nefas eſt ſuſpicari,corpus quod in ſacramento ineſt, ab eâdem diuinitate ſeiunctum eſſe.

Eſt etiam doctrina D. Thom. p.3.q.76.art.1.

DIFFICVLTAS II.

An eodem modo totus Chriſtus ſub vtraque Sacramenti ſpecie contineatur?

Dicendum,quòd totus Chriſtus ſub vtraque ſpecie contineatur, ſed non eâdem ratione aut virtute; Quędã enim ſunt in hoc ſacramẽto ex vi ſacramenti, quædam ex inſeparabili tantùm concomitantia, vt loquuntur DD. Scholaſtici.

Illud dicitur eſſe in ſacramento ex vi ſacramenti, quod ipſa verborum forma exprimitur,verba enim ſacramentalia id efficiunt tantùm quòd ſignificant. Prolatis ergo ſuper panem verbis ſacramentalibus, *Hoc eſt corpus meũ*, ſub ſpeciebus panis ex vi ſacramẽti eſt tantùm corpus, quia verba ſacramentalia ſignificant tantùm corpus: Ita vt ſi anima & diuinitas eſſent ſeparata à corpore,non eſſent ibi anima & diuinitas, ſed tantũ id quod verba ſignificãt,nimirum,corpus.

Illud dicitur eſſe in ſacramento per concomitantiam, quod illis rebus inſeparabiliter coniunctũ eſt,

quæ formâ exprimuntur; vt prolatis verbis ſacramentalibus ſuper panem, ex vi ſacraméti, ſicuti diximus, eſt tantùm corpus: Verùm quia corpori inſeparabiliter ſanguis, anima, & diuinitas coniuncta ſunt, dicimus ſub ſpeciebus panis non ſolùm eſſe corpus, ſed & ſanguinem, & animam, & diuinitatem, per inſeparabilem videlicet concomitantiam.

Eodem modo dicẽdum eſt totum Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus vini, ſanguinem videlicet ex vi ſacramenti, corpus verò, animam, diuinitatem, & reliqua per inſeparabilem concomitantiam, quia nõ eſt ſanguis viuus ſine corpore, & diuinitas ab humanitate in Chriſto nunquam fuit ſeparata. Ratio totius huius doctrinæ eſt: Quia cùm duo aliqua reipſa inter ſe coniunguntur, vbi vnum ſit, ibi etiam alterum eſſe neceſſe eſt.

Eſt quoq; doctrina D. Thom. p. 3. q. 76. art. 1. & 2.

DIFFICVLTAS III.

Si Chriſtus ſub ſingulis ſpeciebus totus continetur, quid fuit opus vt ſeparatim duæ conſecrationes fierent?

Dicendum, optimo iure Chriſtum ſic inſtituiſſe, propter duas potiſsimùm cauſas.

Prima, vt paſsio Domini, in qua ſanguis à corpore diuiſus eſt, magis referatur, cuius rei cauſa, etiam in forma conſecrationis vini dicitur ſanguis effundi.

Altera, quia maximè cõſentaneum fuit, vt quoniã ſacramento ad alendam animã vtendum nobis erat, tanquam cibus & potus inſtitueretur, ex quibus duobus perfectum corporis alimentum conſtat.

Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup. art. 2. ad 1.

DIFFIC. IIII. ET POSTREMA.

An etiam Chriſtus ſit totus ſub quauis vtriuſque ſpeciei particula?

Dicendum,

Dicendum, Chriſtum nō ſolùm in vtraq; ſpecie, ſed in quauis vtriuſque ſpeciei particula totum contineri; Sic enim D. Auguſtinus ſcriptum reliquit, & citatur de Conſec. diſt. 2. cap. ſinguli, *Singuli* (inquit) *accipiunt Chriſtum Dominū, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrū ſe prabet in ſingulis.*

Præterea id ex Euangeliſtis facilè colligi poteſt, neque enim credēdum eſt, ſingula panis fruſta, propria verborum forma à Domino conſecrata eſſe, ſed eadem ſimul omnem panem, qui ad ſacra myſteria conficienda, atque Apoſtolis diſtribuenda ſatis futurus eſſet: Id quod de calice factum eſſe apparet cùm dixit: *Accipite & diuidite inter vos.*

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. art. 3.

QVAESTIO IX.

An poſt cōſecrationem panis & vini, remaneat in Sacramento panis & vini ſubſtantia, ita videlicet vt in Sacramēto ſimul ſit totus Chriſtus, & ſubſtantia panis & vini?

CONCLVSIO I.

Poſt conſecrationem panis & vini, ſubſtantia panis & vini non remanet, ſed cōuertitur in ſubſtantiā corporis & ſanguinis Domini.

Eſt Catech. §. Nunc verò quòd alterum erat propoſitum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 75. art. 2.

Hęc concluſio etſi maximè ſit admirabilis, neceſſariò tamen ex doctrina præcedentis quæſtionis ſequitur; Si enim eſt verum corpus Chriſti ſub panis & vini ſpecie poſt conſecrationem, omninò neceſſe

eſt,

eſt, cùm ibi antea non eſſet, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipſum côuerſione, fa ctum eſſe: Sed non poteſt fieri vt corpus Chriſti in ſacraméto ſit, quod ex vno in aliu m locum venerit; Ita enim fieret vt à cæli ſedibus abeſſet, quoniam nihil mouetur niſi locũ deſerat à quo mouetur: Creari autem corpus Chriſti minus credibile eſt, ac ne in cogitationem quidem cadere poteſt: Relinquitur ergo vt ſic ſit in ſacramento corpus Domini, quòd panis in ipſum conuertatur, quare nulla panis ſubſtã tia remaneat neceſſe eſt.

Probatur nihilominus concluſio contra hæreticos noſtri temporis, certiſsimis & euidentiſsimis argumentis.

Primò, definitione Conciliorum generalium, Lateranenſis magni, & Florentini, & explicatiùs nouiſsimi Trident. in quo Seſſ. 13. ita definitum eſt: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramẽto remanere ſubſtantiam panis & vini vnà cum corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anathema ſit.*

Secundò, argumentis è ſacra ſcriptura petitis: Ipſe enim Chriſtus in ſacramenti inſtitutione, Matth. 26. ſic dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Sed vocis, *Hoc*, ea vis eſt, vt omnem rei præſentis ſubſtantiam demonſtret: Ergo ſubſtantia panis non remanet; Si enim panis ſubſtantia remaneret, nullo modo verè dici videretur, *Hoc eſt corpus meum.*

Deinde Chriſtus Dominus apud Ioannem 6. cap. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, panem videlicet carnem ſuam vocans: Ac paulò poſt ſubiecit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et rurſus, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; Ergo cùm

cùm tam claris & perſpicuis verbis carnem ſuam panem & verum cibum, ſanguinem item verum potū nominauit, ſatis videtur declarâſſe, nullam in ſacramento ſubſtantiam panis & vini remanere.

Tertiò, probatur ſanctorum Patrum conſentiēte doctrina, D. Ambroſij lib. 4. de Sacramentis cap. 4. vbi ita ſcribit: *Tu forte dicis, Meus panis eſt vſitatus: Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum, Vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti:* Quod quidem, vt facilius probare poſſet, varia deinde affert exempla & ſimilitudines. Et alibi cùm verba illa, Pſalmi 134. interpretatur: *Omnia quæcūque Dominus voluit, fecit, in cælo & in terra; Licet* (inquit) *figura panis & vini videatur, nihil aliud tamen quàm caro & ſanguis Chriſti poſt cōſecrationē credendum eſt.* D. Hylarij. qui, vt habetur de Conſec. diſt. 2. ijſdem ferè verbis eandem ſententiam latiùs exponens, docet: *Quamuis extrinſecus panis & vinum videatur, verè tamen corpus & ſanguinem Domini eſſe.* Et aliorum, quorum teſtimonia apud eos qui controuerſias fidei & religionis noſtræ ſcribunt facilè erit reperire.

CONCLVSIO II.

Conuerſio ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, non eſt ſimilis conuerſionibus naturalibus, ſed eſt omninò ſupernaturalis, ſola diuina virtute effecta.

Eſt Catech. §. Difficillima eſt omninò huius myſterij explicatio. Et D. Thom. p 3. q. 75. art. 4.

Probatur primò, auctoritate Patrum, D. Ambroſij lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Vbi explicans hoc myſterium, *Vides*, inquit, *quam operatorius ſit ſermo Chriſti: Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu vt inciperent eſſe quæ non erant, & in aliud commutentur, mūdus ſcilicet:*

ſcilicet: quantò magis operatorius eſt, vt ſint ea quæ erant, & in aliud commutentur. D. Auguſtini in lib. de catechizandis rudibus: *Fideliter* (inquit) *fatemur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit.* Et Damaſceni lib. 4. de Orthod. fide cap. 14. *Corpus* (inquit) *ſecundum veritatem coniunctum eſt diuinitati, corpus ex ſancta Virgine, non quod ipſum corpus aſſumptum de cælo deſcendat, ſed quod ipſe panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutentur.*

Quòd huiuſmodi conuerſio non ſit ſimilis conuerſionibus naturalibus, ſed omninò ſit ſupernaturalis, ſolâ diuinâ virtute effecta, hac ratione oſtendi poteſt; Quia in conuerſionibus naturalibus, fit tantum conuerſio ſiue mutatio formæ, non totius ſubſtātiæ, vt patet, ſi omnes conuerſiones, quæ per cauſas naturales creatas fiunt, inſpiciamus; Cùm ergo hic nō tātùm formæ, ſed & totius ſubſtantiæ mutatio fiat, neceſſe eſt dicere mutationem hanc ſupernaturalē eſſe à Deo ſolo factam, qui eſt agens ſupernaturalis & infinitæ virtutis.

MONITIO.

Quare benè monet Catechiſmus, quòd & ſancti Patres ſæpiſſimè repetunt, ne fideles curioſiùs inquirant, quo pacto ea mutatio fieri poſſit; Cùm enim, vt dictum eſt, in naturalibus mutationibus, imò in ipſa rerum creatione nullum eius rei exemplum habeamus, nullo modo à nobis intelligi poteſt.

CONCLVSIO III.

HAEc admirabilis conuerſio conuenienter & propriè à ſancta Eccleſia catholica tranſubſtantiatio eſt appellata, quemadmodùm ſacra Tridētina Synodus docet Seſſ. 13. can. 4.

Eſt Cate-

Eſt Catech.5. Hæc itaque admirabilis conuerſio, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4. in o. art.

Probatur & explicatur ratione: Vt enim generatio naturalis quia forma in ea mutatur, rectè & propriè transformatio dici poteſt: Ita etiam quia in ſacramento Euchariſtię tota vnius rei ſubſtantia in totam alterius rei ſubſtantiam tranſit, verbum trãſubſtantiationis rectè & ſapienter à maioribus noſtris inuentum eſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Chriſtus Dominus ſit in hoc Sacramento ſicut in loco?

Hæc difficultas aliàs difficillima, facilè ex ijs quæ tribus concluſionibus præcedentibus diximus, intelligi poteſt.

Dicendum ergo, quòd Chriſtus non eſt in hoc ſacramento ſicut in loco: Ratio eſt clara, quia res dicuntur eſſę in loco non ratione ſubſtãtiæ, ſed ratione quãtitatis, vt ſunt videlicet magnitudine aliqua præditæ: Quia igitur Chriſtus dicitur eſſe in ſacramento non ea ratione qua magnus aut paruus eſt, quod ad quantitatem pertinet, ſed vt ſubſtantia eſt; ſubſtantia enim panis in Chriſti ſubſtantiam, non in magnitudinem aut quantitatem conuertitur, manifeſtum eſt, quod Chriſtus non eſt in ſacramẽto ſicut in loco; Sed quia corpus Domini ſuccedit ſubſtãtiæ panis, ſicuti docent tres præcedentes concluſiones, ſateri oportet ad eundem planè modum Chriſtum in ſacramento eſſe, quo panis ſubſtantia ante conſecrationem erat: Ea verò, vtrùm ſub magna, an ſub parua quantitate eſſet, nihil ad rem omninò pertinebat.

QVAESTIO X.

An accidentia, ſiue ſpecies panis & vini quæ remanent poſt conſecrationem, ſint in ſubiecto, vel ſine ſubiecto?

CONCLVSIO VNICA.

Panis & vini ſpecies, quæ poſt conſecrationem remanent, ſupra omnem naturæ ordinē ſola diuina virtute exiſtunt ſine ſubiecto.

Eſt Catech. §. Tertium reſtat quod in hoc ſacramento maximum, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 77. art. 1. & 2.

Ratio ex pręcedentibus facilè colligi poteſt; Nam cùm anteà demonſtratum ſit, corpus Domini & ſanguinem verè in ſacramento eſſe, ita vt amplius nulla ſubſit panis & vini ſubſtantia, quoniam ea accidētia Chriſti corpori & ſanguini inhęrere non poſſunt, relinquitur vt ſupra omnem naturæ ordinem, ipſa ſe nulla alia re niſi ſuſtentent.

Probari quoque poteſt hæc concluſio perpetuâ & conſtante eccleſiæ doctrinâ, necnon auctoritate eorum teſtimoniorum, quibus antea planum factum eſt, nullam reſidere in Euchariſtia panis & vini ſubſtantiam.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem voluit nobis dari manducandum & bibēdum ſub alienis ſpeciebus, ſcilicet panis & vini?

Dicendum, ſumma Dei prouidentia hoc factum eſſe, idque propter tres potiſsimum cauſas.

Prima,

Prima, ne ab eis ſumendis abhorreremus; Nam tùm à communi hominum natura maximè abhorreat humanę carnis eſcâ, aut ſanguinis potione veſci; magna fuit Chriſti ſapientia, vt ſanctiſsimũ corpus & ſanguinẽ ſuum ſub earum rerũ ſpecie, panis inquam & vini, nobis adminiſtrari voluerit, quarum quotidiano & communi alimento maximè delectamur.

Secunda, vt hac ratione ab infidelium calumnijs liberaremur, quas facilè effugere non poſſemus, ſi Dominũ ſub propria ſpecie comedere videremur.

Poſtrema, propter maius fidei meritum: Nam dũ corpus & ſanguinem Domini ita ſumimus, vt tamẽ, quod verè fit, ſenſibus percipi non poſsit, hoc ad fidẽ in animis noſtris augendam plurimũ valet, quæ quidem, vt Sancti Gregorij ſententiâ peruulgatum eſt, *Ibi nõ habet meritum vbi humana ratio prabet experimentũ.*

MONITIO.

Vnùm hoc loco cum Catechiſmo diligenter obſeruandum eſt, tres præcedentes quæſtiones, ſicut & quaſuis alias ſubtiliores, non niſi magnâ adhibita cautione, pro audientium captu & neceſsitate, explicandas eſſe.

QVAESTIO XI.

Qui ſunt effectus huius Sacramenti?

ANte explicationem huius quęſtionis duo cum Catechiſmo notanda ſunt;

Primum, hanc quæſtionem inter omnes quæ de Euchariſtia traduntur, ſcitu maximè neceſſariam eſſe. Ideò enim, quæ de hoc ſacramento tam multis verbis diſſerũtur, cognoſcẽda

ſunt, vt Euchariſtiæ effectus, ſiue fructus & vtilitates omnes fideles intelligant.

Alterum, immenſas huius ſacramenti vtilitates & fructus non poſſe commodiori ratione explicari, quàm duplici comparatione & ſimilitudine.

Prima, vt Euchariſtia fonti, cætera ſacramenta riuulis comparentur: Euchariſtia enim verè ac neceſſariò fons omnium gratiarum dicenda eſt, cùm fontem ipſum cæleſtem chariſmatum & donorum omniumque ſacramentorum auctorem Chriſtum Dominum, admirabili modo in ſe contineat, à quo tanquam à fonte, alia ſacramenta, quicquid boni & perfectionis habent, deriuantur.

Altera, vt cùm panis & vinũ ſint huius ſacramenti ſymbola; dicatur, quos vſus corpori panis & vinum affert, eos omnes animæ ſaluti meliori quidẽ ac perfectiori ratione, Euchariſtiæ ſacramentum præbere. Neque enim hoc ſacramẽtum in ſubſtantiam noſtrã vt panis & vinum mutatur, ſed nos quodammodò in eius naturam conuertimur: Vt rectè illud D. Auguſtini lib. 7. confeſsionum cap. 10. ad hunc locum trãsferri poſsit: *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

His prænotatis reſpondetur quæſtioni ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRimus *effectus huius ſacramenti eſt, collatio gratiæ.* Eſt Catech. §. Quòd ſi gratia & veritas, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 79. art. 1.

Probatur & explicatur: Nam ſi Chriſtus in hunc mundum viſibiliter veniens contulit mundo vitam

gratiæ

gratiæ, ſecũdùm illud Ioannis 1. cap. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; Ita in homines benè diſpoſitos ſacramentaliter veniens, vitam gratię operatur; Ipſe enim de ſe ipſo dixit, Ioannis 6. cap. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illó*; Nam qui pietatis & religionis ſtudio affecti hoc ſacramentum ſumunt, nemini dubium eſſe debet, quin ita filium Dei in ſe admittant, vt eius corpori tanquam viua membra inſerantur; ſiquidem ſcriptũ eſt: *Qui mãducat me, & ipſe viuet propter me.* Item eodem loco: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quem locum beatus Cyrillus dum interpretatur lib. 4. in Ioannem cap. 12. ſic inquit: *Dei verbum vniens ſeipſum propria carni, fecit ipſam viuificatiuam. Eum ergo decebat miro quodam modo vniri corporibus per ſacrã eius carnem & pretioſum ſanguinem, qua accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & vino.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Iſtud ſacramentum non datur niſi prius exiſtentibus in gratia, Quomodo ergo dicitur conferre gratiam?

Dicendum, quòd dictum eſt Euchariſtiam gratiã conferre, ita intelligendum nõn eſſe, perinde ac neceſſe non ſit, vt qui re ipſa hoc ſacramentum percepturus eſt, gratiã anteà adeptus fuerit; Conſtat enim quòd quemadmodùm mortuis naturale alimentum nihil prodeſt: ita etiam animæ, quæ ſpiritualiter nõ viuit, ſacra myſteria non prodeſſe; Verùm hoc ideò dictum eſt, quoniam prima gratia nemini tribuitur, niſi hoc ipſum ſacramentum deſiderio & voto percipiat, vel per ſe ipſum, ſi ſit adultus, vel per eccleſiam, ſi ſit paruulus.

Deinde etiam, quia gratia præexiſtens augetur; Nam vti corpus cibo naturali non viuit modò, ſed

augetur etiam, guſtuſque nouam quotidie ex eo voluptatem percipit: ita etiam ſacræ Euchariſtiæ cibus non ſolum animam viuificat & ſuſtentat, ſed vires illi addit, efficitque vt Spiritus diuinarum rerum delectatione magis commoueatur.

Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup. ad 1.

CONCLVSIO II.

Effectus ſecundus eſt, leuiorũ peccatorum, quæ venialia dici ſolent, remiſſio.

Eſt Catech. §. Remitti verò Euchariſtia, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 79. art. 4.

Probatur & explicatur: Nam hoc ſacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi neceſſarium eſt corpori ad reſtaurãdum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis: Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia quę diminuunt feruorem charitatis: Ergo, &c. Quare meritò à D. Ambroſio lib. 4. de ſacramentis cap. 6. de hoc cæleſti ſacramento dictum eſt: *Iſte panis quotidianus ſumitur in remediũ quotidianæ infirmitatũ.*

Intelligenda eſt concluſio de ijs peccatis venialibus, quorum ſenſu & delectatione animus non permouetur: Nam illa quibus quis adhuc afficitur, quãdiu ita affectus eſt, remitti non poſſunt.

CONCLVSIO III.

Tertius effectus eſt, præſeruatio à peccatis mortalibus futuris, & impetu tentationum.

Eſt Catech. §. Illa præterea in ſacris myſterijs, &c. Et D. Thom. ſup. art. 6.

Ratio eſt: Siquidem hoc ſacramentum eſt tanquã cæleſte quoddam medicamentum, quod animam

præparat

præparat, ne alicuius mortiferæ perturbationis veneno facilè infici aut corrumpi queat. Cuius ſignum eſt, quòd (teſte Cypriano lib. 1. epiſtola 2. ad Cornelium) cùm olim à tyrannis fideles ad tormenta & cędem propter chriſtiani nominis profeſsioné vulgò raperentur, ne illi fortè dolorum acerbitate victi, in ſalutari certamine deficerent, vetus in eccleſia catholica mos fuit, vt eis ab Epiſcopis Dominici corporis & ſanguinis ſacramenta præberentur.

CONCLVSIO IIII.

Q Vartus effectus eſt, mitigatio fomitis & concupiſcentiæ.

Eſt Catech. §. Sed carnis etiam libidinem, &c. Et D. Thom. ſup. eodem art. ad 3.

Ratio concluſionis eſt; quia licet hoc ſacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, hoc enim baptiſmo tribuitur, diminuit tamē fomitem ex quadam conſequentia, inquantum auget charitatem; quia, ſicut dicit D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum q. 36. *augmentum charitatis eſt, diminutio cupiditatis.*

CONCLVSIO V.

P Oſtremus effectus eſt, vis quædam ad æternam gloriam comparandam.

Eſt Catech. §. Poſtremò vt vno verbo, &c. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Probatur ſcripturâ: Sic enim dicitur, Ioannis 6. cap. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Confirmatur & explicatur: Nam huius ſacramēti gratiâ fideles dùm hanc vitam degunt, ſumma con-

ſcientiæ pace & tranquillitate perfruuntur; Deinde niſi impedimentum præſtent, eius virtute recreati, non ſecus atque Elias 3. Regũ 19. cap. qui in ſubcinericei panis fortitudine ambulauit vſque ad montem Dei Oreb, cùm ex vita emigrãdi tempus aduenit, ad æternam gloriam & beatitudinem aſcendunt.

Vide D. Thom. ſup. ad 1.

QVAESTIO XII.

Quot modis ſumitur hoc Sacrametũ?

CONCLVSIO VNICA.

Tres ſunt huius Sacramenti ſumendi modi; Primus tantùm ſacramentaliter; Secundus tantùm ſpiritualiter; Tertius ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul.

Eſt Catech. §. Neqúe vnã tantùm communicãdi rationem, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 80. art. 1.

Probatur auctoritate Patrum, D. Auguſtini cõtra Donatiſtas ſæpè, Proſperi in lib. Sent. & aliorũ: Deinde Concilij Trid. Seſſ. 13. can. 8. in decreto de ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento.

Illi dicuntur ſumere hoc ſacramentum ſacramentaliter tantùm, qui ſunt in ſtatu peccati mortalis, qui videlicet ſacramenta impuro ore & corde accipere non verentur, quos Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. ait indignè manducare & bibere corpus Domini, & de ijs D. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem ita ſcribit: *Qui non manet in Chriſto & in quo non manet Chriſtus, proculdubio non manducat ſpiritualiter eius carnem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramenta corporis & ſanguinis.*

Qui hoc modo affecti ſacra myſteria accipiunt,

non ſolùm nullum ex his capiunt fructum, ſed ipſo Apoſtolo teſte, iudicium ſibi manducant & bibunt.

Illi dicuntur ſumere hoc ſacramentum ſpiritualiter tantùm, qui deſiderio & voto cæleſtem illum panem comedunt, fide viua incenſi, quæ per dilectionē operatur.

Illi dicuntur ſumere hoc ſacramentum ſacramētaliter & ſpiritualiter ſimul, qui, cùm ex Apoſtoli doctrinâ prius ſe probauerint, veſte nuptiali ornati, ad diuinam hanc menſam accedunt, id eſt, qui in gratiâ conſtituti ſumunt hoc ſacramentum.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid dicendum de illis qui ſatis habent communicare ſpiritualiter, cùm poſſint etiam eſſe parati ad communicandum ſacramentaliter?

Dicendum eſt, eos ſe maximis & cęleſtibus bonis priuare, qui cùm ad corporis Domini ſacramentum etiam ſumendum parati eſſe poſſint, ſatis habent ſpiritu tantùm ſacram communionem accipere; Nam etſi aliquos fructus huius ſacramenti tales conſequātur, certum eſt tamen quòd non omnes, de quibus pręcedente quæſtione diximus.

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. ad 3. ſub finē.

QVAESTIO XIII.

An ſit neceſſaria aliqua præparatio ad hoc ſacramentum ſumendum? Et quæ ſit illa?

CONCLVSIO I.

Anteqnam ad ſacramentalem Euchariſtiæ perceptionem veniatur, maximâ opus eſt præparatione.

 Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Sed iam docendum eſt qua ratione præparatos,&c. Et D.Thom.ſup.art.4.& aliquot ſequentibus.

Probatur Saluatoris noſtri exemplo, Ioannis 13. cap. qui antequam Apoſtolis pretioſi corporis & ſanguinis ſui ſacramenta daret, quamuis iam mundi eſſent, pedes eorum lauit, vt proculdubio declararet omnem diligentiam adhibẽdam eſſe, ne quid nobis ad ſummam animi integritatem& innocẽtiam deſit, cùm ſacra myſteria percepturi ſumus.

CONCLVSIO II.

Qvemadmodùm ſi optimè affecto & præparato animo Eucharistiã aliquis ſumat, ampliſsimis cæleſtis gratiæ muneribus ornatur; Ita contra, ſi imparatus accipiat, non ſolùm nihil commodi, ſed maxima etiam incõmoda & detrimenta accipit.

Eſt Catech. §. Deinde verò fideles intelligant. Et D.Thom.ſup.

Probatur & explicatur: Optimis enim rebus & maximè ſalutaribus hoc proprium eſt, vt ſi in tempore ijs vtamur, vehementer proſint; ſin alieno tempore adhibeantur, perniciem & exitium afferant.

Quare mirandum non eſt, ingẽtia quoque & præclariſsima Dei dona, cùm benè conſtituto animo accipiuntur, ad cæleſtem gloriam conſequendã maximo nobis adiumento eſſe: At verò cùm ijs noſipſos indignos præbemus, ſempiternam mortem afferre.

Confirmatur hoc arcæ Domini exemplo, Exod. 26. Arca enim fœderis quâ nihil præſtãtius populus Iſraeliticus habuit, cui etiam per illam maxima & innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, à Philiſtæis ablata, & indignè tractata, vt narratur 1.Regum

5. cap.

5. cap. ſummam illis peſtẽ & calamitatem cum æterno dedecore coniunctam reportauit.

Confirmatur ſecundò: Nam etiam cibi qui ore accepti in ſtomachum benè affectum illabuntur, corpora alunt & ſuſtentant: Qui verò in ſtomachum vitioſis humoribus plenum infundi ſolent, graues morbos efficiunt.

CONCLVSIO III. QVAE CVM ALIQVOT SEQVENTIBVS RESpondet alteri parti quæſtionis.

PRima præparatio ad dignè ſumendum hoc Sacramentum, eſt, vt fideles diſcernant menſam à menſa, hoc eſt, hanc menſam ſacram ab alijs prophanis, cæleſtem hunc panẽ à communi.

Eſt Catech. 5. Primam itaque illam præparationẽ, &c. Et D. Thom. ſup.

De hac præparatione nos admonuit D. Paulus 1. ad Corinth. 11. cùm reprehẽdens illos qui indignè accedebant ad ſacramentum, dixit eos nõ diiudicaſſe corpus Domini.

Diſcernimus & diiudicamus corpus Domini, cùm certò credimus præſens eſſe corpus & ſanguinẽ Domini, quem in cælo Angeli adorant, ad cuius nutum columnæ cæli contremiſcunt & pauent, cuius gloriã plenum eſt cælum & terra: Nam huius myſterij magnitudinem fide potius venerari oportet, quàm in diſputationibus eius veritatem curioſiùs perquirere.

CONCLVSIO IIII.

ALtera præparatio maximè neceſſaria, eſt, vt vnuſquiſque à ſe ipſo quærat, num pacem cum alijs habeat, num proximos verè atque ex animo diligat.

Eſt Catech. §. Altera verò illa præparatio, &c. Et D. Thom. ſup.

Docet illam Chriſtus, Matth. 5. cap. cùm dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tùc veniens offeres munus tuum.*

CONCLVSIO V.

Deinde conſcientiam noſtram ſcrutari diligenter debemus, ne fortè mortali aliquo peccato contaminati ſimus, cuius pœnitere neceſſe ſit, vt priùs confeſsionis & contritionis medicamento illud eluatur.

Eſt Catech. §. Deinde conſcientiam noſtram, &c.

Definitum eſt enim à ſancta Trid. Synodo Seſſ. 13. can. 7. in decreto de ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento, nemini licere, quem conſcientia peccati mortalis ſtimulet, ſi ſacerdotis facultas data ſit, antequam ſe ſacramentali confeſsione purgârit, quantúuis ſibi contritus eſſe videatur, ſacram Euchariſtiam accipere: Cuius verba quia maximè hanc rem illuſtrant, hic inſerenda ſunt: *Communicare volenti reuocandum eſt in memoriam illud Apoſtoli præceptum, Probet ſeipſum homo: Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſsione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: Quòd à Chriſtianis omnibus, etiam ab ijs ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia confeſſoris. Quòd ſi neceſsitate vrgente ſacerdos abſque præuia confeſsione celebrauerit, quàm primùm confiteatur.*

CONCLVSIO VI.

PRætereà, vt taciti cum animis noſtris cogitemus, quàm indigni ſimus quibus diuinum hoc beneficiũ à Domino tribuatur.

Eſt Catech. §. Præterea taciti, &c.

Hinc antiquiſsimo more pij fideles recepturi hoc ſacramentum illud Centurionis (de quo Chriſtus Matth. 8. teſtatus eſt, ſe non inueniſſe tántam fidem in Iſraël) ex animo dicere ſolét: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.*

CONCLVSIO VII.

VT etiam exquiramus à nobiſipſis, An illud Petri, Ioannis 21. vſurpare nobis liceat, Domine tu ſcis quia amo te, id eſt, videamus an ſimus vera charitate præditi.

Eſt Catech. §. Exquiramus etiam, &c.

Ratio eſt; Quia ille qui ſine veſte nuptiali, id eſt, charitate, conuiuio Domini, quod figura erat conuiuij huius ſacramentalis, accũbit, vt habetur, Matth. 22. iuſſu Domini in tenebricoſum carcerem conijcitur, & ſempiternis pœnis addicitur.

CONCLVSIO VIII.

DEinde vt ieiuni ad ſacram menſam accedamus, Ita vt ſaltem à dimidia antecedentis diei nocte, vſque ad illud temporis pũctum, quo ſacram Euchariſtiam accipimus, nihil omninò comederimus aut biberimus.

Eſt Catech. §. Neque verò animi ſolùm, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 80. art. 8.

Sic præcipit eccleſia, vt habetur de conſec. diſt. 2. cap. Liquido: Et hoc maximè propter honorem ſacramẽti, vt inquit D. Auguſtinus epiſtola 118. cap. 6.

vt ſcilicet ſacramentum hoc intret in os hominis nondum aliquo cibo vel potu infectum.

CONCLVSIO IX.

INſuper vt qui matrimonio iuncti ſunt, aliquot dies à conſortio vxorum abſtineant.

Eſt Catech. §. Poſtulat etiam, &c. Et D. Thom. ſup. art. 7.

Probatur exemplo Dauidis 1. Regum cap. 21. qui cùm panes propoſitionis à ſacerdote accepturus eſſet, purum ſe & pueros ſuos ab vxorum cõſuetudine tres ipſos dies profeſſus eſt.

Sunt & aliæ multæ præparationes, quas pij fideles adhibere ſolent acceſſuri ad hæc myſteria ſumenda, ſed illæ ad has facilè reuocari poterunt.

QVAESTIO XIIII.

An omnes teneantur ſumere hoc Sacramentum? & quo tempore?

CONCLVSIO I.

OMnibus ea lex à Chriſto propoſita eſt, vt ſacram Euchariſtiam accipiant.

Eſt Catech. § Fideles ſæpè admonendi ſunt, &c. Et D. Thom. ſup. art. 11.

Sic enim dicit Chriſtus, Lucæ 22. *Hoc facite in meã commemorationem.* Et Ioannis 6. *Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

CONCLVSIO II.

PRætereà conſtitutum eſt ab Eccleſia, vt qui ſemel ſaltẽ ſingulis annis in Paſcha non communicauerit, ab Eccleſia arceatur.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Prætereà conſtitutum eſt, &c. Et D. Thom. ſup.

Statutum iſtud eccleſiæ habetur in Concil. Lateran. can. 21. & refertur de pœnit. & remiſſ. cap. Omnis vtriuſque ſexus.

DIFFICVLTAS I.

An expediat frequenter ſumere hoc ſacramentum? id eſt, Vtrùm ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus?

Dicẽdum, quòd certa omnibus regula præſcribi non poteſt: Nam, quamuis, ſi reſpicias ipſum ſacramentum, cuius virtus omnibus ſalutaris eſt, vtile ſit omnibus etiam quotidie ipſum ſumere, vt homo illius fructum quotidie percipiat; quia tamen non ſolùm ad virtutem ipſius ſacramenti, ſed etiam ad noſtram præparationem reſpicere debemus; Multi autem ſunt qui ſufficientem præparationem adhibere vel non poſſunt facilè, vel nolunt propter indiſpoſitionem vel animæ, vel corporis, vel alia impedimẽta & diſtractiones; ideo non omnibus indifferenter expedit quotidie ſumere. Vera tamen eſt illa ſancti Auguſtini regula, quæ habetur Serm. 28. de verbis Domini: *Sic viue vt quotidie poſſis ſumere.* Quare adhortandi ſunt fideles ſimul & ad diligentem præparationem, vt hoc ſacramentum dignè ſumere poſſint, & ſimul ad frequentem huius ſacramenti perceptionẽ: Vtrumq; enim ſignificat præfata D. Auguſt. regula, *Sic viue vt quotidie poſſis ſumere.*

Ad frequentem & ferè quotidianam ſumptionẽ inducunt multa argumenta.

Primum ipſa ratio: Nã quemadmodùm corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare neceſſariũ eſt: ita etiam quotidie hoc ſacramento alendæ & nutriendæ animę cura ſuſcipienda eſt: Neque enim minus ſpi-

nus ſpirituali cibo animam, quàm naturali corpus indigere perſpicuum eſt.

Secundum, Conſideratio fructuum & multiplicis vtilitatis, quam adfert hoc ſacramentum, illud dignè ſumentibus.

Tertium, quotidiana ſumptio mānæ: Exod. 16. cap. quę erat figura manducationis huius ſacramēti.

Quartum, Auctoritas Patrum & DD. Eccleſiæ: Neque enim vnius ſancti Patris Auguſtini ea ſententia fuit: *Quotidie peccas? quotidie ſume*, loco ſuperius allegato: ſed ſi quis diligenter attenderit, idem fuit omnium Patrum qui de hac re ſcripſerunt ſenſus; Ignatij in epiſtola ad Epheſios, Baſilij ad Cæſariā, Ambroſij lib. 3. de Sacramentis cap. 4. Chryſoſtomi Hom. 61. ad populum Antiochenum, Cypriani Serm. 6. de oratione dominica, Hieronymi ad Lucinium epiſtola 28. Cyrilli lib. 3. in Ioannem cap. 37.

Poſtremum, praxis & conſuetudo primitiuæ eccleſiæ; Nam fideles tunc temporis quotidie Euchariſtiam accepiſſe, ex Actis Apoſtolorum cap. 2. intelligimus: Omnes (inquit Catechiſmus) qui tunc fidem chriſtianam profitebantur, verâ & ſincerâ charitate ita ardebant, vt cùm ſine intermiſsione orationibus & alijs pietatis officijs vacarēt, quotidie ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda parati inuenirētur. Eam poſtea conſuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus ſanctiſsimus martyr & Pontifex aliqua ex parte renouauit, epiſtola 2. Præcepit enim vt miniſtri, qui miſſæ ſacrificio intereſſent, communicarent, quòd ab Apoſtolis conſtitutū eſſe affirmaret. Diu etiam in Eccleſia ille mos fuit, vt ſacerdos peracto ſacrificio, cùm Euchariſtiam ſumpſiſſet, ad populum qui aderat conuerſus, his verbis, ad ſacram

menſam

menſam fideles inuitaret: *Venite fratres ad communionem*: Tunc qui parati erant, ſummâ cum religione ſacroſancta myſteria ſumebant. Sed cùm deinde charitas & pietatis ſtudiũ adeò refrixiſſet, vt rarò admodùm ad communionem fideles accederẽt, ſancitum eſt à Fabiano Pontifice epiſtola 3 ad Hyl. epiſc. vt ter quotannis: Natali Domini, & Reſurrectione, & Pentecoſte, omnes Euchariſtiam ſumerent. Id quod poſtea à multis Concilijs, præſertim verò ab Agatenſi 1. confirmatum eſt. Ad extremum cùm eò res adducta eſſet, vt non modò ſancta illa & ſalutaris præceptio non ſeruaretur, ſed in plures etiã annos ſacræ Euchariſtiæ communio differretur, Decretum eſt in Lateran. Concilio, vt ſupra diximus, vt ſemel ad minus ſingulis annis in Paſcha fideles omnes ſacrum Dñi corpus acciperent; Qui verò id facere neglexiſſent, eccleſiæ aditu prohiberentur.

DIFFICVLTAS II.

An etiam pueris, qui necdum vſum rationis habent, ſit lex illa poſita?

Dicendum, quòd non, & ratio eſt clara: Nam neque ſacram Euchariſtiam à communi & prophano pane ſcirẽt diſcernere, neque ad eam accipiẽdam pietatem animi & religionem, quæ neceſſaria eſt, afferre.

Deinde, quia hoc eſt alienũ ab inſtitutione Chriſti. Sic enim inquit, Matth. 26. *Accipite & comedite*; Infantes enim non ſunt idonei qui accipiant & comedant.

Non obſtat huic doctrinæ vetus Eccleſiæ conſuetudo, quâ Infantibus etiam ſacram Euchariſtiam præbere ſolebant; Quia tum ob eas cauſas, quæ ante dictæ ſunt, tum ob alias pietati chriſtianæ maximè con-

inè conſentaneas iamdiu eiuſdē eccleſiæ auctoritatē id fieri deſijt.

DIFFICVLTAS III.

Quâ ergo ætate pueris primùm danda eſt Euchariſtia?

Dicendum, quòd nemo hoc meliùs conſtituere poteſt quàm pater & ſacerdos cui illi confitētur peccata; Ad illos enim pertinet explorare & à pueris percunctari, an huius admirabilis ſacramenti cognitionem aliquam acceperint & guſtum habeant.

Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup.

DIFFICVLTAS IIII.

An etiam amentibus ſit danda Euchariſtia?

Dicendum, quòd amentibus, qui tunc à pietatis ſenſu alieni ſunt, ſacramenta minimè dare oportet, quamuis, ſi antequam in inſaniam inciderint, piam & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint, licebit eis in fine vitæ ex Concilij Cartagin. decreto Euchariſtiam adminiſtrare, modò vomitionis vel alterius indignitatis & incommodi periculum nullum timendum ſit.

QVAESTIO XV.

An hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie ab omnibus fidelibus ſit ſumendum?

CONCLVSIO VNICA.

Eccleſiæ lege interdictum eſt, ne quis ſine ipſius eccleſiæ auctoritate præter ſacerdotes corpus Domini in ſacrificio miſſæ conficientes, ſub vtraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat.

Eſt Catech. §. Quòd verò ad communicandi ritū, &c. Et D. Thom. p 3. q. 80. art. 12.

Nam,

Nam, vt à Tridentina Synodo Seſſ. 21. de cõmunione ſub vtraque ſpecie explicatum eſt, quamuis Chriſtus Dominus in vltimâ cœnâ altiſsimum hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit; ex eo tamen non efficitur, hanc legem à Domino Saluatore cõſtitutam eſſe, vt omnibus fidelibus ſacra myſteria ſub vtraque ſpecie admiiſtranda ſint: Etenim idem Dominus noſter, cùm de hoc ſacramento loqueretur, alterius tantùm ſpeciei ſæpius meminit, vt cùm inquit Ioannis 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*: Et, *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*: Et, *Qui mãducat hunc panem viuet in æternum.*

Cauſæ propter quas Eccleſia interdixit Laïcis cõmunionem ſub vtraque ſpecie; ſunt multæ.

I. Quia cauendum erat ne ſanguis Domini in terram funderetur: Quod quidem facilè vitari poſſe non videbatur; ſi in magna populi multitudine eum miniſtrare oportuiſſet.

II. Quia cùm ſacra Euchariſtia ægrotis præſto eſſe debeat, magnoperè timendum erat ne ſi diutius vini ſpecies aſſeruarentur, coaceſſerent.

III. Quia permulti ſunt qui vini ſaporem ac ne odorem quidem perferre vllo modo poſsũt: Quare, ne quod ſalutis ſpiritualis cauſa dãdum eſt, corporis valetudini noceret, prudentiſsimè ſancitum eſt ab eccleſia, vt panis tantummodò ſpeciem fideles acciperent.

IIII. Quia in pluribus prouincijs ſumma vini penuria laboratur, neque id aliunde ſine maximis impenſis, ac nonniſi longiſsimis & difficillimis itineribus conuehi poteſt.

V. Conuellenda erat eorũ hæreſis, qui negabant

ſub vtraque ſpecie totum Chriſtum eſſe, ſed corpus tantùm exangue ſub panis, ſanguinem verò ſub vini ſpecie contineri aſſerebant: Vt igitur fidei catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, ſapiẽtiſsimo conſilio, alterius ſpeciei, hoc eſt, panis cõmunio inducta eſt.

Sunt & aliæ rationes ab ijs collectæ, qui de hoc argumẽto ſcripſerunt, quæ, ſi opus eſſe videbitur, à Catechiſtis & parochis inde adſerri poterunt.

QVAESTIO XVI.

Quis eſt miniſter huius Sacramenti?

CONCLVSIO I.

Solis ſacerdotibus data eſt poteſtas, vt ſacrã Euchariſtiã conficiant, ac fidelibus diſtribuant.

Eſt Catech. §. Itaque tradendum eſt ſolis ſacerdotibus, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 82. art. 1. & 3.

Quòd ſoli ſacerdotes hoc ſacramentum conficere poſsint, ſatis clarum eſt.

Quòd verò ſoli ſacerdotes alijs diſtribuere & diſpenſare poſsint, ſicut quod & ipſi, cùm ſacrificium miſſæ celebrant, ſe communicent, probatur duobus modis.

Primò, Conſuetudine ſemper in eccleſia ſeruata, quam tanquam ab apoſtolica traditione profectam religioſè retinendam eſſe præcipit Synodus Tridẽtina Seſſ. 13. can. 10.

Secundò, Exemplo Chriſti Domini, Matth. 26. & Marci 14. Qui & ſanctiſsimum ſuum corpus conſecrauit, & Apoſtolis ſuis manibus porrexit.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Laici, ſi non poſsint diſtribuere ſacramenta, ſaltem poſsint

poßint ſacra vaſa, lintea, & alia inſtrumenta, quibus illa cõficiuntur, contrectare?

Dicendum, vt quacumq; ratione tanti ſacramẽti dignitati conſuleretur, non modò eius adminiſtrãdi poteſtas ſolis ſacerdotibus data eſt, ſed lege etiã eccleſia vetuit, ne quis, niſi cõſecratus eſſet, ſacra vaſa, lintea, & alia inſtrumenta, quæ ad illius confectionem neceſſaria ſunt, tractare auderet, modò grauis aliqua neceßitas non incideret.

CONCLVSIO II.

QVod anteà de cæteris ſacramentis dictum eſt, ea non minùs ab improbis adminiſtrari, ſi quæ ad illorum perfectam rationem attinent ritè ſeruentur, Idem valet in Euchariſtiæ ſacramento.

Eſt Catech. §. Quanquam quod anteà de cæteris ſacramentis, &c. Et D. Thom. ſup. art. 5.

Ratio eſt clara: Quia ſacramenta non nitũtur merito miniſtrorũ, ſed Chriſti Domini virtute ac poteſtate conficiuntur.

Hæc ſunt quæ de Euchariſtia quatenus Sacramẽtum eſt, explicanda erant; Nunc dicẽdum eſt de Euchariſtia, quatenus eſt Sacrificium.

QVAESTIO XVII.

An Euchariſtia inſtituta ſit à Chriſto, vt eſſet tantùm Sacramentum, an verò etiam vt eſſet ſacrificium? Et: Quomodo differt Euchariſtia vt eſt Sacramentum, ab Euchariſtia vt eſt ſacrificium?

CONCLVSIO I.

EVcharistia duabus de cauſis à Chriſto inſtituta eſt: Altera, vt eſſet cæleſte animæ noſtræ alimentum, quo vitam ſpiritualem tueri & conſeruare poſſemus: Qua ratione appellatur Sacramentum: Altera vt per illam peccata noſtra expiarentur, & cæleſtis pater ſceleribus noſtris ſæpè grauiter offenſus, ab ira ad miſericordiam, à iuſtæ animaduerſionis ſeueritate ad clementiam traduceretur: Qua ratione Euchariſtia appellatur ſacrificium.

Eſt Catech. §. Imprimis igitur docebunt Euchariſtiam, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 87. art. 1.

Probatur & explicatur: Res figurata debet reſpődere figuræ: Sed agnus paſchalis Exod. 12. qui figura fuit & ſimilitudo huius ſacramenti, fuit nő ſolùm ſacramentum, ſed etiam ſacrificium: Ergo, &c.

Minor probatur; Nam agnus paſchalis Deo offerebatur, & ſic habebat rationem ſacrificij, & à populo comedebatur, & ſic habebat rationem ſacramenti.

Deinde, cùm Chriſtus in ſignum ſuæ erga nos ſummæ charitatis ſeipſum eſſet oblaturus Deo Patri in ara crucis, non potuiſſet vllam ergà nos immenſæ ſuæ charitatis ſignificationem illuſtriorem dare, quàm relinquẽdo nobis ſacrificiũ iſtud viſibile, quo cruentum illud ſemel in cruce paulò poſt immolandum inſtauraretur, eiuſque memoria in finem ſeculi quotidie ſumma cum vtilitate ab Eccleſia per vniuerſum orbem diffuſa celebraretur.

CONCLVSIO II.

DIffert plurimum Euchariſtia vt eſt Sacramentum ab Euchariſtia quatenus eſt ſacrificium.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Differunt autem, &c. Et D. Thom. ſup.

Nam Euchariſtia vt eſt ſacramentum, perficitur ſola conſecratione, vt anteà oſtenſum eſt: Vt verò eſt ſacrificiũ, perficitur oblatione: Omnis enim ſacrificij vis in eo eſt vt offeratur.

Deinde, qui vtuntur Euchariſtiâ vt eſt ſacramentum, id eſt, qui ſumunt & comedunt, merentur, & alias vtilitates conſequuntur, quas ſuprà commemorauimus; Sed qui vtũtur Euchariſtiâ vt eſt ſacrificium, id eſt, qui offerunt illam Deo, præter omnes illas vtilitates, etiam Deo ſatisfaciũt; Sicuti Chriſtus in paſſione ſua non ſolùm ſibi & nobis meruit, ſed etiam pro nobis ſatisfecit Deo Patri.

QVAESTIO XVIII.

Quis inſtituit Euchariſtiam vt eſt ſacrificium? Et: An Miſſa ſit propriè dictum ſacrificium?

CONCLVSIO VNICA.

De huius ſacrificij inſtitutione Tridentina Synodus nullum ambigendi locum relinquit; Declarauit enim in vltima cœna à Chriſto Domino inſtitutũ eſſe, ſimulq́; anathemate eos damnauit qui aſſerunt verum & proprium ſacrificium Deo non offerri, aut Offerre nihil aliud eſſe quàm Chriſtum ad manducandum dare.

Eſt Catech. §. Iam de huius ſacrificij inſtitutione, &c.

Verba Concilij Trident. quia maximè hanc concluſionem illuſtrant, hic placuit annectere; Sic igitur habet Seſſ. 22. in doctrina de ſacrificio miſſæ cap. 1. *Igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in arâ*

crucis, morte intercedente, Deo patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificiũ, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repreſentaretur, eiuſq́ memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ quotidie à nobis committuntur, peccatorum, applicaretur, Sacerdotem ſecũdum ordinem Melchiſedech ſe in æternum cõſtitutum declarans; corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumq́ in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam cõmemorationem: Vti ſemper eccleſia catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de AEgypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, nouum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem, nos redemit, eripuitq́ de poteſtate tenebrarum & in regnũ ſuũ tranſtulit. Et infra can. 1. *Si quis dixerit in miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quàm Chriſtum nobis ad manducandum dari, anathema ſit.*

QVAESTIO XIX.

Cui fieri debet ſacrificium?

CONCLVSIO VNICA.

S*oli Deo ſacrificari debet.*

Eſt Catech. §. Nec verò illud prætermiſit, &c.

Proba-

Probatur auctoritate Concilij Trident. loco ſuperius allegato.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd Eccleſia interdũ Miſſas in memoriam & honorem Sanctorum celebrare conſueuerit; Quia non ideò illis ſacrificiũ, ſed vni Deo qui Sanctos immortali gloriâ coronauit, offerri docet.

Huius ſignum eſt, quòd ſacerdos in miſſa non dicit, Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, ſed dum vni ſoli Deo, immolat, gratias illi agit pro beatiſsimorum Martyrum inſigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

QVAESTIO XX.

An doctrina ſacrificij Miſſæ ab Eccleſia Catholica, & nouiſſimè à Cõcilio Trident. tradita, poſſit ſcripturis ſacris probari & oſtendi?

CONCLVSIO VNICA.

Eccleſia Catholica doctrinam ſacrificij miſſæ ſuprafatã hauſit ex ſcripturis tum noui, tum veteris Teſtamẽti. Eſt Catech. §. Hæc autem quæ de huius ſacrificij veritate, &c.

De ſcripturis noui Teſtamenti probatur; Chriſtus enim Dominus extrema illa nocte, hæc ipſa ſacra myſteria Apoſtolis commendans Lucæ 26. *Hoc facite* (inquit) *in meam commemorationem*: Eos enim, quemadmodùm à Synodo Tridentina ſupra definitum eſt, tunc ſacerdotes inſtituit, præcepitque vt ipſi & qui eis in ſacerdotali munere ſucceſſuri eſſent,

corpus eius immolarent & offerrent. Deinde, idem Apoſtoli verba 1. ad Corinth. 10. demonſtrant, cùm ait: *Non poteſtis calicem Domini bibere & dæmoniorum, Nō poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorū.* Vt enim pro Dæmoniorum mēſa, altare, in quo immolabantur, intelligendum eſt; Ita etiam mēſa Domini, nihil aliud niſi altare Domini, in quo ſacrificiū Domini fiebat, ſignificare poteſt.

De ſcripturis veteris Teſtamenti probatur: Sic enim Malachias cap. 1. ſuæ Prophetiæ de hoc ſacrificio loquitur: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomē meum in gentibus, Dicit Dominus exercituum.*

Prætereà teſte D. Auguſtino lib. 10. de Ciuitate Dei cap, 10. & lib. 6. contra Fauſtum cap. 5. hoc ſacrificium nouæ legis, tam ante, quàm poſt latam legem veteris teſtamenti, varijs ſacrificiorum generibus prænunciatum eſt. Etenim bona omnia quę in eis ſacrificijs ſignificabantur, hæc vna victima, tanquam omnium perfectio & abſolutio complexa eſt. Verumtamen nulla in re eius imaginem magis expreſsā videre licet, quàm in Melchiſedech ſacrificio, Geneſ. 24. cap. Ipſe enim Saluator Pſalm. 109. ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum in extrema cœna ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.

QVAESTIO XXI.

An ſacrificium quod in miſſa peragitur ſit aliud à ſacrificio quod in cruce oblatum eſt?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

Vnum & idem eſſe ſacrificium fatemur & haberi debet, quod in miſſa peragitur, & quod in cruce oblatum eſt.

Eſt Catech. § Vnum itaque & idem ſacrificium, &c. Et D.Thom.p 3.q.83.art.1.ad 1.

Ratio eſt: Nam vna eſt & eadem hoſtia, Chriſtus videlicet Dominus noſter qui ſe ipſum in ara crucis ſemel tantummodò cruentum immolauit: Neque enim cruenta & incruenta hoſtia duæ ſunt hoſtiæ, ſed vna tantùm, cuius ſacrificium, poſtquam Dominus ita præcepit, Lucæ 22. *Hoc facite in meam cõmemorationem*, in Euchariſtia quotidie inſtauratur.

Deinde vnus atque idem eſt ſacerdos, videlicet ChriſtusDominus:Nam miniſtri qui ſacrificium faciunt,non ſuam,ſed Chriſti perſonam ſuſcipiũt,cùm eius corpus & ſanguinem conficiunt; patet hoc ex verbis ipſius conſecrationis: Neque enim ſacerdos inquit, Hoc eſt corpus Chriſti,ſed, *Hoc eſt corpus meũ*, perſonam videlicet Chriſti Domini gerens, panis & vini ſubſtantiam in veram corporis eius & ſanguinis ſubſtantiam conuertit.

QVAESTIO XXII.

An ſacrificium Miſſæ ſit tantùm ſacrificium laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificij cruenti in ara crucis peracti: An verò ſit etiam verè propitiatorium ſacrificium?

CONCLVSIO VNICA.

Sacrificium Miſſæ non eſt ſolùm ſacrificium laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificij, quod in cruce factum eſt, ſed eſt verè etiam propitiatorium ſacrificium.

Eſt Catech. §. Quæ cum ita ſint,&c. Et D. Thom. ſup. in o. art.

Probatur auctoritate Concilij Trident. Seſſ. 22. de doctrina ſacrificij Miſſæ can. 3. qui ſic habet: *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationē ſacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſsitatibus offerri debere, anathema ſit.*

Miſſa vocatur ſacrificium propitiatorium, quia per illam Deus peccatis noſtris offenſus, placatus & propitius redditur.

Hinc ſequitur, quòd ſi puro corde, accenſa fide, & intimo ſcelerum noſtrorum dolore affecti, hanc ſanctiſsimam hoſtiam immolemus & offeramus: dubitandum non eſt, quin miſericordiam à Domino cõſecuturi ſimus, & gratiam in auxilio oportuno; huius enim victimæ odore ita delectatur Deus, vt gratiæ & pœnitentiæ donum nobis impartiens, peccata condonet.

Confirmatur hæc doctrina ſolenni illa Eccleſiæ precatione, quæ ſic habet: *Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, toties opus noſtræ ſalutis exercetur*, nimirùm vberrimi illi cruentæ hoſtiæ fructus, per hoc incruentum ſacrificium, ad nos manant.

DIFFICVLTAS I.

An ſacrificium Miſſæ ſoli offerenti & ſumẽti, An verò etiã reliquis fidelibus, pro quibus offertur, proſit?

Dicendum, ſacrificij miſſæ eam vim eſſe, vt non ſolùm immolanti & ſumenti proſit, ſed omnibus etiam fidelibus, ſiue illi nobiſcum in terris viuant, ſiue iam in Domino mortui, nondum planè expiati ſunt.

Confirmatur hæc doctrina Apoſtolorum certiſſima traditione: Iuxta quam non minus vtiliter pro huiuſmodi defunctis offertur, quàm pro viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, ac quibuſuis calamitatibus & anguſtijs.

DIFFICVLTAS II.

An aliquæ miſſa in Eccleſia debeant dici priuatæ?

Dicendum, ex præcedentibus facilè perſpici oẽs miſſas communes eſſe cenſendas & appellandas; vtpotè quæ ad communem omnium fidelium vtilitatem & ſalutem pertinent.

QVAESTIO POSTREMA.

Quare ad ſacrificium Miſſæ tam multi ritus & Cæremoniæ adhibentur?

CONCLVSIO VNICA.

Ritus ſolennes, qui ad ſacrificiũ miſſæ ab eccleſia adhibentur, nõ ſunt ſuperuacanei aut inanes exiſtimãdi, verùm omnes eò ſpectant, vt & tanti ſacrificij maieſtas magis eluceat, & ſalutaribus myſterijs intuendis, ad rerum diuinarum, quæ in eo ſacrificio occultæ ſunt, cõtemplationem fideles excitentur.

Eſt Cate-

Eſt Catech.§.Habet autem hoc ſacrificium multos,&c. Et D. Thom ſup. art. 2. 3. & 4.

Explicatur hæc concluſio à Concil. Trident. Seſſ. 22. in doctrina ſacrificij Miſſæ can. 5. his verbis: *Cùm natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædã ſubmiſſa voce, alia verò elatiore in miſſa pronuntientur inſtituit. Cæremonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaq; id genus multa, ex Apoſtolicâ diſciplinâ & traditione, quò & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Hæc ſufficiunt de Euchariſtia, tum qua ratione eſt Sacramentum, tum qua eſt ſacrificium.

CAPITIS IIII. ELVCIDATIO.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

INITIO huius capitis duo cum Catechiſmo obſeruare oportet.

Primum, Pœnitentiæ ſacramentum à paſtoribus & Catechiſtis accuratè & frequenter fidelibus auditoribus inculcādum eſſe, propter ſummam & quotidianam illius neceſsitatem; Nemo eſt enim qui non pro humanæ naturæ fragilitate & imbecillitate omnibus nota, frequenter in peccata labatur, quæ ſine legitimo huius ſacramenti vſu remitti non poſſunt.

Alterum, quod ex priori non difficulter intelligi poteſt, paſtores & Catechiſtas accuratiùs & frequentiùs agere debere de hoc ſacramento quàm de Baptiſmo; Nā Baptiſmus ſemel tātùm adminiſtratur nec iterari poteſt; Pœnitentiæ verò toties locus datur, eiuſq; repetēdę toties neceſsitas impoſita eſt, quoties poſt Baptiſmū peccare cōtingit: Ita enim à Tridētina Synodo Seſſ. 6. de iuſtificatione can. 14. & Seſſ. 14. de pœnitentia can. 2. dictum eſt: *Sacramentum pœnitentiæ non ſecus lapſis poſt baptiſmum, ac per baptiſmū nondum regeneratis ad ſalutem neceſſarium eſſe*: Vulgataque illa D. Hieronymi ſententia in cap. 3. Eſaiæ ſuper illud: *Ruit & Hieruſalem*, ab omnibus DD. Scholaſticis magnoperè comprobatur, *pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam*; Vt enim cōfractā naui, vnum vitæ ſeruādæ perfugium reliquum eſt, ſi fortè tabulam aliquam

de nau-

de naufragio licet arripere; Ita poſt amiſſam baptiſmi innocentiam, niſi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de eius ſalute deſperandũ eſt.

QVAESTIO I.

Quid ſignificat vox, Pœnitentia?

CONCLVSIO I.

Nonnulli, etiam catholici, abutuntur voce pœnitẽtiæ, & pro ſatisfactione, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ, accipiunt: Alij à fide catholica alieni, putantes pœnitentiam non reſpicere præteritum tempus, ſed tantùm futurum, abutuntur quoque hac voce, & dicunt pœnitentiam nihil aliud ſignificare, quàm nouã vitam, quàm ſcilicet quis in futurum velit ducere.

Eſt Catech. §. Nonnulli etiam pœnitentiam, &c.

CONCLVSIO II.

Vox pœnitentiæ, propriè, vſurpatur tripliciter; Primùm enim pœnitentia dicitur, cùm alicui diſplicet quod ante placuerat, nulla habita ratione huius cogitationis bonúmne, an malũ fuerit. Huiuſmodi pœnitentia ab Apoſtolo 2. ad Corinth. 7. cap. vocatur triſtitia ſecundum ſæculũ, quæ non eſt ſecundũ Deum, neque ſalutẽ, ſed mortẽ operatur. Secundò, Pœnitentia dicitur, cùm quis de ſcelere admiſſo, quod ante placebat, concipit dolorẽ, non tamen Dei, ſed ſui cauſa, id eſt, non propter Deũ, ſed propter ſe, putà quia malè valet, vel quia puniri & caſtigari debet. Tertiò, Pœnitentia dicitur, cùm non ſolùm admiſſi ſceleris causâ intimo animi ſenſu dolemus, vel eius doloris externũ etiam aliquod ſignũ damus, verùm hoc facimus Dei causâ, id eſt, propter Deum offenſum.

Eſt Catech. §. Docendum igitur multiplicem, &c.

CONCLVSIO III.

INter has tres pœnitentiæ propriè dictas ſignificationes magna eſt differentia: Prima enim pœnitentia vitioſa & mala eſt, vt patet ex loco Apoſtoli ſupra allegato: Secunda eſt quadã cõmoti animi & perturbati affectio, quæ ex ſe eſt indifferens, aliquando bona, aliquando mala. Tertia pœnitentia eſt bona & laudabilis, & aliquando eſt virtus tantùm, & Interna pœnitentia vocatur: Aliquãdo virtus & ſacramentũ, & vocatur Externa pœnitentia.

Eſt Catech. §. Verùm inter has pœnitentiæ ſignificationes, &c.

CONCLVSIO IIII.

VOx pœnitentiæ in ſacris ſcripturis Deo interdũm tribuitur, ſed impropriè & per metaphoram.

Eſt Catech. §. Nam cùm in ſacris litteris, &c.

Propriè enim in Deo pœnitentia, ſicut nec quæuis alia paſsio, reperiri non poteſt, ſecũdùm rem, ſed benè ſecundùm certum modum & figuram quandã; quia videlicet Deus in ſcripturis dicitur interdùm ſe habere ad modum hominis pœnitentis, cui cùm diſplicet quòd fecit, vult illud mutare & deſtruere. Sic Geneſ. 6. cap. dicitur pœnituiſſe Deum quòd feciſſet hominem; Et 1. Regum 15. quòd Saül Regem conſtituiſſet: Quia videlicet Deus habuit ſe ad modum hominis pœnitentis, volens mutare hominem & Saül Regem.

Deinceps hoc toto capite, vtemur voce pœnitentiæ in ea ſignificatione, quâ ſupra in tertia concluſione diximus ſignificare vel virtuté tantùm, quę aliter vocatur Interna pœnitentia; vel virtuté & ſacramentum, & vocatur Externa.

Et primò

crucis, morte intercedente, Deo patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilecta ſua ſponſæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificiũ, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repreſentaretur, eiuſq́; memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ quotidie à nobis committuntur, peccatorum, applicaretur, Sacerdotem ſecũdum ordinem Melchiſedech ſe in æternum cõſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumq́; in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam cõmemorationem: Vti ſemper eccleſia catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de AEgypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, nouum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem, nos redemit, eripuitq́; de poteſtate tenebrarum & in regnũ ſuũ tranſtulit. Et infra can. 1. *Si quis dixerit in miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quàm Chriſtum nobis ad manducandum dari, anathema ſit.*

QVAESTIO XIX.

Cui fieri debet ſacrificium?

CONCLVSIO VNICA.

S*oli Deo ſacrificari debet.*

Eſt Catech. §. Nec verò illud prætermiſit, &c.

Proba-

Probatur auctoritate Concilij Trident. loco ſuperius allegato.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd Eccleſia interdũ Miſſas in memoriam & honorem Sanctorum celebrare conſueuerit; Quia non ideò illis ſacrificiũ, ſed vni Deo qui Sanctos immortali gloriâ coronauit, offerri docet.

Huius ſignum eſt, quòd ſacerdos in miſſa non dicit, Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, ſed dum vni ſoli Deo, immolat, gratias illi agit pro beatiſſimorum Martyrum inſigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

QVAESTIO XX.

An doctrina ſacrificij Miſſæ ab Eccleſia Catholica, & nouiſſimè à Cõcilio Trident. tradita, poſſit ſcripturis ſacris probari & oſtendi?

CONCLVSIO VNICA.

Eccleſia Catholica doctrinam ſacrificij miſſæ ſuprafatã hauſit ex ſcripturis tum noui, tum veteris Teſtamẽti. Eſt Catech. §. Hæc autem quæ de huius ſacrificij veritate, &c.

De ſcripturis noui Teſtamenti probatur; Chriſtus enim Dominus extrema illa nocte, hæc ipſa ſacra myſteria Apoſtolis commendans Lucæ 26. *Hoc facite* (inquit) *in meam commemorationem*: Eos enim, quemadmodùm à Synodo Tridentina ſupra definitum eſt, tunc ſacerdotes inſtituit, præcepitque vt ipſi & qui eis in ſacerdotali munere ſucceſſuri eſſent,

CONCLVSIO VNICA.

Vnum & idem eſſe ſacrificium fatemur & haberi debet, quod in miſſa peragitur, & quod in cruce oblatum eſt.

Eſt Catech. § Vnum itaque & idem ſacrificium, &c. Et D.Thom.p 3.q.83.art.1.ad 1.

Ratio eſt: Nam vna eſt & eadem hoſtia, Chriſtus videlicet Dominus noſter qui ſe ipſum in ara crucis ſemel tantummodò cruentum immolauit: Neque enim cruenta & incruenta hoſtia duæ ſunt hoſtiæ, ſed vna tantùm, cuius ſacrificium, poſtquam Dominus ita præcepit, Lucæ 22. *Hoc facite in meam cõmemorationem*, in Euchariſtia quotidie inſtauratur.

Deinde vnus atque idem eſt ſacerdos, videlicet ChriſtusDominus: Nam miniſtri qui ſacrificium faciunt, non ſuam, ſed Chriſti perſonam ſuſcipiũt, cùm eius corpus & ſanguinem conficiunt; patet hoc ex verbis ipſius conſecrationis: Neque enim ſacerdos inquit, Hoc eſt corpus Chriſti, ſed, *Hoc eſt corpus meũ*, perſonam videlicet Chriſti Domini gerens, panis & vini ſubſtantiam in veram corporis eius & ſanguinis ſubſtantiam conuertit.

QVAESTIO XXII.

An ſacrificium Miſſæ ſit tantùm ſacrificium laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificij cruenti in ara crucis peracti: An verò ſit etiam verè propitiatorium ſacrificium?

DIFFICVLTAS I.

An ſacrificium Miſſæ ſoli offerenti & ſumēti, An verò etiā reliquis fidelibus, pro quibus offertur, proſit?

Dicendum, ſacrificij miſſæ eam vim eſſe, vt non ſolùm immolanti & ſumenti proſit, ſed omnibus etiam fidelibus, ſiue illi nobiſcum in terris viuant, ſiue iam in Domino mortui, nondum planè expiati ſunt.

Confirmatur hæc doctrina Apoſtolorum certiſſima traditione: Iuxta quam non minus vtiliter pro huiuſmodi defunctis offertur, quàm pro viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, ac quibuſuis calamitatibus & anguſtijs.

DIFFICVLTAS II.

An aliquæ miſſæ in Eccleſia debeant dici priuatæ?

Dicendum, ex præcedentibus facilè perſpici oēs miſſas communes eſſe cenſendas & appellandas; vtpotè quæ ad communem omnium fidelium vtilitatem & ſalutem pertinent.

QVAESTIO POSTREMA.

Quare ad ſacrificium Miſſæ tam multi ritus & Cæremoniæ adhibentur?

CONCLVSIO VNICA.

Ritus ſolennes, qui ad ſacrificiū miſſæ ab eccleſia adhibentur, nō ſunt ſuperuacanei aut inanes exiſtimādi, verùm omnes eò ſpectant, vt & tanti ſacrificij maieſtas magis eluceat, & ſalutaribus myſterijs intuendis, ad rerum diuinarum, quæ in eo ſacrificio occultæ ſunt, cōtemplationem fideles excitentur.

Eſt Cate-

CAPITIS IIII. ELVCIDATIO.

DE POENITENTIAE Sacramento.

INITIO huius capitis duo cum Catechiſmo obſeruare oportet.

Primum, Pœnitentiæ ſacramentum à paſtoribus & Catechiſtis accuratè & frequenter fidelibus auditoribus inculcādum eſſe, propter ſummam & quotidianam illius neceſsitatem; Nemo eſt enim qui non pro humanæ naturæ fragilitate & imbecillitate omnibus nota, frequenter in peccata labatur, quæ ſine legitimo huius ſacramenti vſu remitti non poſſunt.

Alterum, quod ex priori non difficulter intelligi poteſt, paſtores & Catechiſtas accuratiùs & frequentiùs agere debere de hoc ſacramento quàm de Baptiſmo; Nā Baptiſmus ſemel tātùm adminiſtratur nec iterari poteſt; Pœnitentiæ verò toties locus datur, eiuſq; repetēdę toties neceſsitas impoſita eſt, quoties poſt Baptiſmū peccare cōtingit: Ita enim à Tridētina Synodo Seſſ. 6. de iuſtificatione can. 14. & Seſſ. 14. de pœnitentia can. 2. dictum eſt: *Sacramentum pœnitentiæ non ſecus lapſis poſt baptiſmum, ac per baptiſmū nondum regeneratis ad ſalutem neceſſarium eſſe*: Vulgataque illa D. Hieronymi ſententia in cap. 3. Eſaiæ ſuper illud: *Ruit & Hieruſalem*, ab omnibus DD. Scholaſticis magnoperè comprobatur, *pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam*; Vt enim cōfractā naui, vnum vitæ ſeruādæ perfugium reliquum eſt, ſi fortè tabulam aliquam de nau-

de naufragio licet arripere; Ita poſt amiſſam baptiſmi innocentiam, niſi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de eius ſalute deſperandũ eſt.

QVAESTIO I.

Quid ſignificat vox, Pœnitentia?

CONCLVSIO I.

Nonnulli, etiam catholici, abutuntur voce pœnitẽtiæ, & pro ſatisfactione, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ, accipiunt: Alij à fide catholica alieni, putantes pœnitentiam non reſpicere præteritum tempus, ſed tantùm futurum, abutuntur quoque hac voce, & dicunt pœnitentiam nihil aliud ſignificare, quàm nouã vitam, quàm ſcilicet quis in futurum velit ducere.

Eſt Catech. §. Nonnulli etiam pœnitentiam, &c.

CONCLVSIO II.

Vox pœnitentiæ, propriè, vſurpatur tripliciter; Primùm enim pœnitentia dicitur, cùm alicui diſplicet quod ante placuerat, nulla habita ratione huius cogitationis bonúmne, an malũ fuerit. Huiuſmodi pœnitentia ab Apoſtolo 2. ad Corinth. 7. cap. vocatur triſtitia ſecundum ſæculũ, quæ non eſt ſecundũ Deum, neque ſalutẽ, ſed mortẽ operatur. Secundò, Pœnitentia dicitur, cùm quis de ſcelere admiſſo, quod ante placebat, concipit dolorẽ, non tamen Dei, ſed ſui cauſa, id eſt, non propter Deũ, ſed propter ſe, putà quia malè valet, vel quia puniri & caſtigari debet. Tertiò, Pœnitentia dicitur, cùm non ſolùm admiſſi ſceleris cauſâ intimo animi ſenſu dolemus, vel eius doloris externũ etiam aliquod ſignũ damus, verùm hoc facimus Dei causâ, id eſt, propter Deum offenſum.

Eſt Catech. §. Docendum igitur multiplicem, &c.

CON-

CONCLVSIO III.

INter has tres pœnitentiæ propriè dictas ſignificationes, magna eſt differentia: Prima enim pœnitentia vitioſa & mala eſt, vt patet ex loco Apoſtoli ſupra allegato: Secunda eſt quædã cõmoti animi & perturbati affectio, quæ ex ſe eſt indifferens, aliquando bona, aliquando mala. Tertia pœnitentia eſt bona & laudabilis, & aliquando eſt virtus tantùm, & Interna pœnitentia vocatur: Aliquãdo virtus & ſacramentũ, & vocatur Externa pœnitentia.

Eſt Catech. §. Verùm inter has pœnitentiæ ſignificationes, &c.

CONCLVSIO IIII.

VOx pœnitentia in ſacris ſcripturis Deo interdũm tribuitur, ſed impropriè & per metaphoram.

Eſt Catech. §. Nam cùm in ſacris litteris, &c.

Propriè enim in Deo pœnitentia, ſicut nec quæuis alia paſsio, reperiri non poteſt, ſecũdùm rem, ſed benè ſecundùm certum modum & figuram quandã; quia videlicet Deus in ſcripturis dicitur interdùm ſe habere ad modum hominis pœnitentis, cui cùm diſplicet quòd fecit, vult illud mutare & deſtruere. Sic Geneſ. 6. cap. dicitur pœnituiſſe Deum quòd feciſſet hominem; Et 1. Regum 15. quòd Saül Regem conſtituiſſet: Quia videlicet Deus habuit ſe ad modum hominis pœnitentis, volens mutare hominem & Saül Regem.

Deinceps hoc toto capite, vtemur voce pœnitentiæ in ea ſignificatione, quâ ſupra in tertia concluſione diximus ſignificare vel virtutẽ tantùm, quę aliter vocatur Interna pœnitentia; vel virtutẽ & ſacramentum, & vocatur Externa.

Et primò

enim ad Deum oportet credere quia eſt, ſicut loquitur Apoſtolus ad Hæbreos 11. cap.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo probari poteſt pœnitentiam eſſe virtutem?

Dicendum, probari poſſe pluribus rationibus theologicis.

Primò, Lex non datur niſi de actibus virtutum; Sed pœnitẽtia paſsim in ſcripturis à lege diuina præcipitur; Ergo pœnitentia eſt virtus.

Deinde, Dolere de peccato quando, quomodo, & quatenus oportet, eſt actus virtutis: Sed vt hoc rectè fiat præſtat pœnitentia: Ergo pœnitentia eſt virtus.

Et confirmatur: Interdùm enim euenit vt ex admiſsis ſceleribus minorem quàm par eſt dolorem homines capiant: Quin etiam vt à Salomone ſcriptũ eſt, Prouerb. 2. cap. *Nonnulli ſunt qui cùm malè fecerint lætantur*: Rurſus verò alij ita ſe mœrori animi & ægritudini dedunt, vt de ſalute etiam prorſus deſperent; Qualis fortaſſe Cain videri poteſt, qui ait Geneſ. 4. cap. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*: Et qualis certè Iudas fuit, Matth. 27. qui pœnitentia ductus ſuſpẽdio vitam & animam amiſit. Vt igitur modum in dolore peccatorum tenere poſsimus, pœnitentiæ virtute adiuuamur.

Poſtremò idem probatur ex ijs rebus, quas ſibi tãquam finem proponit is quẽ verè peccati pœnitet. Primò enim propoſitum habet peccatum abolere, omnemque culpam & maculam abſtergere. Secũdò pro ſceleribus admiſsis Deo ſatisfacere. Tertiò in gratiã Dei redire, in cuius offenſionẽ & odium propter peccati fœditatẽ incurrit: Sed hæ tres actiones ſunt actus virtutum: Ergo, &c.

Si quis hoc loco fortè quærat: Quomodo homo Deo ſatisfacere poſsit, cùm ſatisfactio ſit actus iuſtitiæ, quæ propriè inter Deum & homines locum non habet? Dicendum quod etſi inter Deum & homines propria Iuſtitiæ ratio intercedere non poteſt, cùm tam longo interuallo inter ſe diſtent; aliquam tamẽ eſſe iuſtitiam conſtat, cuiuſmodi eſt inter patrem & filium, inter Dominum & ſeruos.

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. præſertim art. 3.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Cauſatur in nobis virtus pœnitentiæ hoc pacto; Primò, Dei miſericordia nos præuenit, cordaq́ nostra ad ſe conuertit: Quod cùm precaretur Propheta Threnorum 15. Conuerte (inquit) nos Domine ad te, & cõuertemur. Deinde, hoc lumine illuſtrati per fidem ad Deũ animo tendimus. Credere enim oportet accedentem ad Deum, vt Apoſtolus teſtatur ad Hæbreos, nimirùm quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt. Præterea, motus timoris conſequitur, & ſuppliciorum acerbitate propoſita animus à peccatis reuocatur. Atque huc videntur ſpectare illa Eſaiæ verba cap. 26. Sicut quæ concipit cùm appropinquauerit ad partum dolẽs clamat in doloribus ſuis; Sic facti ſumus. Huc deinde accedit ſpes impetrandæ à Deo miſericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare conſtituimus. Poſtremò, charitate corda noſtra accendũtur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filijs dignus oritur, atque ita vnum illud veriti, ne qua in re Dei maieſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omninò deſerimus.

Eſt Catech. §. Sed docendum eſt etiam, &c. Et D. Thom. ſup. art. 5.

QVAESTIO III.

Quis eſt effectus virtutis pœnitentiæ?

CONCLVSIO VNICA.

P*Racipuus effectus eſt, collatio regni cælorum.*

Eſt Catech.§. Quæ prorſus diuina & cæleſtis virtus, &c. Et D. Thom. p.3. q. 86. per totam.

Probatur: Huic enim prorſus diuinæ & cęleſti virtuti ſacræ litterę regnum cęlorum promittunt. Nam apud Matth. ſcriptum eſt cap. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*: Et apud Ezechielẽ cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ viuet*: Tum apud eundẽ cap. 37. *Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat*: Quod quidem de æterna & beata vita intelligendum eſſe planè conſtat.

Hæc de Interna pœnitentia, quæ virtus eſt & non ſacramentum, ſufficiunt. Nunc de pœnitentia externa quæ etiam eſt ſacramentum agendum eſt.

QVAESTIO IIII.

Quare Chriſtus Dominus voluit pœnitentiam eſſe Sacramentum?

QVAESTIO hæc præſupponit Chriſtum Dominum inſtituiſſe, vt ad pœnitentiam Internam, quam virtutem eſſe diximus & oſtendimus, adderentur quædam res externæ ſenſibus ſubiectę, quibus declararētur ea quæ interius in anima fierent, In quo ratio ſacramẽti cõſiſtit, ſicuti initio huius ſecundæ partis oſtendimus,

& docuimus. Quærit verò vlteriùs, Quare Chriſtus Dominus ſic inſtituerit, id eſt, Quare voluerit pœnitentiam eſſe ſacramẽtum, cùm peccata nobis potuiſſet remittere per pœnitentiam quæ fuiſſet virtus tãtùm & non ſacramentum, id eſt, non habuiſſet illas res exteriores adiunctas, putà, confeſsionem peccatorum ſacerdoti fiendam, neque abſolutionem vel balem ipſius ſacerdotis?

Quæſtione ſic intellecta vnica concluſione reſpondetur.

CONCLVSIO VNICA.

HVius rei duæ potiſsimum ſunt cauſæ; Prima, vt de remiſsione peccatorum, quam Deus pollicitus eſt, cùm ait Ezechielis 13. cap. Si Impius egerit pœnitentiam, &c. minus dubitare liceret; Vehementer enim pendere animo de interna pœnitentia opus eſſet, maximè cùm de ſuo cuiq; iudicio in ijs quæ agit meritò timendum ſit: Vt igitur Dominus huic noſtræ ſolitudini ſubueniret, pœnitentiæ ſacramentum inſtituit, quo per ſacerdotis abſolutionem peccata nobis remiſſa eſſe confideremus, conſcientiæq; noſtræ, ob fidem quæ ſacramentorum virtuti meritò habenda eſt, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda eſt vox ſacerdotis peccata nobis legitimè condonantis, quàm Chriſti Domini, qui ait paralytico Matth. 9. cap. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Altera cauſa eſt; Quia cùm nemo ſalutem niſi per Chriſtum eiuſq; paſsionis beneficio conſequi poſsit, conſentaneum nobiſq; vtiliſsimum fuit eiuſmodi ſacramentũ inſtitui cuius vi & efficientia Chriſti ſanguis ad nos defluens, peccata poſt baptiſmum admiſſa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi vni Saluatori noſtro acceptũ referre profiteremur.

Eſt Catech. §. De externa verò pœnitentia docendum eſt, &c.

QVAESTIO V.

Quibus argumentis oſtēdi poteſt pœnitentiam externam eſſe Sacramentum nouæ legis?

CONCLVSIO VNICA.

His potiſsimum duobus argumentis oſtendi poteſt pœnitentiam eſſe ſacramentum nouæ legis; Primo, Vt enim baptiſmus ſacramētum eſt, quia peccata omnia, & præſertim quod origine contractum fuit, delet; eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia poſt baptiſmum voluntate vel actione ſuſcepta tollit, verè & propriè ſacramentum dicendū eſt. Altero, Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ: Sed ea quæ extrinſecus in pœnitentia tum à pœnitente, tum à ſacerdote fiunt, ſunt ſigna eorum quæ interius in anima fiunt: Peccator enim quem pœnitet, rerum & verborum notis planè exprimit ſe animum à peccati turpitudine abduxiſſe; Itemq́ ex ijs quæ à ſacerdote geruntur & dicuntur, miſericordiam Dei peccata ipſa remittentis facilè cognoſcimus: Ergo pœnitētia externa eſt ſacramentum.

Eſt Catech. §. Quod verò pœnitentia.

Probatur apertè verbis Saluatoris Matth. 16. cap. quibus ait: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Et, *Quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*; Abſolutio enim, ſacerdotis verbis enunciata, remiſsionē illam peccatorum ſignat, quam in anima efficit.

QVAESTIO VI.

An pœnitentia ſit Sacramentum ex numero eorum quæ iterari poſſunt?

CONCLVSIO VNICA.

P*OEnitentia eſt Sacramentum ex numero eorum quæ iterari poſſunt.*

Eſt Catech. §. Neque verò ſolùm fideles docendi ſunt, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 84. art. 10.

Probatur auctoritate ſacræ ſcripturæ, Matth. 18. cap. Quęrenti enim Petro, Num ſepties venia peccati danda eſſet, Dominus reſpondit, *Non dico tibi vſque ſepties ſed vſque ſeptuagies ſepties.*

MONITIO.

Hæc concluſio diligenter tractanda & inculcāda eſt apud illos, qui de ſumma Dei bonitate & clemētia diffidere videntur, vt illorum animi confirmentur, atque ad ſpem diuinæ gratiæ erigantur: Quòd quidem facilè fiet tum huius loci, & aliorum tractatione, qui in ſacris litteris permulti occurrunt, tum verò ijs rationibus & argumentis, quę ex ſanctorum, Chryſoſtomi lib de Lapſis, & Ambroſij libris de pœnitentia, petere licebit.

QVAESTIO VII.

Quæ eſt materia huius Sacramenti?

CONCLVSIO VNICA.

S*Acramenti pœnitentiæ quaſi materia ſunt actus pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio, & Satiſfactio.*

Eſt Catech. §. Iam quoniam nihil fideli populo notius eſſe debet, &c. Et D. Thom. p. 3. q. 90. per totam.

Probatur auctoritate Concilij Trident. Seſſ. 14. de pœnitentia, vbi can. 4. ſic habet: *Si quis negauerit ad inte-*

ad integram & perfectam remiſsionem peccatorum requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti pœnitẽtiæ, videlicet, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionẽ, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.

Hi tres actus pœnitentis benè vocantur à Concilio partes pœnitentiæ, quia ex Dei inſtitutione requiruntur in pœnitente ad integritatem ſacramenti, & ad conſequendam plenam & perfectam peccatorum remiſsionem.

Vocantur quaſi materia, non quia verè materiæ rationẽ non habeant, ſed quia eius generis materia non ſunt quæ extrinſecùs adhibentur, vt aqua in Baptiſmo, & chriſma in Confirmatione: Differt enim hoc ſacramentum ab alijs, quod aliorum ſacramentorum materia, eſt res aliqua naturalis, vel arte effecta; Sacramenti verò pœnitentiæ quaſi materia ſunt, vt ante dictum eſt, actus pœnitentis, Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, qui ſunt alterius planè generis, vt patet.

Non obſtat concluſioni, quod à quibuſdam DD. Scholaſt. dictum eſt, peccata ipſa huius ſacramẽti materiam eſſe; Quia cõcluſio intelligit actus prædictos propinquam eſſe materiam pœnitentiæ: Quòd autẽ ab alijs DD. dicitur, peccata eſſe materiam, intelligẽdum eſt de remota; Sunt enim peccata materia vel obiectum, circa quod verſantur Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, quæ ſunt propinqua materia ſacramenti pœnitentiæ.

Vide D. Thom. ſup. art. 1. ad 3.

QVAESTIO VIII.

Quæ eſt forma huius Sacramenti?

in veteri lege ſacerdotes teſtimonio ſuo aliquem à leprâ liberatum eſſe dumtaxat renunciabant, Ita nûc in Eccleſia ea tantùm poteſtas ſacerdotibus facta eſt, vt aliquem à peccatis eſſe abſolutum declarẽt, ſed vt verè abſoluant.

Neque obſtat huic doctrinæ, quòd ſolus Deus dicitur remittere peccata; Quia ſolus Deus quidẽ tanquam gratiæ & iuſtitiæ auctor ac parens peccata remittit, nihilominus ſacerdotes peccata etiam remittunt tanquam Dei miniſtri, inquãtum videlicet verba ſacerdotis in hoc ſacramento inſtrumentaliter operantur virtute diuina, ſicut & in alijs ſacramẽtis.

DIFFICVLTAS III.

An his verbis formæ: Ego te abſoluo, nihil debeat adijci?

Adduntur ex more Eccleſiæ complures preces; Illis enim verbis præmittuntur hæ orationes: *Miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. Et, *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem*, &c.

Poſtponitur hæc: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti & merita beatæ Mariæ Virginis*, &c.

Illæ orationes non ſunt ad formam neceſſariæ; Adduntur tamẽ ab Eccleſia, vt ea remoueantur, quæ ſacramenti vim & efficientiam illius culpâ cui adminiſtratur, impedire poſſent.

Eſt etiam doctrina D.Thom. ſup. art. 3. ad 1.

QVAETSIO IX.

Súntne ritus & Cæremoniæ à pœnitẽte in hoc Sacramento ſuſcipiendo obſeruandæ?

CONCLVSIO VNICA.

IN hoc Sacramento ſuſcipiendo pœnitens duo obſeruare

 debet.

debet. Primùm, Se humili ac demiſſo animo ad pedes ſacerdotis deijcere debet; vt cùm tam humiliter ſe gerit, facilè poſsit agnoſcere ſuperbiæ radices euellendas eſſe, à qua omnia ſcelera quæ deflet, ortum habuerint & enata ſint. In ſacerdote autem qui in eum legitimus Iudex ſedet, Chriſti Domini perſonam & poteſtatem veneretur. Sacerdos enim, quemadmodum in alijs, ita in pœnitentiæ ſacramento adminiſtrādo Chriſti munus exequitur. Secundū, Pœnitens ita peccata ſua enumerare debet, vt ſe maxima & acerbiſsima animaduerſione dignum eſſe fateatur, ſupplexq; delictorum veniam petat.

Eſt Catech. §. Diligenter verò ritus etiam qui ad hoc Sacramentum adhibentur, &c.

Probatur teſtimonio D. Dionyſij Areopag. in epiſtola ad Demophylum, & Tertulliani lib. de Pœnitentia cap. 9. & D. Auguſt. Hom. 49. de tempore, & aliorum.

QVAESTIO X.

Qui ſunt effectus ſacramenti Pœnitentiæ?

CONCLVSIO I.

PRimus eſt, peccatorum quantumuis grauium & nefariórum remiſſio.

Eſt Catech. § Nullum enim tam graue & nefariū ſcelus, &c. Et D. Thom. p 3. q. 86. art. 1.

Docent hanc expreſsis verbis paſsim ſacræ ſcripturæ, Ezechielis 18. cap. Dominus ita inquit: *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam vitâ viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor.* Et 1. Ioannis 1. cap.

Si con-

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra: Et paulò poſt, *Si quis*(inquit)*peccauerit*(nullum videlicet peccati genus excipiens)*aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

DIFFICVLTAS I.

Quomodo ergo verum eſt, quòd in ſcripturis legimus, vt 2. Machab. 9. cap. & Hebreorum 12. quoſdam peccatores à Domino miſericordiã non eſſe conſecutos, quamuis illam vehementer implorauerint?

Dicendum, quòd idcirco factum eſſe intelligimus, quòd eos verè & ex animo delictorum non pœnitebat.

Quare cùm huiuſmodi ſententiæ in ſacris litteris, vel apud patres occurrunt, quibus affirmare videntur aliqua peccata remitti non poſſe, ita eas interpretari oportet, vt difficilem admodùm eſſe veniæ impetrationem intelligamus. Vt enim morbus aliquis ea re inſanabilis dicitur, quod ægrotus ita affectus ſit, vt ſalutaris medicinę vim oderit; Sic quoddã eſt peccati genus, quod non remittitur neque condonatur, propterea quòd propriũ ſalutis remedium, Dei videlicet gratiam repellit. In hanc ſententiam à D. Auguſtino dictum eſt, lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 43. & 44. *Tanta labes eſt illius peccati, cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Chriſti, oppugnat aliquis fraternitatẽ, & aduerſus ipſam gratiã, inuidiæ facibus agitatur, vt deprecandi humilitatẽ ſubire non poſſit, etiamſi peccatum mala conſcientia agnoſcere & annunciare cogatur.*

DIFFICVLTAS II.

An peccatum poſſit remitti ſine pœnitentia?

Dicendum, hoc adeò proprium eſſe pœnitentiæ

peccata

peccata remittere, vt ſine pœnitentia remiſſionem peccatorum impetrare, aut ne ſperare quidem vllo modo liceat: Scriptum eſt enim Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Quod quidem de grauioribus & mortiferis peccatis dictum eſt à Dño. Eſt quoque doctrina D.Thom.p.3.q 86.art.2.

DIFFICVLTAS III.

An ſaltem peccatum veniale poßit remitti ſine pœnitẽtia?

Dicendum, quòd non: Nam etſi leuiora peccata, quæ venialia vocantur, non indigeant pœnitẽtia ſacramentali, egent tamen aliquo genere pœnitentiæ. Sanctus enim Auguſtinus pluribus in locis, & ſpeciatim lib. 50. Homeliarum Hom. 50. inquit: *Cùm quædam ſit pœnitentia quæ quotidie in eccleſia pro peccatis venialibus agitur, illa ſane fruſtra eſſet, ſi peccata venialia abſque pœnitentia dimitti poſſent.*

Quod ſit illud genus pœnitentiæ, docet & explicat D. Thom.p.3. q.87.art.1.

QVAESTIO XI.

An Sacramento pœnitentiæ debeant aſſignari aliquæ partes? Et: Quæ ſunt illæ? Et: Cuius generis?

Tres ſunt huius quæſtionis partes, quibus totidẽ concluſionibus reſpondetur.

CONCLVSIO I.

P*Roprium eſt Sacramenti pœnitentiæ, vt præter formã & materiam, quæ omnibus ſacramentis cõmunia ſunt, habeat etiam partes quaſdam.*

Eſt Catech.§.Eſt autem huius ſacramenti propriũ, &c.Et D. Thom. p.3.q. 90. art. 1.

Ratio

Ratio concluſionis eſt iſta: Quia vbicumque ex parte materiæ inuenitur aliqua pluralitas, ibi eſt inuenire partium rationem: Diximus autẽ ſupra quòd in ſacramento pœnitentiæ actus humani ſe habent per modum materiæ; Cùm ergo plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, conſequens eſt, quòd ſacramentum Pœnitentiæ habeat aliquas partes.

CONCLVSIO II.

Partes ſacramenti Pœnitentiæ ſunt tres, Contritio, Cõfeſsio, & Satisfactio.

Eſt Catech. §. Contritionem ſcilicet, &c. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Probatur auctoritate D. Chryſoſtomi Serm. 1. de pœnitentia, qui ponitur poſt homeliam 10. de patiẽtia Iob; Ibi enim D. Chryſoſtomus de partibus pœnitentiæ loquitur, his verbis: *Pœnitẽtia cogit peccatorem omnia libenter perferre; In corde eius Contritio, in ore Confeſsio, in opere tota humilitas vel fructifera Satisfactio.*

CONCLVSIO III.

Contritio, Confeſsio, ac Satisfactio non ſunt partes ſubiectiuæ, aut potentiales, vt loquuntur Logici, ſed integrales.

Eſt Catech. §. Hæ autem partes ex earum partium genere eſſe dicuntur, &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

Ratio eſt: Nam quemadmodùm hominis corpus ex pluribus membris cõſtat, manibus, pedibus, oculis, & alijs huiuſmodi partibus, quarum aliqua ſi deſit, meritò imperfectum videatur, perfectum verò ſi nulla deſideretur: Eodem modo etiam Pœnitentia ex hiſce tribus partibus ita conſtituitur, vt quamuis, quoad

quoad eius naturam attinet, Contritio & Confeſsio, quibus homo iuſtus fit, ſatis ſit; tamen niſi tertia etiá pars, id eſt, Satisfactio accedat, aliquid ei omninò ad perfectionem deſit, neceſſe eſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

An poßint aliquæ rationes reddi ternarij numeri partium pœnitentiæ?

Harum trium partium, primò eam rationem afferre poſſumus; quòd animo, verbis, & reipſa peccata in Deum committuntur. Quare conſentaneum fuit vt noſipſos clauibus eccleſiæ ſubijcientes, quibus rebus Dei ſanctiſsimum numē à nobis violatum eſſet, iiſdem etiam eius iram placare, & peccatorum veniá ab eo impetrare conaremur.

Secundò, Idem etiam hac ratione confirmari poteſt; Pœnitentia eſt veluti quędam delictorum compenſatio ab eius voluntate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commiſſum eſt, cōſtituta: Quare & voluntas compenſandi requiritur, in quo maximè contritio verſatur, & pœnitens ſacerdotis iudicio, qui Dei perſonam gerit, ſe ſubijciat neceſſe eſt, vt pro ſcelerum magnitudine pœnam conſtituere in eum poſsit; ex quo tum confeſsionis, tum ſatisfactionis ratio & neceſsitas perſpicitur.

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. art. 2.

QVAESTIO XII.

Quid eſt Contritio?

VT ordo ſequentium quæſtionum facilius aduertatur vnum cum catechiſmo notandum eſt: ſcilicet quòd quoniam verę & ſalutaris pœnitentię ratio potiſsimùm in iſtis tribus actionibus pœnitentis conſiſtit, Contritione,

Confeſsione,& Satisfactione; nō eſſe ſatis de his vniuersè loqui, ſed quantum fieri poteſt, oportere ſpeciatim & diligenter de ſingulis earum dicere. Quare primo de contritione,deinde de confeſsione,poſtremò de ſatisfactione,quę maximè ſcitu neceſſaria sūt, conſequenter à nobis ſtudiosè explicanda erunt.

CONCLVSIO VNICA RESPONSIVA QVAESTIONI.

Contritionē, Patres in Concilio Trident. Seſſ. 14. de Pœnit.can.4. ſic definiunt: Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccādi de cætero. Et paulò poſt de contritionis motu ſubijcitur: Ita demùm præparat ad remiſsionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramentum requiruntur.

Eſt Catech. §. Quoniam verò harum partiū vim & naturam,&c. Et D. Thom.in ſupp.q.1.art. 1.

Ex hac definitione ſtatim cōſequitur errare illos, qui contritionem in eo tantùm poſitam eſſe dicunt, vt quis peccare deſinat,aut propoſitum ei ſit nouum vitæ genus inſtituere, aut ipſum iā inſtituat: diſcimus enim ex hac definitione ad cōtritionē imprimis requiri, vt malè actæ vitæ odiū ac expiatio ſuſcipiatur.

Confirmatur hæc doctrina, illis ſanctorum Patrum clamoribus, quos in ſacris litteris frequenter profuſos eſſe legimus, vt Pſalm. 6. *Laboraui* (inquit Dauid) *in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Et ibidem, *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Et rurſus alius, Eſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quas,& alias huiuſmodi voces vehemens quoddam anteactæ vitæ odiū & peccatorum deteſtatio expreſsit.

Dolor in definitione, pro genere definiti poſit', nō debet intelligi de ſēſibili dolore, ſed de intellectuali: Contritio enim eſt volūtatis actio. Et D. Auguſtinus lib. 50. Homeliarium, Hom. 50: cap. 1. teſtatur, dolorem pœnitentiæ comitem eſſe, non pœnitentiam. Eſt ergo propriè Contritio non ipſe dolor, ſed deteſtatio, quam ſolet conſequi dolor.

DIFFICVLTAS I.

Quare Patres deteſtationem & odium peccati, in quo propriè contritio conſiſtit, ſignificare voluerunt vocabulo contritionis?

Dicendum, rectè contritionis nomen peccati deteſtationi, de qua nūc loquimur, impoſitum eſſe, ad ſignificandam vim doloris, ducta nimirum ſimilitudine à rebus corporeis, quæ minutatim ſaxo aut duriore aliqua materia confringuntur, vt eo vocabulo declararetur corda noſtra, quæ ſuperbia obduruerunt, pœnitentiæ vi contundi atque conteri.

Eſt etiam ratio D. Thom. ſup. art. 1.

DIFFICVLTAS II.

An quiuis dolor poſſit appellari nomine Contritionis?

Dicendum, quod nullus alius dolor, vel ex parentum & filiorum obitu, vel cuiuſuis alterius calamitatis causâ ſuſceptus, hoc nomine appellatur, ſed illius tantùm doloris proprium eſt nomen, quo ex amiſſa Dei gratia atque innocentia afficimur.

Eſt doctrina D. Thom. in ſupp. q. 2. art. 1.

DIFFICVLTAS III.

Quibus prætereà nominibus vocatur odium & deteſtatio peccati?

Dicendum, quòd pluribus alijs nominibus eadē res declarari ſolet. Nam & contritio cordis dicitur: quia cordis nomen frequenter ſacræ litteræ pro voluntate

luntate vſurpant. Vt enim à corde motionum corporis principium ſumitur: ita voluntas reliquas oẽs animæ vires moderatur ac regit.

Vocatur etiam à ſanctis Patribus, cordis compunctio, qui libros de contritione conſcriptos, de compunctione cordis inſcribere maluerunt: Etenim quemadmodum ferro tumida vlcera ſecātur, vt incluſum virus poſsit erumpere: ita corda quaſi ſcalpello contritionis adhibito inſciduntur, vt peccati mortiferum virus queat eijcere.

Vocatur quoque à Ioële cap. 2. ſuæ Prophetiæ, ſciſſio cordis: *Conuertimini* (inquit) *ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra.* Ratio huius nominis facilè ex pręcedentibus intelligi poteſt.

QVAESTIO XIII.

Quantus debet eſſe dolor Cõtritionis, qui ſcilicet de peccatis commiſſis ſuſcipitur?

CONCLVSIO VNICA.

Dolor qui ex peccatis, quæ commiſſa ſunt, ſuſcipitur, debet eſſe maximus & vehementiſsimus.

Eſt Catech. §. Summum verò & maximum, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 3. per totam.

Demonſtratur facilè hiſce rationibus; Prima: Nam cùm perfecta contritio ſit charitatis actio, quæ ab eo timore qui filiorum eſt proficiſcitur: patet eũdem contritionis & charitatis modum cenſendum eſſe. Ac quoniam charitas quâ Deum diligimus perfectiſsimus eſt amor, hinc fit vt Contritio vehementiſsimum animi dolorem coniunctum habeat. Vt

enim maximè diligẽdus eſt Deus; ita quæ nos à Deo alienant, maximè deteſtari debemus.

Et confirmatur apertis ſcripturis; Nam eodem loquendi genere charitatis & contritionis magnitudo in ſacris litteris ſignificatur. De charitate dicitur Deuter. 6. cap. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Rurſus, quòd ad cõtritionem attinet, clamat Dominus per Prophetam Ioel cap. 2. *Conuertimini ex toto corde veſtro.*

Secunda, Si, vti Deus ſummum bonum eſt inter omnia quæ diligenda ſunt, ita etiam peccatum ſummum eſt malum, inter omnia quæ odiſſe homines debent; illud ſequitur vt quam ob cauſam Deũ ſummè diligendum eſſe confitemur, ob eandem rurſus peccati ſummum odium nos capiat neceſſe eſt: Omnibus verò rebus Dei amorem anteponendum eſſe, ita vt ne vitæ quidem conſeruandæ cauſa peccare liceat, apertè nõs docent illa Domini verba Matth. 10. cap. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, nõ eſt me dignus.* Et: *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.*

Ex hac ratione perſpicitur benè dictum eſſe à D. Bernardo in lib. de diligẽdo Deo: Quòd ſicut nullus finis & modus charitati præſcribitur (*modus enim*, inquit ille, *diligendi Deum, eſt ipſum diligere ſine modo*) Ita peccati deteſtationi nullus modus definitur.

Probatur quoque concluſio ſcripturâ. Sic enim in Deuteronomio cap. 4. ſcriptum eſt: *Cùm quæſieris Dominum Deum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et apud Hieremiã cap. 29. *Quæretis me, & inuenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, & inueniar à vobis, ait Dominus.*

DIFFI-

DIFFICVLTAS VNICA.

An ergo illi cenſendi ſint habere contritionem, qui maiorem ex filiorum obitu quàm ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt? Vel qui lachrymantur ob amiſsionem rerum temporalium, & non lachrymātur ob priuationem gratiæ diuinæ, perpetrato peccato mortali?

Dicendum, quòd ea quæ de doloris magnitudine in concluſione diximus, intelligenda ſunt de dolore non ſenſibili, ſed intellectuali. Poteſt enim fieri vt dolor ſenſibilis maior ſit de amiſsione parentis carnalis, quàm de amiſsione gratiæ diuinæ. Sæpè enim vſu venit vt quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, magis quàm ſpiritualia nos afficiant, & nihilominùs maior ſit dolor intellectualis de amiſsione gratiæ diuinæ: quòd ad veram contritionem ſufficit. Nihilominùs tamen in pœnitētia dolor ſenſibilis & lachrymæ illæ externæ ſummoperè optandæ & commendandæ ſunt. Præclara eſt enim ea de re D. Auguſtini ſententia Serm. 41. de Sanctis: *Non ſunt* (inquit) *in te chriſtianæ pietatis viſcera, ſi luges corpus à quo receſsit anima, animam verò à quâ receſsit Deus non luges.* Idem indicant illa Saluatoris verba Matth. 11. cap. *Væ tibi Coroſaim: Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egiſſent.* Idē quoque apertiſsimè docent clariſsima Niniuitarū, Dauidis, Peccatricis, & Apoſtolorū principis exempla, qui omnes plurimis lachrymis Dei miſericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrârunt.

QVAESTIO XIIII.

An de ſingulis peccatis mortalibus requiratur proprius contritionis dolor?

CONCLVSIO I.

HOrtandi & monendi ſunt fideles, vt ad ſingula mortalia crimina, ſi facultas adſit, proprium cōtritionis dolorem adhibere ſtudeant.

Eſt Catech. §. Maximè autem hortandi, &c. Et D. Thom. in ſup. q. 2. art. 6.

Ita enim Ezechias contritionem deſcribit, cùm ait Eſaiæ 38. cap. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* Etenim Recogitare omnes annos, eſt ſigillatim peccata excutere, vt ea ex animo doleamus. Et apud Ezechielem cap. 18. de contritione ſic ſcriptum legitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ viuet.*

Diuus quoque Auguſtinus lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 14. ſic inquit: *Conſideret peccator qualitatē criminis, in loco, in tempore, in varietate, in perſona.*

CONCLVSIO II.

SI facultas neque tempus adſint, ſufficit peccatori peccata vniuerſè deteſtari, quæ deinde alio tempore, vbi facultas erit, ſingula in memoriam reducat, ac animo deteſtetur.

Eſt Catech. §. Neque tamen in hac re deſperent, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio concluſionis eſt iſta: Nam Deus cùm ſit noſtræ ſalutis cupidiſsimus, vbi peccator ad eum ſe conuertit, nullâ morâ interpoſitâ, veniam peccatorum tribuit. Ita enim nos per Prophetam Ezechiam iubet ſperare cap. 33. *Impietas impij* (inquit) *non nocebit ei in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*

QVAESTIO XV.

Quæ ſunt ad veram contritionem neceſſaria?

CONCLVSIO I.

PRimùm neceſſe eſt, peccata omnia quæ admiſimus odiſſe & dolere, ne ſi quædam tantùm doleamus, ficta & ſimulata, neque ſalutaris pœnitentia à nobis ſuſcipiatur.

Eſt Catech. §. Ex his igitur colligi poterunt, &c. Et D. Thom. locis ſup. allegatis.

Probatur auctoritate D. Iacobi cap. 2. ſuæ epiſtolæ; Sic enim ab eo dictum eſt: *Quicumque legem totam ſeruauerit, offenderit autem in vno, factus eſt omnium reus.*

CONCLVSIO II.

Secundùm eſt, vt contritio, confitendi & ſatisfaciendi voluntatem coniunctam habeat.

Eſt Catech. §. Alterum eſt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 1. art. 1.

De Confeſsione & Satisfactione poſtea ſuo loco agetur.

CONCLVSIO III.

TErtiùm eſt, vt pœnitens vitæ emendandæ certam & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat.

Eſt Catech. §. Tertium eſt, &c. Et D. Thom. ſup.

Probatur duobus modis; Primo, ſacrarum ſcripturarũ auctoritate. Sic enim ait apertis verbis Propheta Ezechiel cap. 18. *Si Impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quàs operatus eſt*

nõ recordabor. Et paulò pòſt: *Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuã viuificabit.* Et paucis interiectis; *Conuertimini*, inquit, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & nõ erit vobis in ruinam iniquitas: Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.* Idem etiam Chriſtus Dominus, mulieri quę in adulterio deprehenſa eſt, præſcripſit Ioannis 11. cap. *Vade*, inquit, *& iam amplius noli peccare.* Item Paralytico illi quem ad probaticam Piſcinam curauerat Ioannis 14. cap. *Ecce*, ait, *ſanus factus es, iam noli peccare.*

Secundò probatur ratione. Nam natura ipſa & ratio oſtendunt duo illa ad cõtritionem imprimis eſſe neceſſaria, dolorem ſcilicet peccati admiſſi, & propoſitum cautionemque ne quid huiuſmodi in poſterũ committatur. Qui enim amico recõciliari velit quẽ iniuriâ aliquâ affecerit, & doleat oportet quòd in eum iniurioſus & contumelioſus fuerit, & diligẽter reliquo tempore prouideat ne qua in re amicitiam læſiſſe videatur: quæ duo obedientiam etiam adiunctam habeant neceſſe eſt. Hominem enim legi ſiue naturali & diuinæ, ſiue humanę, quibus ſubiectus eſt, parere conuenit. Quare ſi quid pœnitens alteri per vim aut per fraudem abſtulit, reſtituat oportet: itemque alicuius aut commodi aut officij compẽſatione illi ſatisfaciat, cuius dignitatem aut vitam dicto factóue violauit. Tritum eſt enim omnium ſermone quod apud ſanctum Auguſtinum legimus, epiſt. 54. ad Macedonium: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

CON-

CONCLVSIO IIII.

POſtremò ad contritionem neceſſarium eſt, vt quicquid iniuriarum ab alio acceperis, id totum remittatur ac condonetur.

Eſt Catech. §. Neque verò inter cætera, &c. Et D. Thom. locis ſup. allegatis.

Ita enim Dominus & Saluator noſter monet & denunciat Matth. 6. cap. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; Si autem nõ dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Præter iſta quatuor prænarrata, poſſunt & alia multa afferri, quæ efficient quidem vt in ſuo genere contritio ſit magis perfecta & abſoluta, verùm adeò neceſſaria exiſtimanda non ſunt, vt ſine his veræ & ſalutaris pœnitentię ratio conſtare non poſsit.

QVAESTIO. XVI.

Quis eſt effectus veræ Contritionis?

CONCLVSIO VNICA.

VEra Contritionis, de qua ſuprà dictum eſt, ea vis eſt, vt illius beneficio omnium delictorum venia ſtatim à Domino impetretur.

Eſt Catech. §. Sed quoniam non ſatis eſt paſtoribus, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 5. per totam.

Dicitur in cõcluſione, *ſtatim*; Nam quamprimùm contritionem mentibus noſtris concipimus, peccatorum remiſsionem nobis à Deo tribui, præter loca antecitata, etiam Dauidis Prophetæ verba Pſalm. 31. clarè declarant: *Dixi*, inquit, *Confitebor aduerſum me iniuſtitiã meã Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.*

Deinde eſt eius rei figura clariſſima in decem Lepro ſis Lucæ 17. qui à Saluatore noſtro ad ſacerdotes miſſi, antequam ad illos peruenirent, à leprâ liberati ſunt.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ſicut pleraque alia virtutis opera, veluti beneficentia in pauperes, ieiunia, preces, & alia id genus ſancta & honeſta opera, hominum culpâ, à quibus proficiſcuntur, interdum à Deo repudiantur: ita etiam Contritio vera poßit à Deo repudiari & reijci?

Dicendum, hoc ad maximam contritionis commendationem pertinere, quòd illa perpetuò Deo grata & accepta eſt. Ita enim aſſerit Regius Propheta Pſalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

QVAESTIO XVII.

Qua ratione poterunt fideles veram peccatorum contritionem cõſequi?

CONCLVSIO VNICA.

HAEc quinque illis agenda erunt; Primùm conſcientiam ſuam frequẽter excutiant, videantq́; num quæ à Deo, ſiue Eccleſiaſticis ſanctionibus præcepta ſunt, ſeruauerint. Secundò, quòd ſi quis alicuius ſceleris reum ſe eſſe cognouerit, ſtatim ſe ipſum accuſet, ſupplexq́; à Deo veniam expoſcat. Tertiò, ſpatium tum confitendi, tum ſatisfaciendi ſibi dari poſtulet. Quartò, Diuinæ gratiæ præſidio adiuuari petat, ne in poſterum eadem illa peccata admittat quæ admiſiſſe vehemẽter pœnitet. Quintò & poſtremò, Curet vt in ſe ſummum peccati odium concitet, tum quia ſumma eſt illius fœditas & turpitudo, tum quia grauiſſima damna & calamitates nobis adfert. Nam Dei beneuolentiã, à quo maxima bona acce-

bona accepimus, longeq́; maiora expectare & conſequi licebit, à nobis alienat, & ſummorum dolorum cruciatibus perpetuò afficiendos, ſempiterna morti addicit.

Eſt Catech. §. Plurimum etiam valebit ad fideliũ mentes, &c.

Patet ſufficienter ex præcedentibus.

Hactenus de Contritione. Nunc ad Confeßionem, quæ eſt altera pœnitentiæ pars, veniamus.

QVAESTIO XVIII.

Cùm Contritione poſſint remitti peccata, quid fuit neceſſe ad remiſſionem peccatorum, confeſſionem ſacerdoti fiendam inſtitui?

CONCLVSIO I.

VTile atq; adeò neceſſarium fuit à Chriſto confeſſionem ſacramentalem inſtitui; Primò, vt clementiſſimus Dominus hac veluti faciliori ratione, communi hominum ſaluti conſuleret.

Eſt Catech. §. Primùm itaque docendum eſt confeßionis inſtitutionem, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 6. art. 1. & 2.

Probatur & explicatur; Etenim ex fidei catholicę doctrina omnibus credendum, & conſtanter affirmandum eſt, ſi quis ita animo affectus ſit, vt peccata admiſſa doleat, ſimulque in poſterum non peccare inſtituat, etſi eiuſmodi dolore non afficiatur qui ad impetrandam veniã ſatis eſſe poßit, ei tamen, cùm peccata ſacerdoti ritè cõfeſſus fuerit, vi clauium ſcelera omnia remitti ac condonari.

Ita docent ſanctißimi Eccleſiæ Patres, D. Am-

broſius in Serm. 1. de quadrageſima: D. Aug. lib. 2. de adulterinis cõiugijs cap. 9. D. Chryſoſtomus lib. de ſacerdotio: Ibi enim omnes affirmant claues eccleſiæ aperire regnum cælorum: Et clariſsimè Patres Concilij Florentini in decreto Eugenij IIII. cùm aiunt pœnitentiæ effectum eſſe abſolutionem à peccatis.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ſit ergo aliquis Contritionis dolor qui non ſufficiat ad peccatorum remiſsionem conſequendam?

Dicendũ, eſſe: Nam ad hoc vt cõtritio peccata deleat, debet eſſe vſqueadeò vehemens, acris, & incẽſa, vt doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari & conferri poſsit, qualis perquàm raò reperiri poteſt.

CONCLVSIO II.

SEcundò, vtile fuit confeſsionem ſacramẽtalem inſtitui, ad deprauatos hominum mores emendandos.

Eſt Catech. §. Verùm ex eo prætereà, &c.

Probatur & explicatur: Nam experientia docet nihil æquè prodeſſe ad corruptos mores emendandos, quàm ſi ij, quorum eſt corrupta vitæ conſuetudo, interdùm occultas animi ſui cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti & fideli amico patefaciãt, qui eos operâ & conſilio iuuare poſsit. Quare ad eãdem rationem maximè ſalutare exiſtimãdum eſt ijs, qui ſcelerum conſcientiâ agitantur, vt ſacerdoti tanquam Chriſti Domini vicario, cui perpetui ſilentij ſeueriſsima lex propoſita eſt, animæ ſuæ morbos & vulnera aperiant: Statim enim parata ſibi medicamenta inuenient, quæ non ſolùm præſentis ægritudinis ſanandæ, verùm ita præparandæ animæ cæleſtem quan-

ſtem quandam vim habeant, vt deinceps facilè futurum nō ſit in eiuſdem morbi & vitij genus recidere.

CONCLVSIO III.

Poſtremò, vtile fuit confeſſionem ſacramentalem inſtitui, ad humanæ vitæ ſocietatem & coniunctionē, publicamq; honeſtatem conſeruandam.

Eſt Catech. §. Neque verò illa confeſsionis vtilitas, &c.

Probatur & explicatur. Conſtat enim, ſi cōfeſsionem ſacramētalem è chriſtianâ diſciplinâ exemeris, plena omnia occultis & nefandis ſceleribus futura eſſe, quæ poſteà, & alia etiam multò grauiora, homines peccati conſuetudine deprauati, palam committere non verebuntur. Etenim cōfitendi verecundia, delinquendi cupiditati & licentiæ tanquam frenos inijcit, & improbitatem coërcet.

QVAETSIO XIX.

Quid eſt confeſſio ſacramentalis?

CONCLVSIO I.

Confeſsio ſacramentalis eſt, peccatorum accuſatio, eò ſuſcepta, vt virtute clauium veniam impetremus.

Eſt Catech. §. Eam igitur definiunt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 7. art. 1.

Accuſatio, tenet locum generis; & per illud docemur peccata in confeſsione non ita commemorāda eſſe, quaſi ſcelera noſtra oſtentemus: vt ij faciunt qui lætantur cùm malè fecerint; nec omninò ita narranda, quaſi rem aliquam geſtam otioſis auditoribus delectādi cauſa exponamus: verùm accuſatorio animo ita enumeranda eſſe, vt ea etiam in nobis vindicare cupiamus.

tuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt: Cùm enim per hæc verba Dominus poteſtatem retinendi & remittendi peccata ſacerdotibus tribuerit, perſpicuum eſt ipſos etiam ea de re iudices à Domino cõſtitutos eſſe. At quoniam (vt ſancta Synodus Trident. Seſſ. 15. can. 15. ſapienter admonuit) de qualibet re verũ iudicium fieri, atque in repetendis criminum pœnis iuſtitiæ modus retineri nõ poteſt, niſi planè cognita & perſpecta cauſa fuerit; ex eo ſequitur vt pœnitentium confeſsione ſigillatim peccata omnia ſacerdotibus patefacienda ſint. Deinde Ioannis 11. idẽ ſignificare videtur Dominus, cùm Apoſtolis id negotij dedit, vt Lazarum à mortuis excitatũ à vinculis ſoluerent quibus conſtrictus erat. Nam D. Auguſtinus pluribus in locis, vt lib. de vera & falſa Pœnit. cap. 19. & Serm. 18. de verbis Domini: Item in Ioannem tractatu 29. & tract. 49. & in Pſalm. 101. concione 2. ita eum locum explanat: *Ipſi* (inquit) *ſacerdotes plus iam poſſunt proficere, plus confitentibus parcere; Quibus enim crimen remittunt, Dominus remittit* (ſcilicet per ipſos Apoſtolos) *Lazarum quem iam de monumento ſuſcitauerat, obtulit diſcipulis ſoluendum, oſtendens poteſtatem ſoluendi cõceſſam eſſe ſacerdotibus.* Poſtremò, eò etiam pertinet, quòd iis qui à leprâ in itinere curati ſunt, Lucæ 17. c. Chriſtus Dñs præceperat, vt ſacerdotibus ſe oſtenderent, illorùmque iudicium ſubirent.

Secundò, probatur idem, teſtimonijs Patrum. Si enim ſanctiſsimos Patres attentè legimus, nuſquam non apertiſsimè teſtimonia occurrent; quibus confirmatur hoc ſacramentum à Chriſto Dño inſtitutũ eſſe, & confeſsionis ſacramentalis legem, quam illi *Exomologeſin*, & *Exagoreuſin*, græco vocabulo appellãt, tanquam euangelicam accipiendam eſſe.

Legendi

ſequendam præparant. Cùm enim aperto capite ad pedes ſacerdotis abiecti, demiſſo in terrâ vultu ſupplices manus tendentes, aliaque huiuſmodi christianæ humilitatis ſigna dantes peccata confitemur, ex his perſpicuè intelligimus in ſacramento vim quandam cæleſtem eſſe agnoſcendam, & à nobis diuinam miſericordiam ſummo ſtudio requirẽdam atque efflagitandam eſſe.

QVAESTIO XXII.

An Confeſſio ſacramentalis relapſis in peccatum mortale ſit ad ſalutem neceſſaria?

CONCLVSIO VNICA.

Confeſſio ſacramentalis ita eſt à Chriſto Domino inſtituta, vt ſit etiam lapſis in peccatum mortale ad vitam ſpiritualem recuperandam planè neceſſaria.

Eſt Catech. §. Iam verò nemo exiſtimet, &c. Et D. Thom. in ſup. q. 6. art. 1.

Statuitur hæc concluſio contrà illos qui exiſtimãt quidem confeſsionem à Chriſto Domino inſtitutã, ſed ita tamen vt eius vſum neceſſarium eſſe non edixerit.

Probatur cõcluſio dupliciter. Primò, auctoritate ſcripturæ. Illam enim pulcherrima tranſlatione à Chriſto Domino apertè ſignificatã videmus, Matth. 16. cap. cùm huius ſacramenti adminiſtrãdi poteſtatem, Clauem regni cælorum appellauit. Vt enim locum aliquem munitum & ſublimem ingredi nemo poteſt ſine eius operâ cui claues commiſſæ ſunt: ſic intelligimus neminem in cælum admitti, niſi fores à ſacerdotibus, quorũ fidei claues Dominus tradidit,

aperiantur. Aliter enim nullus planè clauium vſus in eccleſia eſſe videbitur, ac fruſtrà is cui clauiū poteſtas data eſt, quempiā aditu cœli prohibebit, ſi alia via introitus patere queat.

Altero, auctoritate ſanctorum Patrum. Hanc enim præclarè D. Auguſtinus confirmat cùm inquit lib. 50. Homeliarum, Hom. 49. *Nemo ſibi dicat, Occultè ago pœnitentiam apud Dominum, Nouit Deus, qui mihi ignoſcat, quid in corde ago: Ergo ſine cauſa dictum. Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa claues datæ ſunt eccleſiæ Dei?* In eandem ſententiā ſanctus Ambroſius in lib. de Pœnitent. cap. 2. ſcriptum reliquit; cùm Nouatianorum hæreſim conuelleret, qui ſoli Domino poteſtatem remittendi peccata reſeruandam aſſerebant: *Ecquis Deum* (inquit) *magis veneratur qui mandatis illius obtemperat, an qui reſiſtit? Deus nos iuſſit eius miniſtris obtemperare, quibus cùm paremus, honorem ſoli Deo deferimus.*

QVAESTIO XXIII.

Qua ætate, & quo anni tempore confitendum eſt?

CONCLVSIO I.

NEmo cōfeſſionis lege adſtrictus eſt ante eam ætatem, quā rationis vſum habere poteſt.

Eſt Catech. §. Sequitur vt videndum ſit quinam, quo ætatis & anni tēpore, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 6. art. 3.

Patet ex Concilij Lateran. canone, cuius initium eſt, Omnis vtriuſque ſexus, &c.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ea ætas quā ad rationis vſum ſufficientem peruenitur, poßit certo aliquo annorum numero definiri?

Non po-

Non poteſt definiri, ſed illud vniuerſè ſtatuendũ videtur, ab eo tempore confeſsionem puero indictã eſſe, cùm inter bonum & malum diſcernendi vim habet, in eiuſque mentem dolus cadere poteſt. Nam cùm ad id vitæ tẽpus quiſque peruenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tum primùm ſacerdoti peccata confiteri debet, cùm aliter ſalutem ſperare nemini liceat, qui ſcelerũ conſcientia premitur.

CONCLVSIO II.

Semel quotannis fideles omnes peccata ſua confiteri debent.

Eſt Catech. §. Quo verò potiſsimum tempore, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 6. art. 5.

Probatur eodem canone, de quo ſuperiori concluſione diximus.

DIFFICVLTAS VNICA.

An nullo caſu teneantur fideles ſæpius confiteri?

Dicendum, ſi quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet conſideremus, profectò quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquã rem tractare aggredimur, cuius tractatio homini peccatis cõtaminato non cõueniat, veluti cùm ſacramenta adminiſtramus vel percipimus, confeſsio prætermittẽda non eſt. Atque idem omninò ſeruare oportet, cùm veremur ne nos alicuius culpę quam admiſerimus, obliuio capiat; neque enim peccata confiteri poſſumus quæ non meminimus, neque peccatorum veniam à Domino impetramus, niſi ea pœnitentiæ ſacramentum per confeſsionem deleat.

Eſt etiam doctrina D. Thom. in ſupp. q. 9. art. 4.

QVAESTIO XXIIII.

Quæ qualitates & conditiones in confeſſione ſunt obſeruandæ?

CONCLVSIO I.

Illud imprimis in confeſſione curandum eſt, vt integra & abſoluta ſit.

Eſt Catech. §. Illud autem imprimis, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 9. art. 2.

Confeſſio illa dicitur integra, in qua omnia peccata mortalia aperiuntur.

Dico, *mortalia*: Nam venialia, quæ nos à Dei gratia non diuellunt, & in quæ frequentius labimur, tãetſi rectè atque vtiliter, quod piorum vſus demonſtrat confitemur, tamen ſine culpâ prætermitti, multiſque alijs rationibus expiari poſſunt.

Quibus modis peccata remittãtur venialia, docet D.Thom. p.3. q 83. DIFFICVLTAS I.

An etiam illa peccata mortifera confitenda ſint ſacerdotibus quæ ſunt occultiſſima, & eius generis quæ duobus tãtùm extremis decalogi præceptis interdicuntur?

Dicendum eſſe confitẽda. Sæpè enim euenit vt ea grauiùs animum vulnerent, quàm illa quæ apertè ac palàm peccare homines ſolent.

Probatur hæc doctrina; Primò, auctoritate Concilij Trident. Seſſ. 14. can. 5. de confeſſione.

Secundò, Eccleſiæ catholicæ traditione, quã ſanctorum Patrum teſtimonia declarãt: Eſt enim apud Sanctum Ambroſium lib. de Paradyſo cap. 14. in hunc modum: *Nõ poteſt quis iuſtificari à peccato niſi, ante confeſſus fuerit peccatum.* Sanctus etiam Hieronymus in Eccleſiaſtẽ ſuper illud: *Si mordeat ſerpens in ſilentio*, &c. idem planè confirmat. Inquit enim: *Si quem ſerpens Dia*

pens Diabolus occultè momorderit & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit & pœnitentiam non egerit, nec vulnus ſuum fratri vel magiſtro voluerit confiteri, Magiſter qui linguam habet ad curandum, ei prodeſſe non poterit. Præterea Sanctus Cyprianus Serm.5. de Lapſis apertiſsimè hoc docet, his verbis; *Quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſcripti ſint, quoniam tamē de eo cogitauerunt, idipſum apud ſacerdotes Dei dolenter confiteantur.*

Poſtremò probatur omnium Eccleſiæ Doctorū communi voce & ſententia.

Eſt quoque doctrina D.Thom.in ſupp.q.9.art.2.

DIFFICVLTAS II.

An etiam peccatorum circumſtantiæ ſint confitendæ?

Dicendum, Primò illæ circumſtantiæ neceſſariò cōfitendæ ſunt, quæ adeò graues ſunt, vt diuerſa peccatorum mortalium genera cōſtituant. Si quis enim hominem interemit, explicandum eſt vtrùm ille ſacris initiatus, aut prophanus fuerit: Itemque ſi cum muliere concubuit, matrimonijne lege libera aut alterius vxore, aut propinqua, aut alicuius voti ſponſione Deo conſecrata aperiat neceſſe eſt. Hæ enim circumſtantiæ diuerſa peccatorum genera conſtituunt: Ita vt primum quidem ſimplex fornicatio, alterum adulterium, tertium inceſtus, quartum ſacrilegium à Diuinarum rerum Doctoribus appellatur.

Secundò, Illæ circumſtantiæ neceſſariò ſunt confitendæ, quæ peccatum mortale valdè augent. Furtū enim in peccatis numerandum eſt; Verùm ſi quis aureum nummū furetur, leuius omninò peccat, quàm qui centū, vel ducentos, vel ingentē aliquā auri vim, præſertim verò qui ſacram pecuniam abſtulit.

Poſtremò circumſtantiæ quæ prauitatem peccati magnoperè nō augent, ſine crimine omitti poſſunt.

DIFFICVLTAS III.

An Confeſsio nō integra, id eſt, in qua dedita opera aliquod peccatum mortale prætermittitur, ſit bona, vel potius nulla & iteranda?

Dicendum, quod ad confeſsionem adeò neceſſarium eſt vt ſit integra & abſoluta, vt ſi quis dedita opera aliqua quæ explicari debent prætermittat, nō ſolùm ex ea confeſsione nullū commodum conſequatur, ſed etiam nouo ſcelere ſe obſtringit. Neque eiuſmodi peccatorum enumeratio confeſsionis nomine, in qua ſacramenti ratio inſit, appellanda eſt, quin potius pœnitenti cōfeſsionem repetere eſt neceſſe, ſeq; ipſum illius peccati reum facere, quod ſacramenti ſanctitatem confeſsionis ſimulatione violauerit. At verò ſi alia de cauſa cōfeſsioni aliquid defuiſſe videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conſcientiæ ſuæ latebras non ita accuratè perquiſierit, cùm tamen illud in animo haberet vt integrè omnia peccata confiteretur, nihil opus erit ei confeſsionem iterare, ſatis autē habebit, ſi quando peccata quæ oblitus erat in memoriam reduxerit, ea ſacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animaduertendum eſt, ne nimis diſſolutè & remiſsè conſcientiam noſtram ſcrutati ſimus, adeóque negligenter peccata admiſſa memoria repetere ſtuduerimus, vt ea ne recordari quidem voluiſſe meritò videri poſsimus; Id enim ſi factum fuerit, confeſsionem iterare omninò oportebit.

CONCLVSIO II.

SEcundò curandum eſt, vt Confeſsio nuda, ſimplex, & aperta ſit.

Eſt Catech. §. Præterea curandum eſt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 9. art. 4,

Nuda

Nuda, ſimplex, & aperta, id eſt, non artificioſè cõpoſita: Quòd à nonnullis fit, qui potiùs vitæ ſuæ rationem exponere, quàm peccata confiteri videntur. Talis enim confeſsio eſſe debet, quæ nos tales ſacerdoti aperiat, quales nos ipſos nouimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubijs demonſtret.

CONCLVSIO III.

Tertiò, vt Confeſſio ſit prudens & verecunda.

Eſt Catech. §. Vehementer etiam commẽdandi ſunt, &c. Et D. Thom. ſup.

Illa confeſsio dicitur prudens & verecũda, in qua non multis verbis agitur, ſed quæ ad cuiuſque peccati naturam & rationem pertinẽt, breui oratione, quæ modeſtiam coniunctam habeat, aperiuntur.

CONCLVSIO IIII.

Quartò, vt Confeſſio ſit ſecreta.

Eſt Catech. §. Illud verò etiam tum confitenti, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 9. art. 4. & tota q. 11.

Hæc conditio tum ipſum confitentem, tum ſacerdotem audientem concernit. Illud enim tum confitenti, tum ſacerdoti maximè laborãdũ eſt, vt eorũ ſermo in confeſsione ſecretò habeatur.

Ex his ſequitur nemini omninò neque per nuncium, neque per litteras, quoniam ea ratione nihil occultè agi poteſt, peccata confiteri licere.

CONCLVSIO V.

Poſtremò, vt ſit frequens.

Eſt Catech. §. Sed nulla res fidelibus adeò curæ eſſe debet, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio eſt; Nam cum aliquis mortifero ſcelere vr-

getur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt ob multa quæ impendent vitæ pericula, quàm ſtatim peccata ſua confiteri.

Deinde, vt nulla vitæ pericula impendant: tamen turpe eſt, cùm in eluendis corporis aut veſtium ſordibus tam diligentes ſimus, non eâdem ſaltem diligentiâ curare, ne animę ſplendor turpiſsimis peccati maculis obſoleſcat.

QVAESTIO XXV.

Quis eſt legitimus huius ſacramenti miniſter?

CONCLVSIO VNICA.

Miniſter huius Sacramẽti eſt ſacerdos, qui ordinariã aut delegatam abſoluẽdi poteſtatem habet.

Eſt Catech. §. Sed iam de miniſtro, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 8. per totam.

Debet ergo miniſter huius ſacramenti habere duplicem poteſtatem, Ordinis, & Iuriſdictionis.

Quòd debeat habere poteſtatem ordinis probatur dupliciter; Primo ſcripturâ. Illuſtre enim huius miniſterij teſtimonium præbent illa Domini verba apud Ioannẽ 20. cap. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Neque enim omnibus ſed Apoſtolis tantùm hæc dicta fuiſſe cõſtat, quibus in hac functione ſacerdotes ſuccedũt.

Secundò probatur ratione. Gratia enim quæ in ſacramentis datur, à capite Chriſto in membra deſcendit; Conſentaneum ergo eſt vt ille ſit miniſter ſacramentorum in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper corpus Chriſti verum, quod ſolius ſacerdotis eſt qui conſecrare Euchariſtiã poteſt;

Et ideo cùm in ſacramento pœnitentię gratia confe-ratur, ſolus ſacerdos miniſter erit huius ſacramenti.

Quòd inſuper debeat habere poteſtatem Iuriſdi-ctionis, probatur veteribus patrum decretis, quæ habentur cauſa 11. q. 2. quibus cautum eſt, ne quis Epiſcopus aut ſacerdos in alterius parochia aliquid gerere auderet ſine ipſius auctoritate, qui illi præeſſet, aut niſi magna neceſsitas cogere videretur. Quod ipſum videtur omninò docere Apoſtolus ad Titum cap. 1. cùm Tito præcepit, vt in ſingulis Ciuitatibus ſacerdotes conſtitueret, qui ſcilicet doctrinæ & ſacramentorum cæleſti pabulo fideles alerent & educarent.

DIFFICVLTAS I.

An ſacerdos nullam habens Iuriſdictionem poſsit aliquo ſaltem caſu eſſe miniſter huius ſacramenti?

Dicendum, quòd ſi mortis periculum imminet, & proprij ſacerdotis facultas non datur, ne hac occaſione aliquis pereat, docet Concilium Tridét. Seſſ. 14. de pœnit. can. 6. in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuiſſe, vt vnicuique ſacerdoti liceret non ſolùm omni peccatorum genere cuiuſcumque poteſtatis ſit, illa condonare, ſed etiam ab excommunicationis vinculo ſoluere.

DIFFICVLTAS II.

An præter poteſtatem Ordinis & Iuriſdictionis, aliæ inſuper qualitates requirantur in miniſtro huius ſacramenti?

Dicendum, quòd præter poteſtatem Ordinis & Iuriſdictionis, quæ prorſus in miniſtro huius ſacramenti neceſſaria ſunt, requiritur primò ſcientia & prudentia: Nam miniſter huius ſacramenti Iudicis & medici ſimul perſonam gerit.

Quatenus Iudex eſt eget ſcientiâ non vulgari, per

quam & peccata inueſtigare, & ex varijs peccatorum generibus, quæ grauia, quæ leuia ſint, pro cuiuſque hominis ordine & genere, iudicare poſsit.

Vt medicus eſt, ſummâ quoque prudētiâ indiget; Etenim diligenter illi prouidendum eſt vt ea remedia ægrotis adhibeat, quæ ad illius animam ſanandã, & in poſterum contrà vim morbi muniendã aptiora eſſe videantur.

Secundò, requiritur ſecretum. Ita enim in Concilio Lateran. magno legimus: *Caueat omninò ſacerdos ne verbo vel ſigno, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

MONITIONES.

Ex his qualitatibus, quas in confeſſore eſſe diximus, duo diſcimus.

Primum, fideles omnes magno ſtudio curare debere vt pro cõfeſsione ſua excipienda eum ſacerdotem deligant, quem vitæ integritas, doctrina, prudēs iudicium commendet, qui, & quantum in eo officio cui præeſt ponderis & momenti ſit, & quæ cuiq; ſceleri pœna conueniat, & qui vel ſoluendi vel ligandi ſint, optimè nouerit.

Alterum, nihil eſſe quòd fideles timeãt, ne ea quę ipſi in confeſsione patefecerint, à ſacerdote vlli vnquam indicentur, néue aliquod ex ea periculi genus ſibi vllo tẽpore creari poſsit. Sacræ enim ſanctiones grauiſsimè in eos ſacerdotes animaduerti voluerũt, qui peccata omnia quæ aliquis eis confeſſus fuerit perpetuo & religioſo ſilentio compreſſa non tenuerit, vt patet ex cap. Sacerdos, & Cap. Omnis, de pœnitent. diſt. 6. Et ex Concilio Lateranenſi ſupra allegato can. 21.

QVAESTIO XXVI.

Quæ ſunt Sacerdotibus & Confeſſarijs in vſu & praxi huius Sacramenti circa pœnitentem & confitentem obſeruanda?

CONCLVSIO I.

Hoc primùm ſacerdotes circa pœnitentem diligenter obſeruabunt, ſi veram peccatorum ſuorum contritionem habet, certumq́; illi ſit ac deliberatum in poſterum à peccato abſtinere: Si illam habeat, moneant ac vehementer hortentur, vt pro tanto ac ſingulari beneficio maximas Deo gratias agat, ab eoq́; cæleſtis gratiæ præſidium petere nunquam deſinat, quo munitus ac tectus, facilè poterit prauis cupiditatibus reſiſtere ac repugnare: Si autem non habeat, conentur magno contritionis deſiderio eum afficere, vt deinde huius præclari doni cupiditate incenſus, illud à Dei miſericordia petere & efflagitare in animum inducat.

Eſt Catech. §. Quare cùm illorum ſaluti omninò ſuccurrendum ſit, &c.

Non eget maiori explicatione.

DIFFICVLTAS VNICA.

Qua potiſſimum ratione pœnitens poterit in poſterum à peccatis abſtinere, & Dæmonis tentationibus ac prauis cupiditatibus reſiſtere?

Si nullum patiatur eſſe diem, quin aliquid de paſſionis Domini noſtri myſterijs meditetur, ad eumq́; imitandum, & ſumma charitate amandum ipſe ſe excitet, atque inflammet. Hac enim meditatione aſſequetur, vt ab omnibus Dæmonis tẽtationib⁹ in dies ſe tutiorem eſſe ſentiat. Neque enim vlla eſt alia cauſa cur tã citò vel leuiter ab hoſte impugnati, animo

& viribus ſuccumbamus, quàm quòd ex cæleſtium rerum meditatione diuini ignis amorem concipere non ſtudemus, quo mens recreari atque erigi poſsit.

CONCLVSIO II.

Secundò ſtudebunt reprimere quorundam confitentium ſuperbiã, qui ſcelera ſua excuſatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur.

Eſt Catech. §. Imprimis autem reprimenda eſt. Nam exempli cauſa cùm aliquis fateatur ſe irâ vehementiùs commotum fuiſſe, ſtatim huius perturbationis cauſam in alium confert, à quo prius ſibi iniuriam factam eſſe queritur. Monendus itaque eſt hoc elati animi & hominis peccati ſui magnitudinẽ vel deſpicientis, vel planè ignorantis ſignum eſſe: Tum verò eiuſmodi excuſationis genus ad augendũ potius, quàm ad minuendum peccatum pertinere. Nam qui ita factum ſuum probare cõtendit, hoc videtur profiteri ſe tunc patientiâ vſurum eſſe, cùm à nemine læderur, quo quidem nihil homine chriſtiano indignius eſſe poteſt. Etenim cùm illius vicem maximè dolere debuerit qui iniuriam fecit, tamen non peccati grauitate commouetur, ſed fratri iraſcitur, ac cùm ei præclara occaſio oblata fuerit, vt Deũ patientiâ colere & fratrem manſuetudine ſua corrigere poſsit, ſalutis materiam ad perniciem ſuam conuertit.

CONCLVSIO III.

Tertiò, eos qui ſtultâ quadam verecundiâ impediti, peccata ſua confiteri non audent, hortabuntur monebuntq; nihil eſſe quod vitia ſua aperire vereantur, nulliq; mirum videri debere ſi intelligat homines peccare, qui quidem

communis eſt omnium morbus & in humanā imbecillitatem propriè cadit.

Eſt Catech. §. Pernicioſior eſt illorum culpa, &c. Non eget maiori explicatione.

CONCLVSIO IIII.

QVartò, illos qui vel quòd rarò peccata ſua confiteri ſolent, vel quòd nullam curam & cogitationem in peruestigandis ſuis ſceleribus poſuerunt, nec cōmiſſa confeſſione expedire, nec vnde eius officij initium ducendum ſit ſatis ſciunt, acriter obiurgabunt, docebuntq́; vt priuſquam adeant, omni ſtudio curent vt peccatorum ſuorum cōtritione commoueantur, quòd præſtari nullo modo poteſt niſi ea reminiſcendo ſigillatim recognoſcere ſtudeant.

Eſt Catech. §. Alij ſunt qui vel quod raro, &c.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid ergo ſacerdos cum talibus aget? dimittétne illos ſine abſolutione, vel non dimittet?

Cum diſtinctione & prudenti cautione ſic dicendum eſt.

Si ſacerdos huiuſmodi homines prorſus imparatos cognouerit, humaniſsimis verbis à ſe dimittet, hortabiturq́; vt ad cogitanda peccata aliquod ſpatiū ſumant, ac deinde reuertantur.

Quòd ſi fortè affirmauerint ſe in eam rem omne ſtudium & diligentiam ſuam contuliſſe, quoniam ſacerdoti maximè verendum eſt ne ſemel dimiſsi amplius non redeant, audiendi erunt, præſertim ſi emēdandæ vitæ ſtudium aliquod præ ſe ferant, adduciq́; poſsint vt negligentiam ſuam accuſent, quam ſe alio tempore diligenti & accurata meditatione compenſaturos promittant.

In hoc tamen magna cautio adhibēda eſt. Si enim

audita

audita confeſsione iudicauerit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in deteſtandis dolorem pœnitēti omninò defuiſſe, abſolui poterit: Sin autē vtrumq; in eo deſiderari animaduerterit, auctor illi & ſuaſor erit vt maiorem curam, quòd antea dictum eſt, in excutienda conſcientia adhibeat, hominemq; vt blandiſsimè poterit tractatum dimittet.

CONCLVSIO V.

Poſtremò, mulieres quæ alicuius ſceleris in priori confeſsione oblitæ, ad ſacerdotem non audent redire, quòd vereantur ne vel in ſuſpicionem magnæ improbitatis populo veniant, vel ſingularis religionis laudem quærere exiſtimentur, ſæpè tum publicè, tum priuatim docebũt, neminem tantâ memoriâ eſſe, qui omnia ſua facta, dicta, & cogitata meminiſſe queat. Quapropter fideles nulla re deterrendos eſſe, quo minus ad ſacerdotem reuertantur, ſi in memoriam alicuius criminis redierint, quod anteà fuerit prætermiſſum.

Eſt Catech. §. Sed quoniam interdùm contingit vt mulieres, &c.

Hactenus de confeſsione, nunc de Satisfactione poſtrema parte pœnitentiæ agendum eſt.

QVAESTIO XXVII.

Quid eſt Satisfactio?

CONCLVSIO I.

Satisfactio generaliter loquendo, eſt rei debitæ integra ſolutio.

Eſt Catech. §. Primum itaq; ſatisfactionis nomen, &c. Et D. Thom. in ſup. q. 12. art. 3.

Hoc enim indicare videtur ipſa nominis etymologia: Nam quod ſatis eſt, ei nihil deeſſe videtur.

CONCLVSIO II.

CVm de gratiæ reconciliatione loquimur, idem ſatiſfacere ſignificat, quod alteri tantùm præſtare quantum irato animo ad vlciſcendam iniuriam ſatis eſſe poſſit; Atque ita ſatisfactio nihil eſt aliud, quàm iniuriæ alteri illatæ compenſatio.

Eſt Catech. §. Quare cùm de gratiæ reconciliatione&c. Et D. Thom. ſup. & facilè intelligi poteſt ex precedenti concluſione, cùm ex illa per bonam conſequentiam ſequatur.

CONCLVSIO III.

SAtisfactio quæ ad hunc locum pertinet, hoc eſt, quâ Deo pro peccatis ſatisfit, nihil eſt aliud, quàm compenſatio quædam, quâ homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſoluit.

Eſt Catech. §. Quod autem ad hunc locum attinet, &c. Et D. Thom. ſup.

Probatur definitio auctoritate Patrum & DD. Eccleſiæ, qui illam tradiderunt, & recenſentur à Magiſtro in 4. ſent. diſt. 15. & à Canoniſtis in cap. Satisfactio.

QVÆSTIO XXVIII.

Quot ſunt genera ſatisfactionis quâ Deo pro peccatis ſatisfit? Et: Quæ eſt differentia inter illa genera ſatisfactionis?

CONCLVSIO I.

TRiplex eſt genus ſatisfactionis, quâ Deo pro peccatis ſatisfit. Primum, & præſtantiſſimum illud eſt, quo pro

ſcelerum

ſcelerum noſtrorum ratione, etiamſi Deus ſummo iure nobiſcum agere velit, omne perſolutum eſt. Secundum eſt illud quod Canonicum apellatur, & certo temporis ſpatio definitũ perficitur. Antiquiſſima enim eccleſiæ vſu receptũ eſt, vt cùm pœnitẽtes à pœna ſoluuntur, pœna aliqua eis à ſacerdote irrogetur; Cuius pœnæ ſolutio ſatisfactio vocari conſueuit. Poſtremum eſt illud, quod pro peccatis, non quidem à ſacerdote conſtitutum, ſed ſpõte noſtra ſuſceptum atque à nobis ipſis repetitum ſuſtinemus.

Eſt Catech. § Quo in genere, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 15. art. 1. & ex ſequentibus fiet manifeſta.

CONCLVSIO II.

INter iſta genera ſatisfactionis magna eſt differẽtia. Nã ſatisfactio primi generis ſoli Chriſto competit, qui in cruce ſ pretio pro peccatis perſoluto, pleniſſimè Deo ſatisfecit: Neque enim vlla res creata tanti eſſe potuit quæ nos tam graui debito liberaret. Hoc indicat D. Ioannes 1. epiſtolæ cap. 2. cùm ait: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Fuit enim ſatisfactio Chriſti in cruce plena & cumulata, & ſcelerum omnium rationi, quæ in hoc ſæculo cõmiſſa ſunt pariter æqualiterq́; reſpondens, cuiuſq́ue pondere & merito hominum actiones apud Deum plurimum valent, ac ſine eo nulla prorſus æſtimatione digna habentur. Hoc etiam ipſum videtur ſignificare Dauid Propheta Pſalm. 115. qui poſtquam ſecum ipſe reputans hæc verba protuliſſet: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? nihil præter hanc ſatisfactionẽ quàm calicis nomine expreſſit, dignum tot tantiſq́; beneficijs inuenire potuit: Quare ſubiecit, Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo. Satisfactio ſecundi generis eſt ſacramentalis, hoc eſt, propria eorum qui pœnitentiam ſacramentalem ſubeunt; penditur enim Deo pro peccatis ex præcepto ip-

tepto ipſius ſacerdotis in ſacramento pœnitentiæ. Poſtremi generis ſatisfactio eſt communis omnibus pœnitentibus.

Eſt Catechiſmi. §. Quo in genere.

Erit manifeſta ex ſequentibus.

QVÆSTIO XXIX.

Quid eſt Satisfactio ſacramentalis?

CONCLVSIO VNICA.

Satisfactio ſacramentalis nihil aliud eſt, quàm ſolutio pœnæ quæ ex præcepto ſacerdotis Deo pro peccatis dependitur, cum animo & deliberatione peccata in poſterum omni ſtudio vitandi.

Eſt Catech. §. Sed illa tantùm ſacramenti pars cēſenda eſt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 12. art. 3.

Quòd ſatisfactio includat propoſitum vitandi peccata in poſterum, patet ex definitionibus Patrum & DD. Eccleſiæ.

Ita enim nonnulli ſatisfactionem definiuerunt: Satisfacere, eſt Deo debitum honorem impendere: Quòd autem nemo debitum honorem Deo poſſit tribuere, niſi qui peccata omninò vitare inſtituat, ſatis apparet. Eſt definitio D. Anſelmi lib. 2. Cur Deus homo. cap. 11.

Et, Satisfacere eſt peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtioni aditum non indulgere. Eſt definitio D. Auguſtini lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 54.

Et apertiùs in eandem ſententiam, alij definiuerunt, ſatisfactionem eſſe purgationem, quâ eluitur quicquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit, atque à pœnis tempore definitis quibus tenebamur, abſoluimur.

DIFFICVLTAS I.

An dimiſſâ culpâ remaneat adhuc aliqua pœna temporaria perſoluenda?

Dicendum remanere:

Vt hoc benè intelligatur ſciendum eſt, duo eſſe quæ peccatum conſequuntur, Macula, & pœna, Ac quamuis ſemper culpâ dimiſſâ, ſimul etiam æternæ mortis ſupplicium apud Inferos cõſtitutum condonetur, tamen non ſemper cõtingit, quemadmodùm à Tridentina Synodo declaratum eſt Seſſ. 14. de pœnitent. can. 8. vt Dominus peccatorum reliquias & pœnam certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, remittat.

Huius rei perſpicua ſunt exempla in ſacris litteris, Geneſ. 3. cap. Numer. 12. & 20. & alijs permultis locis. Sed illud Dauidis clariſſimum & maximè illuſtre intuemur, Cui etſi Nathan dixerat, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*: is tamen grauiſſimas pœnas vltrò ſubijt, Dei miſericordiam his verbis, noctes dieſq; implorans: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatē meam ego cognoſco, & peccatum meum contrà me eſt ſemper*. Quibus verbis illud petitum eſt à Domino, vt nõ ſolùm crimen, ſed pœnam etiam crimini debitam condonaret, atque à peccati reliquijs purgatum, in priſtinum decoris & integritatis ſtatum reſtitueret. Atque hæc cùm ſummis precibus peteret, eum tamē Dominus tum filij ex adulterio ſuſcepti, tum Abſalonis, quem vnicè diligebat, defectione & morte mulctauit, alijſq; pœnis & calamitatibus affecit, quas illi anteà intentârat. In Exodo etiam, etſi Dominus Moyſis precibus exoratus, populo Idolatræ pepercerat, tamen minatus eſt ſe tanti flagitij graues

pœnas re-

pœnas repetiturum eſſe; Ipſeque Moyſes teſtatus eſt fore, vt illud Dominus ſeueriſsimè in tertiā & quartam vſque generationem vlciſceretur.

Hæc eadem doctrina probatur traditione eccleſię catholicæ, quam ſanctorum Patrum auctoritates & teſtimonia apertè demonſtrant, D. Auguſtini in Enchiridio c. 70. D. Hieronymi in epitaphio Paulæ epiſtola 27. D. Ambroſij lib. 1. de Pœnit. cap. 16. & lib. 2. cap. 5. & aliorum.

DIFFICVLTAS II.

Quare omnis pœna pœnitentiæ ſacramento æquè ac baptiſmo non condonatur?

Dicendum, huius rei plures eſſe cauſas, quas prę clarè ſancta Tridentina Synodus explicat his verbis.

Prima cauſa, Diuinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiātur, qui ante baptiſmum per ignorantiā deliquerint, aliter verò qui ſemel à peccati & Dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcientes templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint.

Secunda, Diuinam clemētiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta peccata leuiora putantes, veluti iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die irę. Proculdubio enim magnoperè à peccato reuocāt, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in poſterum pœnitentes efficiunt.

Tertia, Exiguntur ſatisfactiones noſtræ, vt tanquam teſtificationes quædam ſint doloris, quem ex commiſsis peccatis capimus, qua ratione Eccleſiæ fit

ſatis,quæ noſtris ſceleribus grauiter offenſa eſt.Nam vt Sanctus Auguſtinus ait ſuper Pſalmum 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit: Verùm quia plerũque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiã per verba,vel alia quæcumque ſigna procedit, rectè ab ijs qui eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ conſtituuntur,vt Eccleſiæ, in qua peccata ipſa remittũtur,ſatisfiat.*

Quarta, Prætereà pœnitentiæ noſtræ exempla alios docent, quomodo ipſi vitam inſtituere,& pietatem ſequi debeant. Cùm enim pœnas pro peccatis noſtris irrogatas cæteri homines intuentur, & ſummam cautionem ſibi in omni vita adhibendam & mores priſtinos corrigendos eſſe intelligunt.

Quinta, Deinde huiuſmodi pœnarum perpeſſione cõſequimur, vt capitis noſtri Ieſu Chriſti, in quo paſſus eſt ipſe &tentatus,ſimilitudinem & imaginem geramus. *Nihil enim tam deforme videri poteſt,* vt à Sancto Bernardo dictum eſt Serm. 5. de omnibus Sanctis,*quàm ſub ſpinoſo capite delicatum eſſe membrum.*Nam teſte Apoſtolo ad Roman. 8. cap. *Cohæredes ſumus Chriſti, ſi tamen compatimur.* Et 2. ad Timotheum 2. *Si commortui ſumus, & conuiuemus: Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.*

Sexta, Colligitur ex ſententijs quibuſdam D.Bernardi & aliorum Patrum. D. enim Bernardus Serm. de cœna Domini, duo affirmat in peccato reperiri, maculam animæ,& plagam.Ac turpitudinem quidé ipſam Dei miſericordiã tolli, verùm ſanandis peccatorum plagis valdè neceſſariam eſſe eam curam quæ in remedio penitentiæ adhibetur. Quemadmodùm enim ſanato vulnere cicatrices quædam remanent, quæ & ipſæ curandæ ſunt; Ita in anima,culpâ condonatâ ſuperſunt peccatorum reliquiæ purgandæ. Idé

D.Chry-

D. Chryſoſtomi ſententia confirmat Hom. 68. ad populum Antiochenum, cùm ait: *Non ſatis eſt ſagittã ex corpore extrahi, ſed plaga quoque à ſagitta inflicta ſanãda eſt; Sic etiam in anima poſt acceptam peccati veniam, pœnitentiâ curanda eſt plaga relicta.* Frequentiſsimè enim à Sãcto Auguſtino docemur & præſertim in Pſalm. 50. ad verſum, *Ecce enim veritatem*, &c. duo hęc in pœnitentia animaduertenda eſſe, Dei miſericordiam & Iuſtitiam: Miſericordiam, quâ peccata & pœnas ęternas illi debitas condonat: Iuſtitiam, quâ pœnis tempore definitis hominem punit.

Septima & poſtrema, Pœnitentiæ pœna à nobis ſuſcepta Dei animaduerſionem ſuppliciaque in nos conſtituta anteuertit. Ita enim docet Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. cap. cùm ait: *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

QVAESTIO XXX.

Vnde vim habet Satisfactio ſacramentalis?

CONCLVSIO VNICA.

Sacramentalis ſatisfactionis vis tota à Chriſti Domini paſsionis merito pendet.

Eſt Catech. §. Eius autem quanta vis ſit, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 13. art. 1.

Probatur & explicatur: Nam à merito Paſsionis omnibus honeſtis actionibus noſtris duo illa maxima bona conſequimur.

Vnum, vt immortalis gloriæ præmia mereamur: Ita vt calix etiam aquę frigidæ, quam in eius nomine dederimus mercede non careat;

Alterum, vt pro peccatis noſtris ſatisfaciamus.

QVAESTIO XXXI.

An ſatisfactio Sacramētalis obſcurēt ſatisfactionem Chriſti?

CONCLVSIO VNICA.

Satiſfactio ſacramentalis perfectiſsimam & cumulatiſſimam Chriſti Domini ſatiſfactionem non obſcurat, ſed potiùs clariorem & illuſtriorem reddit.

Eſt Catech. §. Neque verò perfectiſsimam, &c.

Ratio concluſionis eſt; Eò enim copioſior Chriſti gratia videtur eſſe, quòd non ſolùm ea nobiſcum communicantur quæ ipſe ſolus, ſed illa etiam quæ tanquam caput in membra ſuis ſanctis & iuſtis hominibus promeruit ac perſoluit: Qua ratione fieri perſpicuum eſt vt iuſtæ & honeſtę piorum actiones tantùm ponderis & dignitatis habeant. Chriſtus enim Dominus tanquam caput in membra, & vitis in palmites, gratiā ſuā in eos qui ſibi per charitatē coniuncti ſunt continenter infundit: Quæ quidem gratia bona opera noſtra ſemper antecedit, comitatur & conſequitur, & ſine qua mereri aut ſatiſfacere Deo nullo modo poſſumus. Atque ita fit vt iuſtis, nihil deeſſe videatur, cùm operibus quæ Dei virtute efficiunt, & diuinæ legi pro humana mortaliq́ue conditione ſatiſfacere, & vitam æternam, quam ſcilicet, ſi Dei gratia ornati è vita deceſſerint, conſequentur, mereri poſsint. Nota eſt enim illa Saluatoris vox Ioannis 4. *Qui autē biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

QVAESTIO XXXII.

Quot præcipuè requiruntur ad veram Satisfactionem?

CONCLVSIO VNICA.

Duo præcipuè in Satisfactione requiruntur; Primum eſt, vt is qui ſatisfacit iuſtus ſit ac Dei amicus: Alterum vt eiuſmodi opera ſuſcipiantur quæ naturâ ſuâ moleſtiam & dolorem afferant.

Eſt Catech. §. Sed duo præcipuè in Satisfactione, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 14. per totam & q. 15. art. 1.

Prior pars probatur. Opera enim quæ ſine fide & charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſūt.

Altera probatur. Cùm enim ſatisfactiones noſtræ præteritorum ſcelerum compenſationes ſint, &, vt Sanctus Cyprianus loquitur lib. 1. epiſtolarum epiſtola 3. *redemptrices peccatorum*, neceſſe eſt vt aliquid acerbitatis habeant.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ergo illi, qui vel patiendi conſuetudine, vel accenſa in Deum charitate exercent opera ſatisfactoria, & moleſtiſſimas quaſuis actiones ſine aliquo doloris ſēſu, nō ſatisfaciūt?

Dicendum, non idcirco fieri quo minus ea ipſa opera ſatisfaciendi vim habeāt, ſiquidē hoc propriū eſt filiorum Dei, ita eius amore & pietate inflammari, vt acerbiſſimis laboribus cruciati, aut nihil ferè incommodi ſentiant, aut omnia lætiſſimo animo perferant.

QVAESTIO XXXIII.

Quot ſunt ſatisfactoria opera?

CONCLVSIO VNICA.

Omne ſatisfactionis genus ad hæc tria opera conuenienter refertur, Orationē, Ieiunium, & Eleēmoſynā. Eſt Catech. §. Verum omne ſatisfactionis genus, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 13. art. 3.

Probatur tribus rationibus Theologicis; Prima, Satisfactio debet eſſe talis per quam aliquid nobis ſubſtrahimus ad honorem Dei quem per peccatum læſimus; Nos autem non habemus niſi tria bona, ſcilicet animæ, corporis, & fortunæ: Ex bonis fortunæ ſubſtrahimus nobis aliquid per eleēmoſynam: Ex bonis corporis per ieiunium, Ex bonis animæ non oportet quòd aliquid ſubſtrahamus quantum ad eſſentiam, quia per ea efficimur Deo accepti, ſed per hoc quod ea ſubmittimus Deo totaliter, quod fit per orationem.

Secunda, Satisfactionis eſt peccatorum radices extirpare, Nihil verò aptius & conuenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices eſſe poteſt, quàm Oratio, Ieiunium, & Eleēmoſyna: Nam cùm omne quod eſt in mundo, ſicut loquitur D. Ioannes, *aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*; nemo non videt hiſce tribus morbi cauſis totidem medicinas, priori ſcilicet Ieiunium, alteri Eleēmoſynam, tertiæ Orationem rectiſſimè opponi.

Tertia, Satisfactione ijs ſatisfit quos offendimus, Hi verò ſunt tres, Deus, proximus, noſipſi, Quare Deum oratione placamus, proximo eleēmoſynâ ſatisfacimus, noſipſos verò ieiunio caſtigamus.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VNICA.

An ærumnæ & calamitates quæ dum in hac vita ſumus exterius nos premunt, ſint ſatisfactoriæ?

Dicendum, eos qui patienti animo quicquid laborioſi & incommodi Deus immiſerit, ferunt, amplam ſatisfaciendi & merendi materiam nactos eſſe: Qui autem inuiti & repugnantes pœnam huiuſmodi ſuſtinent, omni ſatisfactionis fructu priuari, ſed Dei tantùm peccata iuſto iudicio vlciſcentis, animaduerſionem & ſupplicium perferre.

QVAESTIO XXXIIII.

An vnus ſatisfacere poſſit pro alio?

CONCLVSIO VNICA.

HVius tertiæ partis pœnitentiæ maximè proprium eſt, vt vnus poſſit pro altero ſatisfacere.

Eſt Catech. §. In eo vero ſumma Dei bonitas, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 13. art. 2.

Probatur & explicatur. Vt enim, quoad contritionem & confeſſionem attinet, nemo pro altero dolere aut confiteri poteſt, Ita qui diuina gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt quod Deo debetur perſoluere: Fitque quod monet Apoſtolus ad Galatas 6. cap. vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur.

Confirmatur articulo ſymboli Apoſtolici, quo Sanctorum communionem confitemur. Nam cùm omnes eodem baptiſmo abluti Chriſto renaſcamur, eorundem ſacramentorum participes ſumus; Imprimis verò cum eiuſdem corporis & ſanguinis Chriſti Domini cibo & potu recreamur, hoc apertiſsimè demóſtrat nos omnes eſſe eiuſdem corporis membra;

Quemadmodùm igitur neque pes ſuæ tantùm, ſed etiam oculorum vtilitatis cauſa, munere ſuo fungitur, neque rurſus quod oculi videãt ad illorum propriam, ſed ad communem omnium membrorum vtilitatem referendum eſt: Ita communia inter nos ſatisfactionis officia exiſtimari debent.

DIFFICVLTAS VNICA.

An tantum fructum conſequitur ille pro quo ſatisfit, quàm ſi ipſe pro ſe ipſo ſatisfaceret?

Dicendum, quòd non, ſi omnem fructum qui ex ſatisfactione capi poteſt, ſpectemus: Nam ſatisfactionis opera prꝺterquam quod ſoluunt pœnam temporariam peccatis noſtris debitam, medicinæ etiam & curationes quędam ſunt quæ pœnitenti ad ſanandos prauos affectus præſcribuntur: Quo quidem vtilitatis fructu, eos qui per ſe non ſatisfaciunt prorſus carere perſpicuum eſt.

QVAESTIO XXXV.

An reſtitutio ad ſatisfactionem ſacramentalem pertineat?

CONCLVSIO VNICA.

Non pertinet quidem; Qui tamen de re aut de exiſtimatione proximi aliquid detraxerit, non eſt à ſacerdote abſoluendus, niſi prius quæ cuiuſq; fuerint reſtituere polliceatur.

Eſt Catech. §. Sed illud imprimis à ſacerdotibus.

Ex hac concluſione ſequitur, eos qui etſi prolixè polliceantur ſe officio ſatis eſſe facturos, tamen certum eſt ac deliberatum nunquam promiſſa exſoluere, omninò cogendos eſſe antequam abſoluantur. vt reſtituant, ſæpeque illud Apoſtoli ad Epheſios 4. eis in-

eis inculcandum eſt: *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti.*

QVAESTIO XXXVI ET POSTREMA.

Quales & quantæ ſatisfactiones pœnitentibus ſunt imponendæ?

CONCLVSIO I.

IN *irrogandis ſatisfactorijs pœnis ſacerdotes hanc regulã perpetuò obſeruabunt, vt nihil pro ſuo arbitratu, ſed omnia Iuſtitiâ, prudentiâ, & pietatè conſtituant.*

Eſt Catech. §. In irroganda autem, &c.

CONCLVSIO II.

VT *ad hanc regulam peccata metiri videantur, & pœnitentes ſuorum ſcelerum grauitatẽ magis agnoſcãt, operæpretium erit eis interdùm ſignificare, quæ pœna quibuſdam delictis ex veterum canonum præſcripto, qui pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint.*

Eſt Catech. §. Atque vt hac regula, &c.

CONCLVSIO III.

EX *omni ſatisfactionum genere maximè conuenit pœnitentibus præcipere, vt certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus & præſertim pro ijs, qui ex hac vita in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant.*

Eſt Catech. §. Sed ex omni ſatisfactionum genere, &c.

CONCLVSIO IIII.

HOrtari *etiam pœnitentes oportet vt ſæpè eadem ſatisfactionis opera à ſacerdote indicta vltrò ſuſcipiãt*

ac repetant, atque ita mores ſuos componant, vt ijs omnibus, quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent, diligenter abſolutis, tum virtutis pœnitentiæ ſtudia nunquam intermittant.

Eſt Catech. §. Hortari verò etiam eos, &c.

CONCLVSIO V. ET POSTREMA.

QVòd ſi interdum etiam ob publicam offenſionem publica pœnitentia præſcribenda fuerit, quamuis etiam pœnitens refugiat ac deprecetur, non erit facile audiendus, verùm perſuadere ei oportebit vt quæ tum ſibi, tum alijs ſalutaria futura ſunt, libenti atque alacri animo ſuſcipiat.

Eſt Catech. §. Quod ſi interdum, &c. Neque eget maiori explicatione.

Hæc de Pœnitentiæ Sacramento, ſingulíſque eius partibus ſufficiunt.

CAPI.

CAPITIS V.

ELVCIDATIO.

DE EXTREMAE VNCTIONIS SACRAMENTO.

INITIO huius capitis duo cum Catechiſmo paſtoribus & Catechiſtis animaduertenda ſunt.

Primum, Cauſæ propter quas oportet illos diligenter populum fidelem de Extremæ vnctionis ſacramento docere.

Alterum, fructus qui ex hac doctrina proueniat.

Cauſæ duæ ſunt præcipuæ; Prima, Quia illarum rerum myſteria, quæ ad ſalutem pertinent, aperire & explicare maximè conuenit.

Altera, quia Extremę vnctionis ſacramentum nō poteſt ſupremi illius diei memoriam non habere; fideles autem moriēdi neceſsitatem omnibus propoſitam eſſe animo repetentes, prauas cupiditates coërcebunt. Sic docet Eccleſiaſticus 7. cap. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternū non peccabis.*

Fructus qui ex hac doctrina colligitur eſt maximus. Fideles enim à prauis cupiditatibus ſe coërcentes, in ipſa mortis expectatione ſe minus perturbari ſentient, quinimò immortales Deo gratias agēt, qui vt baptiſmi ſacramento aditum nobis ad veram vitā patefecit: ita etiam vt ex hac mortali vitā decedētes expeditiorem ad cælum viam haberemus, Extremæ vnctionis ſacramentum inſtituit.

QVAE.

QVAESTIO I.

Quare hoc ſacramentum vocatur Extrema Vnctio? Et: Quibus prætereà nominibus appellari ſolet?

CONCLVSIO I.

Hoc ſacramētum idcirco Extrema vnctio appellatur, quòd hæc omnium ſacrarum vnctionum, quas Dominus Saluator noſter Eccleſiæ ſuæ commendauit, vltima adminiſtranda ſit.

Eſt Catech. §. Vt igitur quæ ad eam explicationē, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 33. art. 1. ad 2.

CONCLVSIO II.

HAEc ipſa vnctio à maioribus, ſacramentum etiam vnctionis infirmorum, & ſacramentum exeuntium dicta eſt.

Eſt Catech. §. Quare hæc ipſa vnctio, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 31. art. 1. ad 2.

Vide tit. de ſacra vnctione in Decretalibus, Hugonem de ſacramentis p. 15. cap. 2. Petrum Damianum Serm. 1. de dedicatione Eccleſiæ, & alios.

QVAESTIO II.

An Extrema vnctio ſit verè ſacramētum nouæ legis?

CONCLVSIO VNICA.

EXtremæ vnctioni propria ſacramenti nouæ legis ratio conuenit.

Eſt Catech. §. Quòd autem Extremæ vnctioni, &c. Et D. Thom. in ſup. q. 29. art. 1.

Proba-

Probatur tripliciter; Primò, auctoritate ſcripturæ ſacræ. Si enim verba, quibus Sanctus Iacobus Apoſtolus cap. 5. huius ſacramenti legem promulgauit, attendantur, concluſio erit maximè perſpicua: *Infirmatur quis in vobis?* (inquit) *inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, et ſi in peccatis eſt, remittentur ei:* Nam quòd peccata condonari affirmat Apòſtolus, in eo declarat vim & naturam ſacramenti nouæ legis.

Secundò, Eccleſiæ catholicæ traditiòne. Hanc enim Eccleſiæ catholicæ de extrema vnctione perpetuam doctrinam fuiſſe plura Concilia teſtantur, Conſtantienſe, Florentinum, Cabylonenſe can. 48. Vormatienſe can. 72. & nouiſsimè Tridètinum Seſſ. 14. cap. 1. can. 1.

Poſtremò, auctoritate Innocentij primi, qui in epiſtolis 1. ad Decentium cap. 8. hoc ſacramentum fidelibus maximè commendat, Ibi enim, loquens de oleo infirmorum ſic ait: *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti; Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe cõcedi?*

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm in hoc Sacramento ſint plures vnctiones, an vnum ſacramentum dicendum ſit, an plura?

Dicendum, eſſe vnum non plura, quamuis per plures vnctiones adminiſtretur, quarum ſingulis propriæ preces & peculiaris forma adhibenda ſit, vnum videlicet non partium continuatione, quæ diuidi non poſsint, ſed perfectione; Cuiuſmodi ſunt cætera omnia quæ ex pluribus rebus conſtant. Nam quemadmodùm Domus quæ ex multis & diuerſis partibus compoſita eſt, vna tãtùm forma perficitur:

Ita hoc

Ita hoc ſacramentum etſi ex pluribus rebus & verbis conſtituitur, vnum tamē ſignum eſt, & vnius rei quā ſignificat efficientiam habet.

Eſt etiam doctrina D. Thom. in ſupp. q. 29. art. 2.

QVAESTIO III.

Quæ eſt materia Extremæ Vnctionis?

CONCLVSIO VNICA.

Elementum ſiue materia Extremæ vnctionis, eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum.

Eſt Catech. §. Eius igitur elementum, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

Nomine olei hoc loco intelligitur liquor non ex quauis pingui & craſſa materia, ſed ex olearū baccis tantummodò expreſſus.

Quòd oleum ſit conueniens materia huius ſacramenti patet: Nam aptiſsimè ſignificat illud quod vi ſacramenti interius in anima efficitur.

Confirmatur & explicatur. Vt enim oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit: Ita huius ſacramenti virtus animæ triſtitiam & dolorem minuit. Pręterea Oleum ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tāquam pabulum præbet, ad recreandas etiam defatigati corporis vires maximè accommodatum eſt: Quæ omnia quid in ęgroto diuina virtute per huius ſacramenti adminiſtrationem efficiatur, ſatis apertè declarant.

QVAESTIO IIII.

Quæ eſt forma huius Sacramenti?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

Forma huius ſacramenti eſt verbum & ſolẽnis illa precatio quã ſacerdos ad ſingulas vnctiones adhibet, cum inquit: Per iſtam ſanctam vnctionẽ indulgeat tibi Deus quicquid oculorum, ſiue narium, ſiue tactus vitio deliquiſti.

Eſt Catech. §. Forma verò ſacramenti, &c. Et D. Thom. ſup. art. 7.

Quòd hæc vera ſit & propria huius ſacramenti forma; Sanctus Iacobus Apoſtolus cap. 5. ſignificat cùm ait: *Et orent ſuper eum, & oratio fidei ſaluabit infirmũ.*

Probatur quoq; traditione apoſtolica; Hæc enim forma ad nos vſque fideli Patrum traditione promanauit, ita vt omnes Eccleſiæ eam formæ rationem retineant, quâ omnium mater & magiſtra ſancta Romana Eccleſia vtitur. Nam etſi aliqui nonnulla verba immutãt cum pro *Indulgeat tibi Deus*, ponunt *Remittat*, vel, *Parcat*, interdum etiam *Sanet quicquid commiſiſti*, &c. tamen quia nulla fit ſententiæ mutatio, cõſtat eandem ab omnibus formam religioſè ſeruari.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cur factum eſt, vt aliorum Sacramentorum forma vel abſolutè ſignificet quod efficit, vt cùm dicimus, Ego te baptizo, aut ſigno te ſigno crucis, Vel tanquam ab imperantibus pronuntietur, vt cùm in ſacramento Ordinis adminiſtrando dicitur, Accipe poteſtatem, &c. Hæc vna verò Extremæ Vnctionis forma precatione quadam abſoluatur?

Dicendum, id optimo iure cõſtitutum eſſe; Nam cùm hoc ſacramẽtum propterea adhibeatur, vt præter ſpiritualem gratiam quam tribuit, ſanitatem etiã reſtituat ægrotis: tamen quia non ſemper ſequitur vt ægri à morbis conualeſcant, ob eam cauſam precatione forma conficitur, vt à Dei benignitate id impetre-

impetremus, quod ſacramenti vis conſtanti & perpetuo ordine conficere non ſolet.

QVAESTIO V.

An cum formâ debeant etiam in adminiſtratione huius ſacramenti ritus quidam adhiberi? Et qui ſint illi?

CONCLVSIO I.

Sicuti in aliorum, ita & in huius ſacramenti adminiſtratione ritus quidam proprij adhiberi debent.

Eſt Catech. §. Adhibētur autem ritus proprij, &c.

Quare adhibeantur, dictum eſt initio cùm de ſacramentis in genere ageremus.

CONCLVSIO II.

Maxima pars rituum huius ſacramenti precationes continet, quibus ſacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam vtitur.

Eſt Catech. §. Sed eorum maxima pars, &c.

Patet ex Parochiali & agēdis ſingularũ diœceſũ.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare hoc Sacramentum tam multis precibus conficitur.

Dicendum, rectè quidem hoc fieri; quoniã mortis ferè inſtantis articulo, quo ſolet hoc ſacramētum conferri, fideles pijs obſecrationibus maximè adiuuandi ſunt.

MONITIO.

Ex hac doctrina ſequitur tum alios omnes, quos tunc adeſſe contigerit, tũ præcipuè Parochos debere orare Deum ex animo, & eius miſericordiæ laborãtis vitam & ſalutem omni ſtudio commendare.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Quis eſt auctor huius Sacramenti? &, quis illius primus promulgator eſt?

CONCLVSIO I.

Hvius Sacramenti inſtitutio à Chriſto Domino profecta eſt.

Eſt Catech. §. Verum cum demonſtratum ſit, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 29. art. 3.

Conſtat ex ijs quæ ſuperius ſecunda quæſtione diximus. Nam benè ſequitur, Extrema vnctio verè & propriè in numero ſacramentorum habenda eſt; Ergo eſt à Chriſto inſtituta, qui ſolus eſt auctor ſacramentorum.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Sacramentum Extremæ vnctionis poſtea à Sancto Iacobo Apoſtolo fidelibus propoſitum & promulgatum eſt.

Eſt Catech. §. Quæ poſtea à Sancto Iacobo, &c. Et D. Thom. ſup. in reſponſione ad 2.

Promulgatio hæc habetur Iacobi 5. cap. *Infirmatur quis in vobis*, & quæ ſequuntur.

Vtraque concluſio probatur & confirmatur dupliciter. Primò, auctoritate ſcripturæ ſacræ, Marci 6. cap. vbi Saluator noſter huius vnctionis ſpecimen quoddam dediſſe viſus eſt, cùm Diſcipulos ſuos binos & binos ante faciem ſuam miſit. De quibus ita Euangeliſta ſcribit: *Euntes prædicabãt vt pœnitentiã agerent, & Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos & ſanabant.*

Secundò, auctoritate Sanctorũ Patrum Dionyſij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Gregorij magni, & aliorũ plurimorum qui aſſerunt vnctionem iſtam non ab Apoſtolis inuentam eſſe, ſed à Domino præceptã, non naturali aliqua virtute prẹditam, ſed myſticam, potius ad ſanandos animos, quàm ad curanda corpora inſtitutam eſſe.

QVAESTIO VII.

Quibus adminiſtrari debet vel non debet hoc Sacramentum?

CONCLVSIO I.

P*Rimò non debet ijs miniſtrari qui ſano & firme ſunt corpore.*

Eſt Catech. § Ac primùm excipiuntur, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 32. art. 1

Docet hanc Iacobus Apoſtolus cap. 5. cùm inquit: *Infirmatur quis in vobis.*

Et ratio oſtendit; Siquidem ob eam rem inſtituta eſt Extrema vnctio non modò vt animæ, ſed etiam vt corpori medicinam afferat; Cùm ergo illi tantùm qui morbo laborant curatione indigeant, idcirco etiam ijs qui adeò periculoſè ægrotare videntur, vt ne ſupremus illis vitẹ dies inſtet metuendum ſit, hoc ſacramentum præſtari debet.

Ex hac cõcluſione vlteriùs ſequitur, nemini qui grauiori morbo affectus non ſit ſacramentum hoc dare licere, tametſi vitæ periculum adeat, vel quia periculoſam nauigationem parat, vel quia prælium initurus eſt, à quo illi certa mors impẽdeat, vel etiam ſi capitis damnatus ad ſupplicium rapiatur; quia nimirum, nullus horum infirmatur.

MONITIO.

Hoc loco admonendum eſt quoſdam grauiſsimè peccare, illos videlicet, qui illud tempus vngendi ægroti obſeruare ſolent, cùm iam æger omni ſpe ſalutis amiſſa, vitâ & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad vberiorem ſacramenti gratiam percipiendã plurimùm valere, ſi ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur.

CONCLVSIO II.

Deinde nec ijs adminiſtrari debet qui vſu rationis carent.

Eſt Catech. §. Omnes prætereà,&c.Et D.Thom. ſup. art. 3. & 4.

Patet ex ijs quę de ſacramentis in genere diximus.

CONCLVSIO III.

Prætereà non debet adminiſtrari pueris.

Eſt Catech. §. Et pueri qui nulla, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

Ratio eſt; quia pueri nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare huius ſacramenti remedio opus ſit.

DIFFICVLTAS VNICA.

An amentibus & furioſis adminiſtrari debeat hoc Sacramentum?

Dicendum, non debere adminiſtrari, niſi interdũ vſum rationis haberent, & eo potiſsimùm tempore pij animi ſignificationem darent, peterentque vt ſacro oleo vngerentur. Nam qui ab ipſo ortu nunquã mentis & rationis compos fuit, vnguendus non eſt:

Secùs verò ſi ægrotus cùm mente adhuc integra huius ſacramenti particeps fieri voluiſſet, poſteà in inſaniam & furorem incidit.

QVAESTIO VIII.

An oẽs corporis partes inungi debeãt?

CONCLVSIO I.

Non ſunt omnes corporis partes inungẽdæ, ſed eæ imprimis, quas veluti ſenſuum inſtrumenta, homini natura attribuit: Oculi propter viſionem, aures propter auditũ, nares propter odoratum, os propter guſtum vel ſermonem; manus propter tactum, qui etſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in ea tamen parte maximè viget.

Eſt Catech. §. Non ſunt autem omnes, &c. Et D. Thom. ſup. art. 5.

Probatur dupliciter; Primò, ritu vniuerſalis Eccleſiæ, ſecundum quem præfatæ partes inungi ſolẽt. Deinde ratione: Nã hic modus vngẽdi naturę hui' ſacramẽti optimè conuenit: Eſt enim inſtar medicamẽti. In corporis autẽ morbis, quãuis vniuerſũ corpus malè affectum ſit, tamẽ illi tantùm parti curatiõ adhibetur, à qua tanquam à fonte & origine morbus manat. Idcirco non totum corpus, ſed ea membra in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet, vnguntur.

CONCLVSIO II.

Vnguntur quoque renes.

Eſt Catech. §. Renes etiam veluti, &c. Et D. Thom. ſup. Ratio eſt, quia ſunt veluti libidinis & voluptatis ſedes.

CONCLVSIO III.

Poſtremò vnguntur pedes.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Pedes etiam. Et D. Thom. ſup. Nam pedes ſunt ingreſſus, & ad locum peccatorum mouendi principium.

QVAESTIO IX.

An hoc Sacramentum poſſit iterari?

CONCLVSIO I.

Quòd ſi æger poſt ſuſceptam ſemel huius ſacramenti vnctionem conualuerit, quoties poſteà in id vitæ diſcrimen inciderit, toties eiuſdem ſacramenti ſubſidium ei poterit adhiberi.

Eſt Catech. §. Quòd ſi poſt ſuſceptam. &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 34. art. 1.

Ratio reddita eſt, cùm ageretur de ſacramentis in genere.

CONCLVSIO II.

IN vna eademq́ue ægrotatione, cùm æger in eodem vitæ periculo poſitus eſt, ſemel tantùm vngendus eſt.

Eſt Catech. §. In quibus illud obſeruare oportet, &c. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Ratio eſt clara: Quia aliàs fieret ſacramento iniuria, quaſi minus efficax eſſet.

QVAESTIO X.

Quæ præparatio requiritur in ſuſcipientibus hoc Sacramentum?

CONCLVSIO I.

SVſcepturi hoc Sacramentum, primò curabunt ſibi pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtrari.

Eſt Catech. §. Quoniam verò omni ſtudio, &c.

Conſtat eccleſiæ catholicæ conſuetudine, quę ſic perpetuò obſeruauit,

Idem ratio ſatis oſtendit, quæ docet omni ſtudio curare oportere, ne quid ſacramenti gratiam impediat; Ei verò nihil magis aduerſatur, quàm alicuius peccati mortiferi conſcientia, quod ſolo pœnitentiæ ſacramento tolli poteſt.

CONCLVSIO II.

DEinde ea fide ſe vngendos ſacerdoti prabebunt, quâ olim qui ab Apoſtolis ſanandi erant ſe ipſos offerre conſueuerant.

Eſt Catech. §. Ac deinde. Et eſt ſatis clara.

CONCLVSIO III.

PRæterea vt imprimis petant ac expectēt animæ ſalutē, deinde corporis valetudinem, cum illa adiunctione, ſi ea ad æternam gloriam profutura ſit.

Eſt Catech. §. Imprimis autem.

DIFFICVLTAS VNICA.

Qua ratione fideles ad hoc ſacramentum tempeſtiuè ac ſanctè ſuſcipiendum cohortandi & inducendi ſunt?

Si doceantur dubitare non debere, quin ſacræ illæ & ſolennes preces à Deo audiantur, quibus ſacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ & Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam gerens, vtitur.

QVAESTIO XI.

Quis eſt miniſter huius Sacramenti?

CONCLVSIO I.

ADminiſtratio huius ſacramenti commiſſa eſt ſacerdoti, qui ſicut in alijs ſacramentis, ita & in huius adminiſtratione Chriſti Domini noſtri, & ſanctæ Eccleſiæ eius ſponſæ perſonam ſuſtinet.

Eſt Catech. §. Iam verò quis Extremæ vnctionis, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 31. per totam.

Diſcimus hanc concluſionem ex Apoſtolo Iacobo 5. cap. Inquit enim: *Inducat presbyteros*.

Nomine presbyterorum hoc loco non eos ſignificat, qui ætate prouectiores ſunt, aut qui in populo principem locum obtinent (vt volũt hæretici noſtri temporis) ſed ſacerdotes, qui ab ipſis Epiſcopis per manuum impoſitionem ritè ordinati ſunt. Sic enim exponit hunc locum Concil. Trident. Seſſ. 14. de extrema vnctione can. 3. & can. 4.

CONCLVSIO II.

Neque cuiuis ſacerdoti, ſed proprio, qui Iuriſdictionem habeat, ſiue alteri, cui ille eius muneris fungendi poteſtatem fecerit.

Eſt Catech. §. Neque tamen, &c.

Patet ex ſanctæ Eccleſiæ decreto, in clement. 1. de priuilegijs: Vbi generatim omnibus ſacerdotibus interdictum eſt ſub excommunicatione, ne quis adminiſtret hoc ſacramentum, aut Euchariſtiam, aut Matrimonium, aut abſolutionem ei, qui nõ ſit ſuus ſubditus proprius, ſine legitima ad id facultate, per priuilegium Sedis Apoſtolicæ, aut de licentia Parochi.

QVAESTIO XII.

Qui ſunt effectus huius Sacramenti?

CONCLVSIO I.

Primus huius Sacramenti effectus eſt gratia, quæ peccata & imprimis leuiora, & vt communi nomine appellantur, venialia remittit.

Eſt Catech. §. Docebunt igitur paſtores, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 30. art. 1.

Dico, *Et imprimis leuiora*, quia exitiales culpæ, quæ communi nomine mortalia peccata vocantur, pœnitentiæ ſacramento tolluntur. Neque enim hoc ſacramentum primario loco ad grauiorum & mortalium criminum remiſsionem inſtitutum eſt, ſed Baptiſmus tantùm, & Pœnitentia vi ſua propria hoc efficiunt.

CONCLVSIO II.

SEcundus effectus eſt, Liberatio animæ à languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & à cæteris omnibus peccati reliquijs.

Eſt Catech. §. Altera eſt ſacræ vnctionis, &c. Et D. Thom. ſup. art. 1.

Probatur & explicatur. Nam Extremæ vnctionis ſacramentum ritè ſuſceptum efficit, vt animus pio & ſancto gaudio repleatur, quo omnis timor mortis & anxietas, necnon ſollicitudo, quæ ex recordatione peccatorum commiſſorum & inſtantis iudicij extremi tunc temporis in anima exoriuntur, pelluntur.

CONCLVSIO III.

TErtius effectus eſt, collatio ſpiritualiũ virium, quibus diaboli vim & impetum, qui tunc maximè nos impugnat, frangere, & illi fortiter repugnare poſsimus.

Eſt Catech. §. Præterea aliud etiam.

Nam vt D. Iacobus ait ſupra, hoc ſacramento alleuiatur ægri animus, diuinæ ſcilicet bonitatis ſpe, eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert leuius, ac ipſius Dęmonis calcaneo inſidiantis artificium & calliditatem facilius eludit.

CONCLVSIO IIII.

POſtremus effectus eſt, ſanitas corporis, ſiquidem illa ad ſalutem animæ profutura ſit.

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Accedit poſtrema,&c. Et D.Thomæ ſup. art. 2.

Clara eſt ex verbis D.Iacobi ſæpiùs allegatis.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vnde ſit vt ægri per hoc ſacramentum rariùs ſanitatem corporis conſequantur?

Dicendum,id fieri non ſacramenti vitio,ſed eam potiùs ob cauſam, quòd eorum magna pars vel qui ſacro oleo perunguntur,vel à quibus adminiſtratur, fides infirmior eſt. Teſtatur enim Euangeliſta Matthæus 13. cap. Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter incredulitatem illorum.

Poteſt etiam rectè reſponderi poſt D. Gregoriũ Hom. 9. in Euangelia, Chriſtianam religionem,ex quo altius tanquam radices egit in animis hominũ, minus iam huiuſmodi miraculorum adminiculis indigere,quàm olim naſcentis Eccleſiæ initio neceſſaria eſſe viderentur.

Hæc de Extremę Vnctionis Sacramento breuiter dicta,pro noſtro inſtituto ſufficiunt.

CAPITIS VI. ELVCIDATIO.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

ANTE explicationem doctrinæ huius ſacramenti, quatuor cum Catechiſmo præmittenda ſunt.

Primum, quæ ſint cauſæ propter quas Paſtores & Catechiſtæ debeant populum docere de ſacramento Ordinis.

Secundũ, ad quos ſpectat fructus huius doctrinę.

Tertium, quæ ſit dignitas ſacramenti Ordinis.

Poſtremum, qua intentione huic ſacraméto initiari oporteat.

Quòd ad primum attinet, dicendum eſt, duas eſſe cauſas principuas, propter quas parochi magnâ diligentiâ ſacramentum Ordinis populo exponere debeant.

Prima, quia ſine cognitione illius non poterit aliorum ſacramétorum, quibus ad ſalutem neceſſariò vti debet, naturã cognoſcere. Nam reliqua ſacraméta ita ab iſto pendent, vt ſine illo neque confici, neque populo miniſtrari poſsint.

Secunda, quia niſi populus dignitatem & præſtátiam huius ſacramenti agnoſcat, reliquis ſacramentis ſolennem cæremoniam & religioſum cultum, quem merétur non exhibebit, vt hodie videmus, apud nouatores & hæreticos.

Ad ſecundum, ad quos videlicet fructus huius doctrinæ pertineat, dicendum eſt, primum ad ipſos parochos; deinde ad alios qui eccleſiaſticę vitæ rationé

ingreſsi

ingreſsi ſunt, poſtremò etiam ad reliquum fidelem populum.

Ad Parochos quidem, quia dum in huius ſacramenti tractatione verſantur, ad eam gratiam, quam hoc ſacramento adepti ſunt, magis commouentur.

Ad alios quoque ſacris initiatos; Nam audientes hanc doctrinam, & eodem pietatis ſtudio quo parochi afficiuntur, & inſtructi harum rerum cognitione, viam ſibi ad vlteriores gradus faciliùs munire poſſunt.

Ad fidelem etiam populum; Nam primum ex hac doctrina intelligit, quo honore digni ſint Eccleſiæ miniſtri: Deinde ſæpè contingit vt cùm hæc docetur, multi adſint, vel qui ſpe liberos ſuos adhuc infantes Eccleſiæ miniſterio deſtinârint, vel qui ſua ſponte & volũtate illud vitæ genus ſequi velint, quos certè minimè ignorare æquum eſt, quæ præcipuè ad hanc rationem pertinent.

Ad tertium, quæ ſit huius ſacramenti dignitas, dicendum eſt, quòd ſi ſummum eius gradum, hoc eſt, ſacerdotium ſpectemus, tanta eſt illius nobilitas & excellentia, vt nulla maior in terris inueniri aut excogitari poſsit. Nam Epiſcopi & ſacerdotes tanquam Dei interpretes & internuntij quidam ſunt, qui eius nomine diuinam legem & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei in terris perſonam gerunt. Vnde meritò non ſolum *Angeli* apud Malachiam 7. cap. ſed *Dij* etiam Exodi 22. quod Dei immortalis vim & numen apud nos teneant, appellantur. Et quamuis hæc vera ſint de omnibus ſacerdotibus, qui ante legem, & ſub lege fuerunt, tamen magis vera ſunt de ſacerdotibus nouæ legis, qui cæteris omnibus dignitate & honore antecellunt. Pòteſtas enim tũ corpus

& ſan-

& ſanguinem Domini noſtri conficiendi & offerendi, tum peccata remittendi quæ eis collata eſt, vt poſteà oſtẽdemus, humanam quoque rationem atque intelligentiam ſuperat, ita vt nihil ei par & ſimile in terris inueniri queat. Deinde quemadmodùm Saluator noſter à Patre, Apoſtoli autem & Diſcipuli in vniuerſum mundum à Chriſto Domino miſsi ſunt: Ita quoque ſacerdotes eâdem quâ illi poteſtate præditi, & ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti mittũtur.

Ex hac doctrina duo inferri poſſunt. Primum, huius tanti officij munus nemini temerè imponendum eſſe, ſed ijs tantùm qui illud vitæ ſanctitate, doctrinâ, fide, prudentiâ ſuſtinere poſsint.

Alterum, neminem debere ſibi ſumere hunc honorem, vt docet Apoſtolus ad Hæbreos 5. cap, ſed qui vocantur, tanquam Aaron. Vocari autem à Deo dicuntur, qui à legitimis Eccleſiæ miniſtris vocãtur. Nam qui in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inferunt atque intrudunt, de his Dominum locutum eſſe dicendum eſt, cùm inquit, Ieremiæ 23. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant*: Quo quidem hominum genere nihil infœlicius ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt.

Ad poſtremum, qua intentione huic ſacramento initiari oporteat, dicendum eſt, eos qui ſacris initiari volunt, eccleſiaſtica munera eius vnius rei cauſa ſuſcipere debere, vt Dei honori inſeruiant.

Hic locus diligentiùs tractandus eſt, quò grauiùs ea in re hoc tempore peccare fideles ſolent.

Alij enim eo conſilio ad hanc viuendi rationem ſe conuertunt, vt quæ ad victum veſtitumq́ue neceſſaria ſunt, parent; ita vt præter quæſtum, nihil aliud

in ſacer-

in ſacerdotio, quemadmodùm vulgò cæteri omnes in quouis ſordidi artificij genere ſpectare videãtur. Quamuis enim ex Apoſtoli ſententia 1. ad Corinth. 9.cap. natura & lex diuina iubeat, vt qui altari ſeruit, ex altari viuat; tamen quæſtus & lucri cauſa ad altare accedere, maximum ſacrilegium eſt;

Alios honorum cupiditas & ambitio ad ſacerdotalem ordinem ducit;

Alij verò vt diuitijs affluant, initiari volunt.

Huius rei illud argumento eſt, quòd niſi opulentum aliquod eccleſiaſticũ beneficium eis deferatur, nullam ſacri ordinis cogitationem habent. Hi ſunt quos Saluator noſter Ioannis 10. mercenarios appellat, & quos Ezechiel Proph. 34. cap. dicebat ſemetipſos & nõ oues paſcere, quorum turpitudo & improbitas non ſolùm ſacerdotali ordini magnas tenebras offudit, ita vt iam nihil ferè à fideli populo haberi poſſit contemptius & abiectius, verumetiam efficit vt ipſi nihil amplius ex ſacerdotio conſequantur, quàm Iudas ex apoſtolatus munere, quod illi ſempiternum exitium attulit.

Illi, ſicuti initiò diximus, bona intentione ſacris initiari volunt, de quibus loquitur Saluator Ioannis 10. *Qui oſtio in Eccleſiã intrãt*, hoc eſt, qui à Deo legitimè vocati, eccleſiaſtica munera eius vnius rei cauſa ſuſcipiunt, vt Dei honori & gloriæ inſeruiant.

Adde quæ ſequuntur in Catechiſmo vſque ad hæc verba: *His igitur explicatis.*

De his ſatis, nunc ad explicationem doctrinæ huius ſacramenti veniendum eſt.

QVAESTIO I.

Quid eſt ſacramentũ Ordinis? Et: Quare hoc ſacramentum vocatur Ordo?

CONCLVSIO I.

Sacramentum Ordinis, vel ſacra ordinatio, eſt ſolennis miniſtrorum conſecratio ad ſacram poteſtatem exercendam, quam Deus Eccleſiæ ſuæ reliquit.

Colligitur ex Catech. §. Quare ad eam exercendam, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 34. art. 2.

DIFFICVLTAS I.

Quotuplex eſt poteſtas eccleſiaſtica, hoc eſt, eccleſiæ eiuſq́ miniſtris diuinitùs attributa?

Duplex eſt, Ordinis & Iuriſdictionis. Inter has maximum eſt diſcrimen. Nam Iuriſdictionis poteſtas tota circa corpus Chriſti myſticum verſatur. Ad eam enim pertinet chriſtianũ populum gubernare & moderari, & ad æternam cæleſtemque beatitudinem dirigere; Ordinis autẽ poteſtas ad verum Chriſti Domini corpus in ſacroſancta Euchariſtia refertur: Nam & illud ſua vi conſecrat, & ad illud accipiendum hominum animos præparat, & idoneos reddit, cæteraque omnia complectitur, quæ ad Euchariſtiam quouis modo referri poſſunt. Huius rei plura ex ſacris litteris teſtimonia afferri poſſunt, ſed illa præclara & grauiſsima ſunt, quæ apud S. Ioannem 21. leguntur. Inquit enim Dominus apud Ioannem: *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorũ retinueritis retenta ſunt.* Et apud Matthæum cap. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erũt ſoluta & in cælo.*

DIFFICVLTAS II.

An fuerit etiam aliqua poteſtas Ordinis tum tẽpore legis naturæ, tum legis ſcriptæ & moſaycæ?

Dicendum fuiſſe: Nam & illa ætas quæ ſcriptam legem anteceſsit, ſuum ſacerdotium, ſuamque ſpiritualem poteſtatem habuiſſe neceſſe eſt, cùm legem habuiſſe ſatis conſtet: Hæc duo enim ita coniuncta teſtatur Apoſtolus ad Hæbreos 7. vt eorum altero tranſlato, ſimul etiam alterum transferri neceſſe ſit: Cùm igitur naturali inſtinctu homines agnoſcerent Deum colendum eſſe, conſequens erat vt in quauis rep. aliqui ſacrorum & diuini cultus procurationi præficerentur, quorum poteſtas aliquo modo ſpiritualis diceretur. Eandem etiam poteſtatem populũ Iſraëliticũ habuiſſe ſub lege ſcripta, ex ſacris ſcripturis eſt maniſeſtiſsimum.

DIFFICVLTAS III.

An ſit differẽtia inter poteſtatem Ordinis quæ fuit ſub lege naturæ, ſub lege veteri ſiue Moſayca, & ſub noua lege ſiue euangelica?

Dicendum eſſe: Nam poteſtas quæ fuit ſub lege veteri & moſayca, dignitate ſuperior fuit illâ, quâ in lege naturæ ſacerdotes prędititi erãt, longè tamen inferior quàm poteſtas ſpiritualis legis nouę ſiue euãgelicę: Hæc enim cæleſtis eſt, omneq́; etiã Angelorũ virtutem ſuperat, neque à ſacerdotio moſayco, ſed à Chriſto Domino, qui non ſecũdum Aaron ſacerdos fuit, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech ortum habet. Is enim qui ſumma poteſtate gratiã tribuendi & peccata remittendi præditus fuit, hãc poteſtatem, quamuis virtute definitam & ſacramentis aſtrictam, Eccleſiæ ſuæ reliquit.

CON-

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

CVm in hoc ſacramento multi ſint miniſtrorum gradus & variæ functiones, omnia verò certa ratione diſtincta & collocata, rectè & commodè huic ſacramento nomen Ordinis impoſitum videtur.

Eſt Catech. §. Cùm itaque in hoc, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 34. art. 2.

Probatur concluſio definitione vocabuli Ordo. Eſt enim Ordo, ſi propriam eius vim & notionem perſpiciamus, diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum, quæ ita inter ſe aptæ ſunt, vt vna ad alteram referatur.

QVAESTIO II.

An Ordo ſit numerandus inter Sacramenta nouæ legis?

CONCLVSIO VNICA.

SAcra ordinatio inter cætera Eccleſiæ Sacramenta numeranda eſt.

Eſt Catech. §. Quòd autem inter cætera. &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 34. art. 3.

Probat hanc concluſionem Tridentina Synodus Seſſ. 23. de Ordine, can. 3. 4. & 5. ratione ſæpius à nobis ante repetita. Nam cùm ſacramétum ſit ſacræ rei ſignum: id verò quod hac conſecratione exterius fit, gratiam & poteſtatem ſignificet, quæ illi tribuitur, qui conſecratur: omninò ſequi perſpicuum eſt, Ordinem verè ac propriè ſacramentum dicendum eſſe.

Minor

Minor probatur. Nam Epiſcopus calicem cum vino, & aquam & patenam cum pane porrigens ei qui ſacerdos ordinatur, inquit: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*,&c. Quibus verbis ſemper docuit Eccleſia, dum materia exhibetur,poteſtatem Euchariſtiæ conſecrandæ,charactere animo impreſſo,tradi, cui gratia adiũcta ſit, ad illud munus ritè & legitimè obeundum.

Et confirmatur auctoritate Apoſtoli 2. ad Timoth. 1. cap. his verbis: *Admoneo te vt reſuſcites gratiã Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtututis, & dilectionis, & ſobrietatis.

QVÆSTIO III.

An debeant eſſe plures ordines in Eccleſia? Et: quot ſunt ordines? Et: quomodo inter ſe diſtinguuntur?

Tres ſunt quæſtiones, quibus totidem concluſionibus reſpondetur.

CONCLVSIO I.

Cvm diuina res ſit, ſacerdotij nouæ legis adminiſtratio, conſentaneum fuit, quò dignius & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures eſſent & diuerſi miniſtrorũ ordines, qui ſacerdotio ex officio deſeruirent.

Eſt Catech. §. Iam verò vt ſacræ Synodi, &c. Et D. Thom. in ſup. q. 37. art. 1.

Probatur auctoritate Concil. Trident. de Ordine cap. 2. can. 6. & pluribus rationibus à Diuo Thoma loco allegato.

CONCLVSIO II.

OMnes ordines ſeptenario numero continētur, quorū nomina hæc ſunt, Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos.

Eſt Catech. §. Docendum igitur erit hoſce omnes ordines. Et D. Thom. in ſupp. q. 37. art. 2. Probatur dupliciter; Primò traditione eccleſiaſtica; Ita enim ſemper à catholica eccleſia traditum eſt.

Deinde ratione; Hunc enim miniſtrorum numerum rectè ita definitum eſſe probari poteſt per ſeptē miniſteria, quæ ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & Euchariſtiam vel conficiendam, vel adminiſtrandam, cuius cauſa præcipuè ſunt inſtituta, neceſſaria videntur.

CONCLVSIO III.

EX his alij ſunt maiores, qui etiam ſacri dicuntur, alij minores. Maiores, vel ſacri, ſunt Ordo Sacerdotalis, Diaconatus, & Subdiaconatus. Ad minores referuntur Acolyti, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarij.

Eſt Catech. §. Ex his alij maiores, &c. Et D. Thom. ſup. art. 3.

Patebit ex ſequentibus quæſtionibus & difficultatibus.

QVAESTIO IIII.

An prima tonſura, quæ & clericalis dicitur, ſit Ordo? Et: quare Clerici tōdentur ad coronæ ſpeciem & ſimilitudinem?

CONCLVSIO I.

PRima tonſura non eſt ordo, ſed potius præparatio quædam ad ordines ſuſcipiendos.

Eſt Ca-

Eſt Catech.§. Incipiendum eſt autem à prima tõſura. Et D.Thom.in ſupp. q. 40. art. 2.

Probatur & explicatur. Vt enim homines ad baptiſmum exorciſmis, ad matrimonium ſponſalibus præparari ſolent: Ita cùm tonſo capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis ſacramentum illis aperitur.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid ſignificat Clerici nomen, quod cum tonſura imponitur?

Explicat diſertè quod iam diximus: Nam Clerici nomẽ ab eo deductum eſt, quod Dominum ſortem vel hęreditatem ſuam habere incipiat: Veluti in Hębreorum populo qui diuino cultui mancipati erant, quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partẽ in terra promiſsionis illis diſtribui, cùm inquit Num. 18. cap. *Ego pars & hæreditas tua*: Ac quamuis omnibus fidelibus id commune ſit, præcipua tamen ratione ijs conueniat neceſſe eſt, qui ſe Dei miniſterio conſecrârunt.

CONCLVSIO II.

Tondentur capilli clericorum ad coronæ ſpeciem & ſimilitudinem; & vt quiſque in altiori ordinis gradu collocatur, ſic eius orbis forma latior circumſcribi debet.

Eſt Catech. §. Tondentur verò, &c. Et D.Thomæ ſup.

Conſtat traditione apoſtolica. De huiuſmodi enim tondendi more, Sancti Dionyſius Areopag. de Eccleſ. Hierarchia cap. 6. Auguſtinus, Hieronymus, & alij vetuſtiſsimi & grauiſsimi patres meminerunt.

CONCLVSIO III.

HVius rotundæ tonſuræ in capite clericorum à diuerſis diuerſæ redduntur cauſæ & ſignificationes; Primùm enim omnium ferunt Apoſtolorum Principem eam conſuetudinem induxiſſe, ad memoriam coronæ, quæ ex ſpinis cõtextâ Saluatoris noſtri capiti fuit impoſita, vt quod impij ad Chriſti ignominiam & cruciatum excogitarũt, eo Apoſtoli ad decus & gloriam vterentur; ſimulq́; ſignificarent curandum eſſe à miniſtris eccleſiæ, vt omnibus in rebus Chriſti Domini noſtri ſpeciem & figuram gerant. Nonnulli aſſerunt, hac notâ regiã dignitatem declarari, quæ ijs maximè qui in ſortem Domini vocati ſunt, videtur conuenire. Quod enim Petrus Apoſtolus fideli populo tribuit, cùm ait, 1. ſuæ epiſtolæ cap. 2. Vos genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, &c. peculiari quadam & magis propria ratione ad Eccleſiaſticos miniſtros pertinere facilè intelligimus. Non deſunt qui vel perfectoris vitæ profeſſionem à Clericis ſuſceptam, circulari figura, quæ omniũ perfectiſſima eſt, ſignificari exiſtimant, vel externarum rerũ contemptionem, animæq́; ab omnibus humanis curis vacationem declarari putant, quia capilli ſuperuacaneum quiddam in corpore tondeantur.

Eſt Catech. §. Primùm autem omnium ferunt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 40. art. 1.

Non eget maiori explicatione.

QVAESTIO V.

Quæ ſunt Oſtiariorum officia? Et: quæ huius ordinis dignitas?

CONCLVSIO I.

OStiariorum munus eſt, templi claues & ianuam cuſtodire, & aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdi-

interdictum erat; ad ſanctum etiam Miſſæ officium aſſiſtere, & curare ne quis propius quàm par eſt, ad ſacram aram accedat, & ſacerdotem rem diuinam facientem, interpellet.

Eſt Catech. §. Poſt primam tonſuram ad oſtiarij, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 37. art. 2. & 4.

Hæc concluſio ex ritibus qui in oſtiariorum conſecrationem adhibentur perſpici poteſt; Nam Epiſcopus claues ex altari acceptas ei tradēs quem oſtiarium vult conſtituere: *Sic age*, inquit, *quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ eis clauibus recluduntur.*

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Magna in antiqua eccleſia huius ordinis dignitas fuit.

Eſt Catech. §. Magnam autem in antiqua.

Patet ex eo quod his temporibus in eccleſia ſeruari animaduertimus: Nam theſaurarij officiū, quod idem erat ſacrarij cuſtos, quod ad oſtiarios pertinebat, inter honeſtiores Eccleſiæ functiones etiam nunc habetur.

QVAESTIO VI.

Quæ ſunt Lectoris officia?

CONCLVSIO VNICA.

Duo ſunt Lectoris officia præcipua; Primò enim ad eum pertinet, in Eccleſia noui & veteris Teſtamēti libros clara voce & diſtincta recitare; præſertim verò eos qui inter nocturnam pſalmodiam legi ſolent. Eius quoque partes erāt, prima christianæ religionis rudimenta fidelibus tradere.

Eſt Catech. §. Secundus ordinis gradus, &c. Et D. Thom. ſup.

Patet quoq; ex ritibus, qui ad eius cõſecrationem adhibētur. Epiſcopus enim præſente populo in eius ordinatione, librum, quo deſcripta ſunt quæ ad hanc functionem pertinēt illi tradens, inquit, *Accipe & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum ijs qui verbum Dei benè miniſtrârunt ab initio.*

QVAESTIO VII.

Quod eſt Exorciſtarum officium?

CONCLVSIO VNICA.

EXorciſtis poteſtas data eſt nomē Domini inuocandi in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur.

Eſt Catech. §. Tertius ordo eſt exorciſtarum. Et D. Thom. ſup.

Probatur eodē modo quo ſuperiores. Nam Epiſcopus cùm eos inſtituit, librum in quo exorciſmi continentur, eis porrigit, vſus ea formula verborū: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.*

QVAESTIO VIII.

Quæ ſunt Acolytorum officia?

CONCLVSIO VNICA.

EOrum munus eſt miniſtros maiores, ſubdiaconos & diaconos in altaris miniſterio aſſectari, eiúſq; operam dare. Præterea lumina deferre & aſſeruare cùm miſſæ ſacrificium celebratur, præcipuè verò cùm Euangelium legitur, ex quo Ceroferarij alio nomine vocati ſunt.

Eſt Catech. §. Acolytorum quartus eſt gradus, &c. Et D. Thom. ſup.

Patet ſemper eadem ratione; Nam cùm Acolyti ordinan-

ordinantur, hic ritus ab Epiſcopo ſeruari conſueuit: Primùm, poſtquam officij ſui diligenter admonuit, lumina eorum ſingulis tradit in hũc modum: *Accipe Ceroferariũ cum cereo, & ſcias te ad accendẽda Eccleſiæ luminaria mãcipari in nomine Domini.* Deinde cùm vrceolos vacuos, quibus aqua & vinum in ſacrificio miniſtratur: *Accipe*, inquit, *vrceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.*

QVAESTIO IX.

Quæ ſunt Subdiaconorum officia?

CONCLVSIO VNICA.

Subdiaconorum munus eſt, vt nomen ipſum declarat, Diacono ad altare inſeruire; Sacra enim lintea, vaſa, panem & vinum ad ſacrificij vſum neceſſaria parare debet: Nunc Epiſcopo & ſacerdoti aquam præbet, cùm manus in ſacrificio miſſæ abluunt: Epiſtolam etiam, quæ olim à Diacono in miſſa recitabatur, ſubdiaconus legit, ac tanquam teſtis ad ſacrum aßiſtit, prohibetq́; ne ſacerdos ſacra faciens à quopiã perturbari poßit.

Eſt Catech. §. A minoribus ordinibus ijſdemq́; non ſacris, &c. Et D. Thom. ſup.

Patet ex ſolennibus cæremonijs quæ in Subdiaconorum conſecratione adhibentur.

Primùm enim Epiſcopus legem perpetuæ continentiæ huic ordini impoſitam eſſe admonet, edicitq́ue, neminem in ſubdiaconorum ordinem coaptandum eſſe, cui vltrò hanc legem accipere non ſit propoſitum.

Deinde, poſt ſolennem litaniarum precationem, quę ſubdiaconi munera & functiones ſint, enumerat atque exponit.

His peractis, eorũ ſinguli qui ordinantur, ab Epiſcopo quidem calicem & ſacram patenam accipiunt, Ab Archidiacono verò (vt intelligatur ſubdiaconũ Diaconi officio ſubſeruire) vrceolos aquâ & vino plenos, vnà cum lebete & linteolo, quo manus abſterguntur, dicente Epiſcopo: *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis.*

Adduntur prætereà aliæ preces.

Ad extremum cùm Epiſcopus ſacris veſtibus ſubdiaconum ornauit, ad quarum ſingulas propria verba & cæremoniæ adhibentur, tradit ei epiſtolarum librum, ac dicit: *Accipe librum epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis.*

QVAESTIO X.

Quæ ſunt Diaconorum officia?

CONCLVSIO VNICA.

AD Diaconos pertinet Epiſcopum perpetuò ſequi, concionãtem cuſtodire, eiq́; , & ſacerdoti ſacra facienti, vel alia ſacramenta adminiſtranti præſto eſſe, & in miſſæ ſacrificio Euangelium legere. Olim fidelium animos ſæpius excitabant, vt ſacra attenderẽt; Sanguinem etiam Domini miniſtrabant: In quibus eccleſiis ea conſuetudo erat vt fideles Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie ſumerẽt. Diacono prætereà eccleſiaſticorum bonorum diſpenſatio commiſſa erat, vt vnicuique ad victum neceſſaria ſubminiſtrarent. Ad Diaconum etiam pertinet tanquam Epiſcopi oculum, perueſtigare quinã in vrbe piè & religiosè, quiue ſecùs vitam traducant; qui ad ſacrificium & concionem ſtatis temporibus conueniant; qui rurſus non conueniant: vt cùm de omnibus Epiſcopum certiorem fecerit, ille vel priuatim vnumquemque hortari & admonere,

monere, vel palàm corrigere & obiurgare poſſit, vti ſe magis profecturum intellexerit. Catechumenorum etiam nomina recitare debet, & eos qui ordinis ſacramento initiandi ſunt ante Epiſcopum ſtatuere. Licet ei prætereà, ſi abſit Epiſcopus & ſacerdos, Euangelium explanare, non tamen è ſuperiori loco, vt intelligatur, hoc eius proprium munus non eſſe.

Eſt Catech. §. Secundum autem ſacrorum ordinum gradum, &c. Et D. Thomæ ſup.

Probatur ſicut ſuperiores, ex ritibus & ſolennibus cæremonijs, quibus ab Epiſcopo Diaconi conſecrantur.

Ex his conſequenter duo facile colligere licet.

Primùm, Diaconorũ miniſterium latiùs patere, ſanctiuſq; ſemper & dignius in eccleſia habitum eſſe officio ſubdiaconorum. Pluribus enim & ſanctioribus precibus ad Diaconi, quàm ad Subdiaconi ordinationem vtitur Epiſcopus, & alia addit ſacrarũ veſtium ornamenta. Prętereà manus ei imponit, quod quidem ab Apoſtolis factitatum eſſe legimus, cùm primos Diaconos inſtituerunt, Actorum 6. cap. Denique euangeliorum librum ei tradit his verbis: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

Alterum, magnam diligentiam adhibẽdam eſſe, ne quis eo munere indignus ad hũc ordinis gradum admittatur; quòd ſatis innuit Apoſtolus 1. ad Timot. 3. cap. cùm Diaconi mores, virtutem, & integritatem exponit.

QVAESTIO XI.

Quæ ſunt propria & præcipua ſacerdotum officia?

ANTE reſolutionem quæſtionis, duo cum Catechiſmo notanda ſunt;

Primum, eos qui ſacerdotio præditi ſunt, veteres Patres ſolere appellare duobus nominibus.

Interdum enim *Presbyteros* appellant, quod grecè ſeniores ſignificat, non ſolùm propter ætatis maturitatem, quæ huic ordini maximè neceſſaria eſt, ſed multò magis propter morum grauitatem, doctrinã, prudentiam. Id enim ſcriptum eſt Sapientiæ 4. cap. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

Interdum verò *Sacerdotes* vocant, quia tum Deo conſecrati ſunt, tum quia ad eos pertinet ſacramenta adminiſtrare, ſacraſque res & diuinas tractare.

Alterum, quæſtionem eſſe hoc loco non de ſacerdotio interno, ſed externo.

Quòd vt intelligatur, ſciendum eſt duplex ſacerdotium in ſacris litteris deſcribi, alterum internum, alterum externum, quæ multum inter ſe diſtinguuntur.

Nam quòd ad interius ſacerdotium pertinet, omnes fideles poſtquam ſalutari aquâ abluti ſunt, ſacerdotes dicuntur, præcipuè iuſti, qui ſpiritum Dei habent, & diuinæ gratiæ beneficio Ieſu Chriſti ſummi ſacerdotis viua membra effecti ſunt; Hi enim fide quæ charitate inflammatur in altari mentis ſuę ſpirituales Deo hoſtias immolant. Quo in genere bonæ omnes & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt. Quare in Apocalypſi 1. cap. ita legimus, *Chriſtus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo*: Et

1. Petri

1. Petri 2. in eam ſententiam ab Apoſtolorum Principe dictum eſt: *Ipſi tāquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpirituales, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum*: Et Apoſtolus ad Rom. 12. nos hortatur, vt *exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum*: Dauid item Pſalm. 50. multò ante dixerat, *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Quæ omnia ad interius ſacerdotium ſpectare facilè intelligitur.

Externum ſacerdotium, non omnium fidelium multitudini, ſed certis hominibus conuenit, qui legitima manuum impoſitione, ſolennibuſque ſanctæ Eccleſiæ cæremonijs inſtituti & Deo conſecrati, ad aliquod proprium ſacrumque miniſterium aſcribuntur.

Hoc ſacerdotij diſcrimen in veteri etiam lege obſeruari poteſt. Nam de interiori Dauidem eſſe locutum paulò ante demonſtratum eſt. Externi verò nemo ignorare poteſt quàm multa Dominus Moyſi & Aaroni præcepta dederit, Exod. 28. & 29. & toto ferè Leuitico, & ſæpè aliàs. Prætereà Leuiticam tribū miniſterio templi adſcripſit, ac lege cauit, ne quis ex alia tribu in eam functionem ſe inferre auderet.

Quia igitur eandem ſacerdotij diſtinctionem in lege euangelica licet animaduertere, notandum eſt nūnc de externo ſacerdotio agi, quod certis hominibus attributum eſt, hoc enim tantummodò ad ordinis ſacramētum pertinet. His ita prænotatis breuiter reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO VNICA.

Sacerdotis munus eſt, Deo ſacrificia facere, & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Sacerdotis igitur munus eſt, &c. Et D. Thom. ſup.

Hæc concluſio ex conſecrationis ritibus perſpicitur.

Nam Epiſcopus cùm ſacerdotem aliquem inſtituit, primùm quidem manus ei vnà cum omnibus ſacerdotibus qui adſunt imponit: Deinde ſtolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit: Quo quidem declaratur ſacerdotem virtute indui ex alto, quâ poſsit crucem Chriſti Domini & iugum ſuaue diuinæ legis perferre, eamque non verbis ſolùm, ſed vitæ ſanctiſsimè & honeſtiſsimè actæ exemplo tradere. Poſtea manus ſacro oleo inungit; Tum verò calicem cum vino, & patenã cum hoſtia tradit, dicens: *Accipe poteſtatem offerendi Deo ſacrificium miſſaſq; celebrandi tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Quibus cæremonijs & verbis, interpres ac mediator Dei & hominum inſtituitur, quæ præcipua ſacerdotis functio exiſtimanda eſt. Ad extremum, manibus iterum eius capiti impoſitis: *Accipe*, inquit, *Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittũtur eis, & quorum retinueris retenta ſunt*; Eiq; cœleſtẽ illam, quã Dominus diſcipulis ſuis dedit, peccata retinendi & remittendi poteſtatem tribuit.

QVAESTIO XII.

An ſicut vnus eſt tantùm ordo Sacerdotij, Ita etiam ſit tantùm vnus Sacerdotum gradus?

CONCLVSIO VNICA.

Tametſi vnus eſt tantùm ordo ſacerdotalis, varios tamen dignitatis & poteſtatis gradus habet.

Primus

Primus gradus eſt eorum, qui ſacerdotes ſimpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratæ ſunt.

Secundus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopatibus præpoſiti ſunt, vt non ſolùm cæteros Eccleſiæ miniſtros, ſed fidelē populum regant, & eorum ſaluti ſumma cum vigilantia & cura proſpiciant: Quare in ſacris litteris paſtores ouium ſæpè appellantur. Horum munus & officium Paulus deſcripſit, vt in Apoſtolorum Actis legimus, in ea concione quam ad Epheſios habuit: Itemque à Petro Apoſtolorū Principe diuina quædam Epiſcopalis miniſterij regula tradita eſt, ad quam ſi Epiſcopi ſuas actiones dirigere ſtudeāt; dubitandum non erit, quin paſtores boni & ſint, & habeantur. Sed ijdem Epiſcopi & Pontifices dicūtur accepto ab Ethnicis nomine, qui principes ſacerdotum Pontifices appellare conſueuerunt.

Tertius gradus eſt Archiepiſcoporum, qui pluribus Epiſcopis præſunt, qui Metropolitani etiam vocantur, quod illarum vrbium Antiſtites ſint, quæ tanquam matres habeantur illius prouinciæ: Quare ſuperiorē quā Epiſcopi locum, & ampliorē poteſtatem habent, tametſi ab Epiſcopis ordinatione nihil differant.

In quarto gradu Patriarchæ collocantur, id eſt, primi ſupremiq́; Patres. Olim in vniuerſa Eccleſia præter ſummum Romanum Pontificem, quatuor tantùm Patriarchæ numerabantur, neque omnes tamen dignitate pares; Nam Conſtantinopolitanus, etſi ad eum poſt omnes alios hic honos delatus eſt, tamen ob Imperij maieſtatem altiorem locum obtinuit. Proximus eſt Alexandrinus, cuius Eccleſiam Marcus Euangeliſta iuſſu Principis Apoſtolorum, fundauit. Tertius, Antiochenus, vbi Petrus primò ſedem locauit. Extremum gradum habet Hieroſolymitanus, quam Eccleſiam Iacobus frater Domini rexit.

Præter hos omnes, Catholica Eccleſia Romanum Pontificem Maximum, quem in Epheſina Synodo Cyrillus Alexandrinus

drinus Archiepiſcopus, totius orbis terrarum Patrem & Patriarcham appellat ſemper veneratа eſt. Cùm enim in Petri Apoſtolorum principis cathedra ſedeat, in qua vſq; ad finem ſediſſe conſtat, ſummum in eo dignitatis gradum, & Iuriſdictionis amplitudinem, non quidem vllis ſynodicis aut alijs humanis cōſtitutionibus, ſed diuinitus datam agnoſcit. Quamobrem omnium fidelium, & Epiſcoporum, cæterorumq; Antiſtitum, quocumque illi munere & poteſtate præditi ſint, Pater ac moderator, venerabili Eccleſiæ, vt Petri ſucceſſor, Chriſtiq; Domini verus & legitimus Vicarius, in terris præſidet.

Eſt Catech. §. Qui tametſi vnus eſt ordo, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 40. art. 4. 5. & 6.

QVAESTIO XIII.

Quis eſt miniſter ſacramēti Ordinis?

CONCLVSIO VNICA.

Conſtat ordinum adminiſtrationem ad Epiſcopum pertinere.

Eſt Catech. §. Conſtat enim, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 38. art. 1.

Patet primò ſacrarum litterarum auctoritate. Deinde certiſsima traditione. Tertiò omnium Patrum teſtimonio. Præterea Conciliorum decretis. Poſtremò, ſanctæ Eccleſiæ vſu & conſuetudine.

Non difficile erit ſingula ex alijs, qui hæc ex profeſſo tractant, explicare.

DIFFICVLTAS VNICA.

An quibuſdam Abbatibus conceſſū ſit ordines miniſtrare?

Dicendum, quòd quamuis nonnullis Abbatibus permiſſum ſit, vt minores & non ſacros ordines interdùm adminiſtrent: tamen hoc proprium munus

eſt Epi-

eſt Epiſcopi, cui vni ex omnibus, prætereà nemini licet reliquis ordinibus, qui ſacri & maiores dicuntur, initiare. Nam Subdiaconos, & Sacerdotes vnus tantùm Epiſcopus ordinat; quæ videre eſt fuſiùs in Concil. Trident. Seſſ. 23. de reform. can. 10.

Eſt etiam doctrina D. Thom. ſup. ad 3.

QVÆSTIO XIIII.

Quinam ad hoc Sacramentum, & imprimis ad ſacerdotalem ordinē apti ſunt? Et: Quæ in eis potiſſimùm requiruntur?

ANTE reſolutionem notandum eſt, maiorem cautionem & præparationem requiri in ſuſcipientibus hoc ſacramentum, quàm reliqua.

Hoc ita facilè colligitur; Nam cætera ſacramēta gratiam ad illorum ſanctificationem & vſum tribuunt à quibus percipiuntur: At verò qui ſacris initiantur, ob eam rem cæleſtis gratiæ participes fiunt, vt eorum miniſterio, Eccleſiæ, atque adeò omnium hominum ſaluti conſulatur.

Ex hoc factum intelligi debet, vt ſtatis tantummodò diebus, quibus etiam ſolennia ieiunia ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more indicuntur, ordinationes fiant, vt ſcilicet fidelis populus eiuſmodi ſacrarum rerum miniſtros, pijs & ſanctis precationibus à Deo impetret, qui ad tanti miniſterij poteſtatē ritè, & cum Eccleſiæ vtilitate gerendam, aptiores eſſe videantur.

Hoc prænotato, reſpondetur quæſtioni aliquot concluſionibus.

CON-

CONCLVSIO I.

PRimùm, in eo qui ſacerdos creandus eſt, vitæ & morum integritas commendetur, magnoperè oportet.

Eſt Catech. §. Primùm itaque in eo, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 36. art. 1.

Probatur: Nam ſi quis mortiferi alicuius peccati conſcius ſe initiari curet, vel etiam patiatur, nouo ſe & maximo ſcelere obſtringit.

Deinde, Ordinandus virtutis & innocentię lumē alijs præferre debet, quòd facere non poterit, ſi vitæ & morum integritate non commendetur.

Confirmãtur hæ rationes; Primò ex ijs quæ Apoſtolus Tito & Timotheo præcipit: Ad Titum quidem cap. 1. Ad Timotheum 1. epiſt. cap. 3.

Deinde, ex ijs, quæ in veteri lege aliquem ab altaris miniſterio arcebant. Nam ea corporis vitia quæ in veteri lege ex Domini præſcriptione aliquem ab altaris miniſterio excludebant, in euangelica lege ad animæ vitia transferenda eſſe Doctores ſacri teſtantur: Et imprimis D. Gregorius p. 1. Curæ paſtoralis cap. 11.

CONCLVSIO II.

PRæterea in ſacerdote non ſolùm ea cognitio requirēda eſt quæ ad ſacramētorū vſum & tractationē pertinet, ſed etiam ſacrarum litterarum ſcientia ita inſtructum eſſe oportet, vt populo chriſtianæ fidei myſteria, & diuinæ legis præcepta tradere, & ad virtutem & pietatem excitare, nec non à vitijs reuocare fideles poſſit.

Eſt Catech. §. Præterea in ſacerdote, &c. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Ratio concluſionis eſt; Nam Sacerdotis duo ſunt munera, quorum alterum eſt, vt ſacramenta ritè conficiat &

ficiat & adminiſtret; Alterum vt populum fidei ſuæ commiſſum, ijs rebus & inſtitutis, quę ad ſalútem neceſſaria sũt, erudiat. Malachias enim ita teſtatur cap. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiã, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vt igitur in horũ altero, ſi mediocri cognitione ſit ornatus præſtare quod debet poſsit, alterum certè non vulgarẽ, ſed exquiſitam potius doctrinam deſiderat.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quanta ergo in ſacerdote, & in alijs ordinum gradibus requiritur ſcientia?

Dicendum, quòd non æquè ab omnibus ſacerdotibus ſumma reconditarum rerum ſcientia exigitur, ſed quæ ad ſuſcepti officij & miniſterij functionem vnicuique ſatis eſſe poſsit.

Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup. ad 1.

CONCLVSIO III.

PVeris & furioſis vel amentibus hoc ſacramentum dandum non eſt.

Eſt Catech. §. Pueris autem & furioſis, &c. Et D. Thom. ſup.

Et ratio eſt; Quia vſu rationis carent: Quamuis ſi ijs quoque adminiſtretur, ſacramẽti characterem in eorum animam imprimi certò credendum ſit.

Quæ ætas in ſingulis ordinibus ſit expectanda, ex ſacri Concil. Trident. decretis facilè erit cognoſcere Seſſ. 23. can. 12. de reform.

CONCLVSIO IIII.

EXcipiuntur etiam ſerui.

Eſt Catech. §. Excipiuntur etiam, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 39. art. 3

Ee Nam

Nam diuino cultui dedicari non debet, qui nō ſui iuris, ſed in alterius poteſtate eſt.

CONCLVSIO V.

VIri præterea ſanguinum & homicidæ.

Eſt Catech. §. Viri præterea, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

Quia Eccleſiaſtica lege repelluntur, & irregulares ſunt.

CONCLVSIO VI.

SPurij quoque, & ij omnes qui ex legitimis nuptijs non ſunt procreati.

Eſt Catech. §. Spurij quoque, &c. Et D. Thom. ſup. art. 5.

Decet enim vt qui ſacris addicūtur, nihil in ſe habeant, quo ab alijs meritò contemni, & deſpici poſſe videantur.

CONCLVSIO VII. ET POSTREMA.

AD extremum etiam admitti non debent, qui aliqua inſigni corporis vitio deformes, aut manci ſunt.

Eſt Catech. §. Ad extremum etiam, &c. Et D. Thom. ſup. art. 6.

Ea enim fœditas & debilitatio tum offenſionem habet, tum ſacramentorum adminiſtrationem impediat neceſſe eſt.

QVAESTIO XV.

Qui ſunt effectus huius Sacramenti?

CONCLVSIO I.

PRimò gratiam ſanctificationis in eius anima qui ſacris initiatur, efficit

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Conſtat verò, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 35. art. 1.

Hac gratia ſacris initiatus idoneus habiliſq́ue ad rectè munere ſuo fungendum, ſacramentaq́; adminiſtranda redditur: quemadmodum baptiſmi gratiâ quilibet ad alia ſacraměta percipiěda aptus efficitur.

CONCLVSIO II.

Aliam quoque gratiam hoc ſacramento tribui perſpicuum eſt, præcipuam videlicet poteſtatem quæ ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum refertur; In ſacerdote quidem plenam & perfectam, vt qui Domini noſtri corpus & ſanguinem vnus poteſt conficere: In alijs verò inferiorum ordinum miniſtris maiorem minoremue, quo quiſq; miniſterio ſuo magis minúſue ad altaris ſacramentum accedit.

Eſt Catech. §. Aliam quoque gratiam, &c. Et D. Thomæ ſup. art. 2.

Poteſtas, de qua in concluſione, vocatur communiter Character ſpiritualis; Quia qui ſacris imbuti ſunt, interiori quadam nota animæ impreſſa ab alijs fidelibus diſtinguũtur, ac diuino cultui mancipãtur.

Ad hanc videtur Apoſtolus ſpectâſſe, cùm 1. ad Timoth. 4. ait: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Et 2. ad Timoth. 1. cap. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Hæc de Ordinis ſacramento ſatis dicta ſint.

CAPITIS VII. ELVCIDATIO.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

ANTE explicationem doctrinæ huius ſacramenti, vnum cum Catechiſmo notandum eſt: Nimirum populum chriſtianum diligenter erudiendum de Matrimonij natura & ſanctitate. Nam cùm plurimi ſint ex populo, quibus datum nō eſt vitam perfectiorem amplecti & continenter viuere, *Vnuſquiſque enim* (ſicut loquitur Apoſtolus ad Corinth. 7.) *proprium ſuum donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*: Illi diligēter de matrimonio docendi erunt, & hòc propter duas præſertim cauſas.

Prima propter ipſam Matrimonij dignitatem. Matrimonium enim magnis & diuinis bonis ornatū eſt; Ita vt inter alia catholicæ eccleſię ſacramēta verè ac propriè numeretur. Et Dominus nuptiarum celebritatem præſentiâ ſuâ honeſtârit.

Altera, propter ipſius doctrinæ de Matrimonio vtilitatem. Si enim fideles Matrimonij naturam & ſanctitatem probè cognitam habuerint, & inuiolatā ſeruauerint, multa & magna commoda ad chriſtianam ſocietatem redundabunt: Contrà verò eâ ignoratâ vel neglectâ, plurimæ maximæque calamitates & detrimenta in eccleſiam importabuntur. Hòc animaduerterunt D. Paulus, & Apoſtolorū princeps,

cùm non ſolùm ea quæ ad dignitatem, ſed etiam officia matrimonij pluribus locis ſuarum epiſtolarum tam accuratè nobis ſcripta reliquerunt.

QVAESTIO I.

Quare Matrimonium ſic appellatur? Et: Quibus prætereà nominibus appellari ſolet?

CONCLVSIO I.

Matrimonium ab eo dicitur, quod fœmina idcirco maximè nubere debet vt mater fiat: vel quia prolê concipere, parere, educare matris munus eſt.

Eſt Catech. §. Matrimonium ab eo dicitur. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 2.

Eſt ratio D. Auguſtini lib. 19. contrà Fauſtum cap. 26.

CONCLVSIO II.

Appellatur quoque coniugium, à coniungendo, quòd legitima mulier cùm viro quaſi vno iugo aſtringatur.

Eſt Catech. §. Coniugium quoque, &c. Et D. Thom. ſup.

CONCLVSIO III.

Prætereà nuptiæ: quia (vt inquit Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 9. in fine) pudoris gratià puellæ ſe obnuberent: Quo etiam declarari videbatur viris obedientes ſubiectaſq; eſſe debere.

Eſt Catech. §. Prætereà nuptiæ, &c. Et D. Thomæ ſup.

QVAESTIO II.

Quid eſt Matrimonium?

CONCLVSIO VNICA.

M*Atrimonium eſt viri & mulieris maritalis cõiunctio, inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.*

Eſt Catech. §. Iam verò ex communi theologorũ ſententia. Et D. Thom. ſup. art. 3.

Eſt omnium theologorũ apud magiſtrum ſent. in 4. diſt. 27.

Vt ſingulæ definitionis partes planiùs intelligantur, notãdum eſt: primò, quòd quamuis hæc omnia, in perfecto Matrimonio inſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio & vinculum quod ex pactione efficitur, & coniugum copulatio, quâ Matrimonium conſummatur, nihil horum tamen Matrimonij vim & rationem propriè habere, niſi obligationem illam & nexum, qui cõiunctionis vocabulo ſignificatus eſt.

Additur ſecundò loco in definitione, *maritalis*, quaſi differentia, quoniam alia pactionum genera quibus viri & mulieres obligantur vt ſibi mutuam operam præſtent, vel pretij, vel alterius rei cauſa, prorſus aliena ſunt à Matrimonij ratione.

Sequitur deinde, *Inter legitimas perſonas*, quoniam qui à nuptiarum coniunctione legibus omninò excluſi ſunt, ij matrimonium inire non poſſunt, neque ſi ineant ratum eſt. Exempli gratia, qui intrà quartũ gradum propinquitate cõiuncti ſunt, puerq; ante decimumquartum annum, aut puella ante duodecimum, quæ ætas legibus conſtituta eſt, ad Matrimonij iuſta fœdera ineunda apti eſſe non poſſunt.

Quod extremo loco poſitum eſt, *Indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*, indiſſolubilis vinculi naturam declarat, quo vir & vxor colligantur.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si natura & ratio Matrimonij conſiſtit in ipſa coniunctione, id eſt, obligatione & vinculo maritali: Quomodo ergo verum eſt, quòd clariſſimi doctores dicunt conſiſtere in conſenſu, vt cum definiunt Coniugium eſſe conſenſum maris & fœminæ.

Dicendum, hoc ita accipiendum eſſe, Conſenſum ipſum Matrimonij cauſam effectricem eſſe; quòd Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio & nexus oriri non poteſt, niſi ex conſenſu & pactione.

Eſt etiam doctrina D. Thom. in ſupp. q. 45. art. 1.

QVAESTIO III.

An Conſenſus requiratur ad Matrimonium? Et: Qualis?

CONCLVSIO I.

Conſenſus requiritur ad Matrimonium, ſicuti illius cauſa efficiens.

Eſt Catech. §. Nam quòd aliæ clariſſimorum virorum, &c. Et D. Thom. ſup.

Patet ex iam dictis.

CONCLVSIO II.

Conſenſus debet eſſe mutuus, & verbis quæ præſens tempus ſignificent, expreſſus.

Eſt Catech. §. Sed illud maximè neceſſarium eſt. Et. D. Thom. ſup. art. 2.

Ratio eſt; Nam Matrimonium non eſt ſimplex donatio, ſed mutua pactio: atque ita fit, vt conſenſus alterius tantū ad matrimoniū cōiungendū ſatis eſſe non poſsit, ſed duorū inter ſe mutuū eſſe oporteat.

 Ad de-

Ad declarandum mutuum animi cōſenſum, verbis opus eſſe perſpicuum eſt. Si enim ex interiori tātùm conſenſu, ſine externa aliqua ſignificatione Matrimonium conſtare poſſet, illud etiam ſequi videretur, vt, cùm duo qui diſiunctiſsimis, & maximè diuerſis in locis eſſent, ad nuptias cōſentirent, antequā alter alteri voluntatem ſuam vel litteris vel nuntijs declarâſſet, veri, & ſtabilis Matrimonij lege coniungerentur: quòd tamen à ratione, & ſanctæ Eccleſiæ conſuetudine & decretis alienum eſt.

Rectè quoque dicitur oportere, vt conſenſus verbis exprimatur, quæ præſentis temporis ſignificationem habeant: Nam quæ futurum tempus indicant, Matrimonium non coniungunt, ſed ſpondent: Deinde, quæ futura ſunt, nondum eſſe perſpicuum eſt: quæ verò non ſunt, parum, vel nihil firmi, aut ſtabilis habere exiſtimandum eſt. Quare nondum connubij ius in eam mulierem quiſquā habet, quam ſe in Matrimonium ducturum eſſe pollicetur, neque ſtatim ab eo impletum eſt, quod ſe facturum promiſit: tāetſi fidem prɇſtare debet: quod ſi non faciat violatæ fidei reus eſſe conuincitur. At verò qui Matrimonij fœdere alteri iungitur, quamuis poſteà pœniteat, tamen quod factum eſt mutare, irritúmue, & infectū reddere non poteſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid ſi puella propter verecundiam non reſpondeat, neq; conſenſum ſuum verbis exprimat, ſed pro ea parentes loquātur, Eritne Matrimonium?

Dicendum, quod talis taciturnitas, tum etiā nutus & ſigna, quɇ intimū conſeſum apertè indicāt, ſint ſatis ad confirmandum Matrimonium.

Eſt quoque doctrina D. Thom. ſup. art. 2. ad 2.

QVAE-

QVAESTIO IIII.

An Concubitus requiratur ad Matrimonium?

CONCLVSIO VNICA.

PRæter cõſenſum, eo quo dictum eſt modo expreſſum, vt verum Matrimonium exiſtat, concubitus neceſſariò non requiritur.

Eſt Catech. §. Ex ijs igitur parochi fidelibus tradent, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 4.

Patet primò, ex Matrimonio primorũ parentum ante peccatum; Nam vero Matrimonio iũctos fuiſſe conſtat, quo tempore tamen nulla inter eos carnalis copula interceſſerat.

Deinde auctoritate Patrum, qui dicunt Matrimonium non concubitu, ſed conſenſu exiſtere; Et ſpeciatim D. Ambroſij de Inſtitutione virginũ cap. 6. & Chryſoſtomi in opere imperfecto Hom. 32. & Iſidori lib. 9. Etimologiarum cap. 7.

Hactenus de Matrimonij naturâ & definitione in genere; nunc diſiunctim de Matrimonio dicendũ eſt: primò, vt eſt à naturâ inſtitutum, & naturalis quædam coniunctio; Poſteà vt eſt ſacramentum à Chriſto inſtitutum.

QVAESTIO V.

Quis inſtituit Matrimonium vt eſt naturalis quædam coniunctio, & ad naturæ officium pertinens?

CONCLVSIO VNICA.

MAtrimonium eſt à Deo inſtitutum.

Eſt Catech. § Imprimis itaq; docēdi ſunt fideles, &c. Et D.Thom. in ſupp. q. 41.art.1.

Probatur ſcripturarum auctoritatibus. Scriptum eſt enim in Geneſ. 1. cap. *Maſculum & fœminam creauit eos: benedixitq́ illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini.* Et: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutoriū ſimile ſibi:* Ac paulò poſt: *Adæ verò nō inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporē in Adam: cumq́ obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitq́ Adam: Hoc nunc os, de oſsibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ ipſo Domino auctore apud Sanctum Matthæum cap. 10. oſtendunt Matrimonium diuinitus inſtitutum eſſe.

QVAESTIO VI.

An Matrimonium, quatenus eſt naturalis quædam coniunctio, ſit indiſſolubile?

CONCLVSIO I.

D*Eus non tātummodò Matrimonium inſtituit, verùm perpetuum etiam & indiſſolubilē nodum ei addixit.* Eſt Catech. §. Neque verò Deus Matrimonium.

Probatur primò auctoritate ſanctæ Tridentinæ Synodi, quæ hoc declarauit in principio Seſſ. 24.

Deinde & maximè ſacræ ſcripturæ, Siquidem Matth. 19. Saluator ait: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

CON-

CONCLVSIO II.

Qvamuis Matrimonio, quatenus naturæ eſt officium, conueniat vt diſſolui non poßit, tamen id maximè fit quatenus eſt ſacramentum; quæ ex re etiam in omnibus quæ naturæ lege eius propria ſunt, ſummam perfectionem conſequitur.

Eſt Catech. §. Quamuis enim Matrimonio, &c.

Prior pars concluſionis patet, ex precedenti concluſione.

Præterea hac ratione; Nam & prolis educandæ ſtudio, & alijs Matrimonij bonis repugnat, vt eius vinculum diſſolubile ſit.

QVAESTIO VII.

An his verbis, Creſcite & multiplicamini, præcipiatur ſingulis Matrimonium contrahere?

CONCLVSIO I.

Qvòd à Domino dictum eſt Geneſ. 1. cap. Creſcite & multiplicamini, id eò ſpectat, vt cuius rei cauſa Matrimonium inſtitutum erat, declaret, nō vt ſingulis hominibus neceßitatem imponat.

Eſt Catech. §. Quòd verò à Domino dictum eſt. Et D. Thom. in ſupp. q. 41. art. 2.

Sic interpretatur hūc locum Tertullianus in lib. de Monogamia ante mediū. D. Cyprianus lib. de habitu Virginum. D. Hieronymus lib. 1. in Ioannem. D. Auguſt. lib. de ſancta Virginitate cap. 9. & alij.

CONCLVSIO II.

Avcto iam humano genere, non ſolùm vlla lex vxorem ducere aliquem non cogit, ſed potius virginitas ſummoperè

mopere commendatur, & vnicuique in ſacris litteris ſuadetur, vt quæ Matrimonij ſtatu præſtantior ſit, maioremq; in ſe perfectionem & ſanctitatem contineat.

Eſt Catech. §. Nunc enim aucto, &c. Et D. Thomæ ſup.

Sic docet Saluator Matthæi 9. cùm ait: *Qui poteſt capere capiat:* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis.*

QVAESTIO VIII.

Quibus de cauſis vir & mulier debent Matrimonium contrahere?

NOTA plures aſsignari à DD. cauſas;

Quædam ſunt veluti principales & præcipuæ, quarum aliquam ſibi proponere quiſque debet, qui piè & religiosè, vt ſanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.

Aliæ ſunt veluti ſecundariæ, quæ ſi ad illas principales vel illarum aliquam accedant, damnandæ non ſunt, cùm Matrimonij ſanctitati non repugnent.

Reſpondendo igitur quæſtioni, recenſebimus primò principales, deinde ſecundarias & minus principales.

CONCLVSIO I.

Prima ratio principalis eſt, hæc ipſa diuerſi ſexus naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilij ſpe conciliata, vt alter alterius ſpe adiutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Eſt Catech. §. Prima igitur ratio. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 2.

CONCLVSIO II.

SEcunda eſt procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, vt bonorum & diuitiarum hæredes relinquãtur, quàm vt verè fidei & religionis cultores educentur.

Eſt Catech. §. Altera eſt, &c. Et D. Thomæ ſup.

Patet ſanctorum exemplis, præſertim veteris teſtamenti. Hoc enim maximè ſanctis illis Patriarchis, cùm vxores ducerent, propoſitum fuiſſe ex ſacris litteris ſatis apparet. Quare Angelus cùm Tobiam admoneret quo pacto mali Dæmonis vim poſſet repellere: *Oſtendam*, inquit, *tibi quæ ſunt quibus praualere poteſt Dæmonium; hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos.* Deinde ſubiecit: *Accipiens virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.*

Ex hoc ſequitur illorum ſcelus grauiſsimum eſſe, qui Matrimonio iuncti, medicamentis vel conceptũ impediũt, vel partum abigunt, hæc enim homicidarum impia conſpiratio exiſtimanda eſt.

CONCLVSIO III.

TErtia eſt, vt ſcilicet qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonij remedio ad vitanda peccata vtatur.

Eſt Catech. §. Tertia eſt quæ poſt primi, &c. Et D. Thom. ſup.

Hæc cauſa poſt primi parẽtis lapſum ad alias cauſas acceſsit, cùm propter iuſtitiæ, in qua homo conditus erat, amiſsionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit.

moperè commendatur, & vnicuique in ſacris litteris ſuadetur, vt quæ Matrimonij ſtatu præſtantior ſit, maioremq́ in ſe perfectionem & ſanctitatem contineat.

Eſt Catech. §. Nunc enim aucto,&c. Et D. Thomæ ſup.

Sic docet Saluator Matthæi 9. cùm ait: *Qui poteſt capere capiat:* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis.*

QVAESTIO VIII.

Quibus de cauſis vir & mulier debent Matrimonium contrahere?

NOTA plures aſsignari à DD. cauſas;

Quædam ſunt veluti principales & præcipuæ, quarum aliquam ſibi proponere quiſque debet, qui piè & religiosè, vt ſanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.

Aliæ ſunt veluti ſecundariæ, quæ ſi ad illas principales vel illarum aliquam accedant, damnandæ non ſunt, cùm Matrimonij ſanctitati non repugnent.

Reſpondendo igitur quæſtioni, recenſebimus primò principales, deinde ſecundarias & minus principales.

CONCLVSIO I.

Prima ratio principalis eſt, hæc ipſa diuerſi ſexus naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilij ſpe conciliata, vt alter alterius ſpe adiutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Eſt Catech. §. Prima igitur ratio. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 2.

CON

CONCLVSIO II.

SEcunda eſt procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, vt bonorum & diuitiarum hæredes relinquãtur, quàm vt verè fidei & religionis cultores educentur.

Eſt Catech. §. Altera eſt, &c. Et D. Thomæ ſup.

Patet ſanctorum exemplis, præſertim veteris teſtamenti. Hoc enim maximè ſanctis illis Patriarchis, cùm vxores ducerent, propoſitum fuiſſe ex ſacris litteris ſatis apparet. Quare Angelus cùm Tobiam admoneret quo pacto mali Dæmonis vim poſſet repellere: *Oſtendam*, inquit, *tibi quæ ſunt quibus præualere poteſt Dæmonium; hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos.* Deinde ſubiecit: *Accipiens virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.*

Ex hoc ſequitur illorum ſcelus grauiſſimum eſſe, qui Matrimonio iuncti, medicamentis vel conceptũ impediũt, vel partum abigunt, hæc enim homicidarum impia conſpiratio exiſtimanda eſt.

CONCLVSIO III.

TErtia eſt, vt ſcilicet qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonij remedio ad vitanda peccata vtatur.

Eſt Catech. §. Tertia eſt quæ poſt primi, &c. Et D. Thom. ſup.

Hæc cauſa poſt primi parẽtis lapſum ad alias cauſas acceſſit, cùm propter iuſtitiæ, in qua homo conditus erat, amiſſionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit.

De hac ita ſcribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaque ſuum virum.* Ac paulò poſt, cùm docuiſſet interdùm orationis cauſa à Matrimonij debito abſtinendùm eſſe, ſubiecit: *Et iterùm reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſathanas propter incontinentiam veſtram.*

CONCLVSIO IIII.

His principalibus cauſis enumeratis, ſubinde accedunt quædam aliæ quaſi ſecũdariæ, quibus etiam homines inducuntur vt Matrimonium ineant, atque in habendo vxoris delectu hanc illi præponunt, vt ſunt hæredis relinquendi deſiderium, diuitiæ, forma, generis ſplẽdor, morũ ſimilitudo.

Eſt Catech. §. Quod ſi ad eas cauſas.

Hæ rationes, ſicut ante dictum eſt, damnandæ nõ ſunt, cùm Matrimonij ſanctitati non repugnent.

Conſtat exemplo ſacræ ſcripturæ. Neque enim Iacob Patriarcha Geneſ. 29. reprehenditur, quòd Rachaëlem, eius pulchritudine illectus, Liæ prætulerit.

Hæc ſufficiunt de Matrimonio vt naturalis coniunctio eſt & naturæ officium; Nunc ſequitur vt agatur de Matrimonio vt eſt ſacramentum.

QVAESTIO IX.

Quare Chriſtus voluit Matrimoniũ eſſe Sacramentum? Et: Cuius rei eſt Sacramentum?

CONCLVSIO I.

Quemadmodùm Matrimonium, vt naturalis coniunctio, ad propagandum humanum genus ab initio inſtitutum eſt: Ita deinde vt populus ad veri Dei & Saluator

natoris noſtri cultum & religionem procrearetur atque educaretur, ſacramenti dignitas illi à Chriſto tributa eſt.

Eſt Catech. §. Vt autem ſacramentum eſt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 1. & 2.

CONCLVSIO II.

MAtrimonium, ſiue maris & fœminæ coniunctio, ſacramentum eſt, ſiue ſignum ſacrum arctiſſimæ illius neceſſitudinis & ſummæ charitatis quæ Chriſto cum Eccleſia & nobiſcum intercedit.

Eſt Catech. §. Cum enim Chriſtus Dominus. Et D. Thom. ſup.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Chriſtus conuenienter inſtituerit vt Matrimonium eſſet ſignum coniunctionis quæ illi eſt cum Eccleſia?

Dicendum, aptiſsimè id à Chriſto factum eſſe; Nam ex omnibus humanis neceſsitatibus, nulla inter ſe homines magis, quàm Matrimonij vinculum conſtringit, maximaque inter ſe vir & vxor charitate & beneuolentiâ deuincti ſunt.

Probant hoc ipſum ſacræ litteræ, cùm frequenter nuptiarum ſimilitudine diuinam hanc Chriſti & Eccleſiæ copulationem nobis ante oculos proponunt, vt Matth. 22. & 25. Apocalypſis 9. & alijs locis.

Ex dictis duo ſequuntur.

Primum, Matrimoniũ, vt eſt ſacramẽtum, ad altiorem finem referri, quàm refertur vt eſt naturalis coniunctio.

Alterum, eſſe etiam natura præſtantius, ſicut inferiùs adhuc magis eluceſcet.

QVAESTIO X.

An Matrimonium ſit Sacramentum?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

Matrimonium eſt Sacramentum.

Eſt Catech. §. Iam verò Matrimonium Sacramentum eſſe. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 1.

Hanc Eccleſia Apoſtoli auctoritate confirmata, certam & exploratam ſemper habuit. Ita enim ad Epheſios 5. ſcribit: *Viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui ſuam vxorē diligit, ſeipſum diligit; Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiā, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrē & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnū eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Nam quod inquit, *Sacramentū hoc magnum eſt*, nemini dubium eſſe debet ad Matrimonium referendum eſſe, quod ſcilicet viri & mulieris coniunctio, cuius Deus auctor eſt, ſanctiſſimi illius vinculi, quo Chriſtus Dominus cum Eccleſia cōiungitur, ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum ſit.

Hanc eſſe verborum Apoſtoli veram & propriā ſententiam, veteres Sancti Patres, qui eum locum interpretati ſunt, oſtendunt. Idemque ſancta Tridentina Synodus Seſſ. 24. de Matrimonio in principio explicauit.

Quòd etiam Matrimonium gratiam ſanctificantem ſignificet & tribuat, in quo maximè ſacramenti ratio conſiſtit, hęc eiuſdem Synodi verba declarant. *Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatē confirmaret, coniugesq; ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector ſua nobis paſſione promeruit.*

Ex his verbis hoc clarè colligitur, huius ſacramẽti gratiam ad hoc valere, vt vir & vxor mutuæ charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius beneuolentiâ conquieſcat, alienoſque & illicitos amores & concubitus non quærat, ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus.

QVAESTIO XI.

An Sacramentum Matrimonij ſit pręſtãtius ijs Matrimonijs quæ ante vel poſt legem iniri ſolebant?

CONCLVSIO VNICA.

Sacramentum Matrimonij longè præſtantius eſt ijs Matrimonijs quæ ante vel poſt legem iniri ſolebant.

Eſt Catech. §. Sed quantum Matrimonij ſacramentum, &c. Et D. Thomæ ſup.

Hanc ex duobus facilè eſt cognoſcere; Primò, ex eò quòd etſi gentes Matrimonio diuini aliquid ineſſe arbitrabãtur, atque ob eã rẽ vagos concubitus à naturæ lege alienos eſſe, itemque ſtupra, adulteria & alia libidinis genera vindicanda eſſe iudicabant: tamen eorum connubia nullam prorſus ſacramenti vim habuerunt. Apud Iudæos quidẽ religioſiùs omninò nuptiarum leges ſeruari conſueuerant: neque dubitãdum quin eorum Matrimonia maiori ſanctitate prædita eſſent. Cùm enim promiſsionem accepiſſent, fore aliquando, vt omnes gentes; in ſemine Abrahæ benedicerẽtur; magnæ apud eos pietatis officium meritò eſſe videbatur, filios procreare, electi populi ſobolem, ex qua ChriſtusDominus Saluator noſter, quo ad humanam naturam attinet, ortum

Eſt Catech. § Imprimis itaq; docẽdi ſunt fideles, &c. Et D.Thom. in ſupp. q. 41.art.1.

Probatur ſcripturarum auctoritatibus. Scriptum eſt enim in Geneſ. 1. cap. *Maſculum & fœminam creauit eos: benedixitq; illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini.* Et: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi:* Ac paulò poſt: *Adæ verò nõ inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporẽ in Adam: cumq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitq; Adam: Hoc nunc os, de oſsibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ ipſo Domino auctore apud Sanctum Matthæum cap.10. oſtendunt Matrimonium diuinitus inſtitutum eſſe.

QVAESTIO VI.

An Matrimonium, quatenus eſt naturalis quædam coniunctio, ſit indiſſolubile?

CONCLVSIO I.

D*Eus non tãtummodò Matrimonium inſtituit, verùm perpetuum etiam & indiſſolubilẽ nodum ei addixit.* Eſt Catech. §. Neque verò Deus Matrimonium.

Probatur primò auctoritate ſanctæ Tridentinæ Synodi, quæ hoc declarauit in principio Seſſ.24.

Deinde & maximè ſacræ ſcripturæ, Siquidem Matth. 19. Saluator ait: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

CONCLVSIO II.

Quamuis Matrimonio, quatenus naturæ eſt officium, conueniat vt diſſolui non poſſit, tamen id maximè fit quatenus eſt ſacramentum; qua ex re etiam in omnibus quæ naturæ lege eius propria ſunt, ſummam perfectionem conſequitur.

Eſt Catech. §. Quamuis enim Matrimonio, &c.

Prior pars concluſionis patet, ex precedenti concluſione.

Præterea hac ratione; Nam & prolis educandæ ſtudio, & alijs Matrimonij bonis repugnat, vt eius vinculum diſſolubile ſit.

QVAESTIO VII.

An his verbis, Creſcite & multiplicamini, præcipiatur ſingulis Matrimonium contrahere?

CONCLVSIO I.

Quòd à Domino dictum eſt Geneſ. 1. cap. Creſcite & multiplicamini, id eò ſpectat, vt cuius rei cauſa Matrimonium inſtitutum erat, declaret, nõ vt ſingulis hominibus neceſſitatem imponat.

Eſt Catech. §. Quòd verò à Domino dictum eſt. Et D. Thom. in ſupp. q. 41. art. 2.

Sic interpretatur hũc locum Tertullianus in lib. de Monogamia ante mediũ. D. Cyprianus lib. de habitu Virginum. D. Hieronymus lib. 1. in Ioannem. D. Auguſt. lib. de ſancta Virginitate cap. 9. & alij.

CONCLVSIO II.

Aucto iam humano genere, non ſolùm vlla lex vxorem ducere aliquem non cogit, ſed potius virginitas ſummoperè

mopere commendatur, & vnicuique in ſacris litteris ſuadetur, vt quæ Matrimonij ſtatu præſtantior ſit, maioremq́ue in ſe perfectionem & ſanctitatem contineat.

Eſt Catech. §. Nunc enim aucto, &c. Et D. Thomæ ſup.

Sic docet Saluator Matthæi 9. cùm ait: *Qui poteſt capere capiat:* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis.*

QVAESTIO VIII.

Quibus de cauſis vir & mulier debent Matrimonium contrahere?

NOTA plures aſsignari à DD. cauſas; Quædam ſunt veluti principales & præcipuæ, quarum aliquam ſibi proponêre quiſque debet, qui piè & religioſè, vt ſanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.

Aliæ ſunt veluti ſecundariæ, quæ ſi ad illas principales vel illarum aliquam accedant, damnandæ non ſunt, cùm Matrimonij ſanctitati non repugnent.

Reſpondendo igitur quæſtioni, recenſebimus primò principales, deinde ſecundarias & minus principales.

CONCLVSIO I.

PRima ratio principalis eſt, hæc ipſa diuerſi ſexus naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilij ſpe conciliata, vt alter alterius ſpe adiutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Eſt Catech. §. Prima igitur ratio. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 2.

CON

CONCLVSIO II.

SEcunda eſt procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, vt bonorum & diuitiarum hæredes relinquãtur, quàm vt verè fidei & religionis cultores educentur.

Eſt Catech. §. Altera eſt,&c. Et D. Thomæ ſup.

Patet ſanctorum exemplis, præſertim veteris teſtamenti. Hoc enim maximè ſanctis illis Patriarchis, cùm vxores ducerent, propoſitum fuiſſe ex ſacris litteris ſatis apparet. Quare Angelus cùm Tobiam admoneret quo pacto mali Dęmonis vim poſſet repellere: *Oſtendam*, inquit, *tibi quæ ſunt quibus præualere poteſt Dæmonium; hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos.* Deinde ſubiecit: *Accipiens virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris.*

Ex hoc ſequitur illorum ſcelus grauiſsimum eſſe, qui Matrimonio iuncti, medicámentis vel conceptũ impediũt, vel partum abigunt, hæc enim homicidarum impia conſpiratio exiſtimanda eſt.

CONCLVSIO III.

TErtia eſt, vt ſcilicet qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonij remedio ad vitanda peccata vtatur.

Eſt Catech. §. Tertia eſt quæ poſt primi, &c. Et D. Thom. ſup.

Hæc cauſa poſt primi parẽtis lapſum ad alias cauſas acceſsit, cùm propter iuſtitiæ, in qua homo conditus erat, amiſsionem, appetitus rectę rationi repugnare cœpit.

De hac

De hac ita ſcribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaque ſuum virum.* Ac paulò poſt, cùm docuiſſet interdùm orationis cauſa à Matrimonij debito abſtinendum eſſe, ſubiecit: *Et iterùm reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſathanas propter incontinentiam veſtram.*

CONCLVSIO IIII.

His principalibus cauſis enumeratis, ſubinde accedunt quadam alia quaſi ſecūdaria, quibus etiam homines inducuntur vt Matrimonium ineant, atque in habendo vxoris delectu hanc illi praponunt, vt ſunt haredis relinquendi deſiderium, diuitia forma, generis ſplēdor, morū ſimilitudo.

Eſt Catech. §. Quod ſi ad eas cauſas.

Hæ rationes, ſicut ante dictum eſt, damnandæ nō ſunt, cùm Matrimonij ſanctitati non repugnent.

Conſtat exemplo ſacræ ſcripturæ. Neque enim Iacob Patriarcha Geneſ. 29. reprehenditur, quòd Rachaëlem, eius pulchritudine illectus, Liæ prætulerit.

Hæc ſufficiunt de Matrimonio vt naturalis coniunctio eſt & naturæ officium; Nunc ſequitur vt agatur de Matrimonio vt eſt ſacramentum.

QVAESTIO IX.

Quare Chriſtus voluit Matrimoniū eſſe Sacramentum? Et: Cuius rei eſt Sacramentum?

CONCLVSIO I.

Quemadmodùm Matrimonium, vt naturalis coniunctio, ad propagandum humanum genus ab initio inſtitutum eſt: Ita deinde vt populus ad veri Dei & Saluator

natoris noſtri cultum & religionem procrearetur atque educaretur, ſacramenti dignitas illi à Chriſto tributa eſt.

Eſt Catech. §. Vt autem ſacramentum eſt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 1. & 2.

CONCLVSIO II.

Matrimonium, ſiue maris & fœminæ coniunctio, ſacramentum eſt, ſiue ſignum ſacrum arctiſſimæ illius neceſſitudinis & ſummæ charitatis quæ Chriſto cum Eccleſia & nobiſcum intercedit.

Eſt Catech. §. Cum enim Chriſtus Dominus. Et D. Thom. ſup.

DIFFICVLTAS VNICA.

An Chriſtus conuenienter inſtituerit vt Matrimonium eſſet ſignum coniunctionis quæ illi eſt cum Eccleſia?

Dicendum, aptiſſimè id à Chriſto factum eſſe; Nam ex omnibus humanis neceſſitatibus, nulla inter ſe homines magis, quàm Matrimonij vinculum conſtringit, maximaque inter ſe vir & vxor charitate & beneuolentiâ deuincti ſunt.

Probant hoc ipſum ſacræ litteræ, cùm frequenter nuptiarum ſimilitudine diuinam hanc Chriſti & Eccleſiæ copulationem nobis antè oculos proponunt, vt Matth. 22. & 25. Apocalypſis 9. & alijs locis.

Ex dictis duo ſequuntur.

Primum, Matrimoniū, vt eſt ſacramētum, ad altiorem finem referri, quàm refertur vt eſt naturalis coniunctio.

Alterum, eſſe etiam natura præſtantius, ſicut inferiùs adhuc magis eluceſcet.

QVAESTIO X.

An Matrimonium ſit Sacramentum?

CON-

CONCLVSIO VNICA.

M*Atrimonium eſt Sacramentum.*

Eſt Catech. §. Iam verò Matrimonium Sacramentum eſſe. Et D. Thom. in ſupp. q. 42. art. 1.

Hanc Eccleſia Apoſtoli auctoritate confirmata, certam & exploratam ſemper habuit. Ita enim ad Epheſios 5. ſcribit: *Viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui ſuam vxorē diligit, ſeipſum diligit; Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiā, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrē & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnū eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Nam quod inquit, *Sacramentū hoc magnum eſt*, nemini dubium eſſe debet ad Matrimonium referendum eſſe, quod ſcilicet viri & mulieris coniunctio, cuius Deus auctor eſt, ſanctiſsimi illius vinculi, quo Chriſtus Dominus cum Eccleſia cōiungitur, ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum ſit.

Hanc eſſe verborum Apoſtoli veram & propriā ſententiam, veteres Sancti Patres, qui eum locum interpretati ſunt, oſtendunt. Idemque ſancta Tridentina Synodus Seſſ. 24. de Matrimonio in principio explicauit.

Quòd etiam Matrimonium gratiam ſanctificantem ſignificet & tribuat, in quo maximè ſacramenti ratio conſiſtit, hęc eiuſdem Synodi verba declarant. *Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatē confirmaret, coniugesq; ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector ſua nobis paſsione promeruit.*

Ex his

Ex his verbis hoc clarè colligitur, huius ſacramēti gratiam ad hoc valere, vt vir & vxor mutuæ charitatis vinculo coniūcti, alter in alterius beneuolentiâ conquieſcat, alienoſque & illicitos amores & concubitus non quærat, ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus.

QVAESTIO XI.

An Sacramentum Matrimonij ſit pręſtãtius ijs Matrimonijs quæ ante vel poſt legem iniri ſolebant?

CONCLVSIO VNICA.

Sacramentum Matrimonij longè præſtantius eſt ijs Matrimonijs quæ ante vel poſt legem iniri ſolebant.

Eſt Catech. §. Sed quantum Matrimonij ſacramentum, &c. Et D. Thomæ ſup.

Hanc ex duobus facilè eſt cognoſcere; Primò, ex eò quòd etſi gentes Matrimonio diuini aliquid ineſſe arbitrabãtur, atque ob eã rē vagos concubitus à naturæ lege alienos eſſe, itemque ſtupra, adulteria & alia libidinis genera vindicanda eſſe iudicabant: tamen eorum connubia nullam prorſus ſacramenti vim habuerunt. Apud Iudæos quidē religioſiùs omninò nuptiarum leges ſeruari conſueuerant: neque dubitãdum quin eorum Matrimonia maiori ſanctitate prædita eſſent. Cùm enim promiſsionem accepiſſent, fore aliquando, vt omnes gentes; in ſemine Abrahæ benedicerētur; magnæ apud eos pietatis officium meritò eſſe videbatur, filios procreare, electi populi ſobolem, ex qua ChriſtusDominus Saluator noſter, quo ad humanam naturam attinet, ortum

habiturus eſſet, propagare: Nec illæ tamen coniun-ctiones veram ſacramenti rationem habuerunt.

Secundò, ex eo, quòd ſiue naturæ poſt peccatum, ſiue Moyſis legẽ ſpectemus, facilè animaduertimus Matrimonium à primi ortus ſui decore & honeſtate decidiſſe: Dum enim naturæ lex vigebat, multos ex antiquis Patribus fuiſſe comperimus, qui plures ſimul vxores ducerent. Deinde verò in lege Moyſis dato repudij libello, permiſſum erat, ſi cauſa fuiſſet, diuortium cum vxore facere: quorum vtrumque ab Euangelica lege ſublatum, Matrimoniumque in priſtinum ſtatum reſtitutũ eſt. Nam quòd polygamia à Matrimonij natura aliena eſſet (etſi aliqui ex priſcis Patribus accuſandi non ſunt, quòd non ſine Dei indulgentia plures vxores ducerent) Chriſtus Dominus, Matthæi 19. cap. oſtendit illis verbis: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Deinde ſubiungit, *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Quibus verbis planum fecit, Matrimonium ita à Deo inſtitutum eſſe, vt duorum tantùm, non plurium cõiunctione definiretur. Hoc etiã Marci 10. cap. apertiſsimè docuit. Inquit enim: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium cõmittit ſuper eam, et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mæchatur.* Nã ſi viro liceret plures vxores ducere, nulla omninò cauſa eſſe videretur, cur magis adulterij reus eſſe dicendus eſſet, quòd præter eam vxorem, quam domi haberet, aliam duceret, quàm quòd priore dimiſſa, cum alia coniungeretur.

Ex his facilè reſponderi poteſt ad id quod quæri ſolet: Quid faciendum ſit cum infideli ad fidem conuerſo, qui prius plures vxores duxerat; Iubet ſiquidem eum Eccleſia cæteras omnes relinquere,

ac prip-

ſe priorem tantùm iuſtæ & legitimæ vxoris loco habere.

QVAESTIO XII.

An Matrimonium diſſolui & ſeparari poſſit? Et: Quare expedit Matrimonium eſſe indiſſolubile?

CONCLVSIO I.

Vinculum Matrimonij nulla re niſi morte diſrumpi poteſt.

Eſt Catech.§. Verùm eodem Chriſti Domini teſtimonio. Et D.Thom.in ſupp. q. 67. per totam.

Patet ex eodem Chriſti teſtimonio ſtatim allegato. Si enim poſt libellum repudij mulier à lege viri ſoluta eſſet; liceret ei ſine vllo adulterij crimine alteri viro nubere; Atqui Dominus apertè denunciat, Matth. 19. *Omnis qui dimittit vxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur*; Ergo coniugij vinculum nulla re niſi morte diſrumpi perſpicuum eſt.

Confirmat hoc ipſum Apoſtolus 1. Corinth. 7. cùm inquit: *Mulier alligata eſt legi quanto tẽpore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege, cui vult nubat tantùm in Domino.* Et rurſus: *His qui Matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Licétne iuſtis quibuſdam ex cauſis virum à muliere, ſaltẽ quoad thorum & cohabitationem ſeparari?

Dicendum licere, ſicut patet ex verbis Apoſtoli iam allegatis, ſed ſequẽdum tunc Apoſtoli conſiliũ, qui mulieri, quæ iuſta de cauſa virum reliquerat,

hanc optionem detulit, vt aut innupta maneat, aut viro ſuo reconcilietur. Neque enim ſancta Eccleſia viro & vxori permittit, vt ſine grauioribus cauſis alter ab altero diſcedat.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

VTile & conſultum admodùm eſt vt Matrimonium ſit prorſus indiſſolubile; Primùm enim homines in coniungendis Matrimonijs virtutem potius, & morum ſimilitudinem, quam diuitias, & pulchritudinem ſpectandam eſſe, hinc intelligent: qua quidem re communi ſocietati maximè conſuli nemo dubitare poteſt. Præterea, ſi diuortio Matrimonium diſſolueretur, vix vnquam diſsidendi cauſa hominibus, quæ ijs ab antiquo pacis, & pudicitiæ hoſte quotidie obijcerentur, deeſſent. Nunc verò cùm fideles ſecum cogitant, quamuis etiam coniugij conuictu, & conſuetudine careant, ſe tamen Matrimonij vinculo cõſtrictos teneri, omnẽq; alterius vxoris ducendæ ſpem ſibi præciſam eſſe; Ea re fit, vt ad iracundiam, & diſsidia tardiores eſſe conſueuerint. Quòd ſi interdùm etiã diuortium faciant, & diutiùs coniugis deſiderium ferre non poſſunt, & facilè per amicos reconciliati ad eius conuictum redeunt.

Eſt Catech. §. Ac ne forte alicui videatur.
Neque eget maiori explicatione.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ſuadendum ſit viro cum vxore, quam adulterij cauſâ dimiſit, ſi pœniteat, in gratiam redire?

Omninò ſuadendum eſt. Ita nos docet D. Auguſtini ſalutaris admonitio. Is enim, vt oſtenderet fidelibus, haud grauatè faciẽdum eſſe, vt cum vxoribus,

quas

quas adulterij cauſâ dimiſiſſent, ſi eas delicti pœniteret, in gratiam reducerentur, ita ait lib. 2. de adulterijs coniugum cap. 6. & 9. *Cur vir fidelis non recipiet vxorem, quam recipit eccleſia? aut, Cur vxor viro adultero, ſed pœnitenti, non ignoſcat, cui etiam ignouit Chriſtus?*

Non obſtat huic doctrinæ, quod Prouerb. 18. ſcriptura ſtultum vocat qui tenet adulteram; Quia de ea ſentit, quæ cum deliquerit, pœnitere, & à cœpta turpitudine deſiſtere recuſat.

QVAESTIO XIII.

Quot ſunt bona Matrimonium excuſantia?

VT intelligatur quæſtio notanda ſunt duo; Primum, Matrimonium ſiue coniunctionem viri & mulieris egere aliqua excuſatione propter duas cauſas;

Prima, quia multa in ea ſunt incommoda quæ Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. indicat his verbis: *Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi.*

Secunda, quia coniunctio viri & mulieris, niſi debito fine & cum alijs circumſtantijs fiat, peccatum eſt.

Alterum eſt, in Matrimonio eſſe quædam, quæ ſi benè ſeruentur, & incommoda Matrimonij compēſant, & illud à peccato excuſant.

His prænotatis reſpondetur quæſtioni.

CONCLVSIO I.

TRia ſunt Matrimonij bona, quorum compenſatione illa incommoda leuiuntur, de quibus ſupra Apoſtolus, efficiturq́; vt coniunctiones corporum, quæ extrà Matrimo-

nium meritò damnandæ eſſent, cum honeſtate cõiunctæ ſint, id eſt, ſint bonæ & laudabiles.

Eſt Catech. §. Docendi prætereà ſunt fideles tria eſſe Matrimonij bona, quorum compenſatione, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 49. art. 1. & 2. & ſatis patet ex dictis.

CONCLVSIO II.

P*Rimum bonum eſt proles, id eſt, liberi, quos ex iuſta & legitima vxore intendere debet procreare is qui Matrimonio iungi volet.*

Eſt Catech. §. Primum igitur bonum eſt proles. Et D. Thomæ ſup. art. 3.

Hoc bonum multum commẽdat Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. cùm dicit: *Saluabitur mulier per filiorum generationem.*

Intelligi debet concluſio non ſolum de procreatione prolium, quam is qui nubit primò debet intẽdere; ſed etiam de educatione & diſciplinâ, quâ filij ad pietatem erudiuntur: Sic enim ibidem ſtatim ſubdit Apoſtolus: *Si in fide permanſerint*: Et Sapiens Eccleſiaſtici 7. ita monet: *Filij tibi ſunt, erudi illos & cura illos à pueritiâ illorum.* Idem quoque pluribus in locis docet Apoſtolus, vt ad Epheſios 6. Coloſſ. 3. cap. & alijs. Eiuſdem etiam inſtitutionis pulcherrima exempla Tobias, Iob, & alij Sanctiſsimi Patres in ſacris litteris præbent.

Quæ ſint parentum & filiorum officia, in quarto præcepto explicabitur.

CONCLVSIO III.

S*Ecundum Matrimonij bonum, eſt fides, non ille virtutis habitus, quo imbuimur cùm baptiſmum percipimus, ſed fidelitas quædam, quâ mutuò vir vxori, & vxor viro ita ſe obſtringit,*

obſtringit, vt alter alteri poteſtatem ſui corporis tradat, ſanctumq́; illud coniugij fœdus nunquam ſe violaturū pollicetur.

Eſt Catech. §. Sequitur fides, quod eſt alterum. Et D. Thom. ſup.

Colligitur ex illis verbis Geneſ. 2. cap. quæ à primo parẽte enunciata ſunt, cùm Euam ſuam vxorem accepit, quę deinde Chriſtus Dominus in Euangelio comprobauit Matth. 19. *Quare relinquet homo patrem & matrẽ & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Item ex eo Apoſtoli loco 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatẽ non habet, ſed vir; Similiter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Peccant in ſuo Matrimonio defectu huius boni, adulteri, qui fidem maritalem frangunt.

Quare optimo iure grauiſsimæ animaduerſiones à Domino in eos in veteri lege conſtitutæ erant, vt patet Leuitici 20. & Deut. 22.

Peccant etiam illi qui in Matrimonio ſuo non caſtè ſe amant; poſtulat enim Matrimonij fides vt vir & mulier ſingulari quodam, ſanctoq́; & puro amore coniuncti ſint, neque vt adulteri inter ſe ament, ſed vt Chriſtus dilexit Eccleſiam. Hanc enim regulam Apoſtolus præſcripſit ad Epheſios 5. cap. cùm ait: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiã,* quam certè immenſa illa charitate, non ſui cõmodi gratia, ſed ſponſæ tantùm vtilitatem proponens, cõplexus eſt.

CONCLVSIO IIII.

Tertium bonum ſacramentum appellatur, vinculum ſcilicet Matrimonij quod nunquam diſſolui poteſt.

Eſt Catech. §. Tertium bonum, &c. Et D. Thom. ſup. art. 3

Probatur primò ſcripturæ auctoritate. Nam vt eſt apud Apoſtolum 1. ad Corinth. 7. cap. *Dominus præcipit vxorem à viro non diſcedere: Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir vxorem non dimittat.*

Deinde ratione ex ſacra ſcriptura petita. Si enim Matrimonium, vt ſacramentum eſt, Chriſti cõiunctionem cum Eccleſia ſignat, neceſſe eſt, vt Chriſtus ſe nunquam ab Eccleſia diſiungit, ita vxorem à viro, quod ad Matrimonij vinculum attinet, ſeparari non poſſe.

DIFFICVLTAS I.

Qua ratione vinculum iſtud Matrimonij, & ſancta iſta ſocietas poterit foueri & conſeruari?

Dicendum, ſi viri & vxoris officia quæ à Sancto Paulo, & à Principe Apoſtolorum Petro deſcripta ſunt, ſeruentur.

DIFFICVLTAS II.

Quæ ſunt ergo viri & vxoris officia?

Primò viri munus eſt, vxorem liberaliter & honorificè tractare. Huc videtur ſpectaſſe Adam cùm Euam vxorem ſuam ſociam appellauit. Geneſ. 3. *Mulier quam dediſti mihi ſociam.* Eius etiam rei cauſa aliqui Patres, vt D. Auguſt. lib. 12. de ciuitate Dei cap. 26. Et Hugo de Sancto Victore in annotationibus ſuper Geneſim, factum eſſe docuerunt, vt ea non ex pedibus, ſed ex latere viri formaretur, Quemadmodùm etiam ex capite condita non eſt, vt ſe viri dominam non eſſe intelligeret, ſed viro potius ſubiectam.

Secundò, decet virum in alicuius honeſtæ rei ſtudio ſemper occupatum eſſe, tum vt ea ſuppeditet,

quæ ad familiam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, tum ne inerti otio lãgueſcat, à quo ferè omnia vitia fluxerunt.

Tertiò & poſtremò, viri eſt familiam rectè conſtituere, omniũ mores corrigere, ſingulos in officio continere.

Vxoris partes ſunt, quas Apoſtolorum princeps numerat 1. epiſtolæ 3. cap. cùm inquit; *Mulieres ſubditæ ſunt ſuis viris, vt &c, ſi qui non credunt verbo; per mulierũ conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore ſanctam cõuerſationem veſtram, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis, homo in incorruptibilitate, quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubiectæ proprijs viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.*

Earum quoque præcipuum ſtudium eſt filios in religionis cultu educare, domeſticas res diligenter curare, domi quoque libenter ſe continere niſi neceſsitas cogat, idque ſine viri permiſſu nunquam facere.

Deinde, in quo maximè maritalis cõiunctio ſita eſt, meminiſſe ſemper ſecundum Deum magis quàm virum neminem diligendum eſſe, eóue pluris faciendum eſſe neminem, eique etiam omnibus in rebus, quæ chriſtianæ pietati non aduerſantur, morem gerere, & ſumma cum animi alacritate obtemperare.

QVÆSTIO XIIII.

Qui ritus in Matrimonio contrahendo ſeruari debent?

CONCLVSIO VNICA.

QVæ ad hanc rem attinent copioſè & accuratè à ſancta Tridentina Synodo tradita ſunt Seſſ.24.decreta de reformatione Matrimonij præſertim can.1. ab eo §. Antequam Matrimonium contrahatur, vſque ad finem capitis.

Eſt Catech.§. Harum rerum explicationi conſequens erit, &c.

Videatur ergo Concilium Tridentinum locô iam allegato.

QVÆSTIO XV.

An Matrimonia clandeſtina ſint vera & rata, vel potius nulla?

CONCLVSIO VNICA.

MAtrimonia quæ præſente parocho vel alio ſacerdote de ipſius parochi vel ordinarij licentiâ, certoq; teſtium numero non contrahuntur, neq; vera, neque rata Matrimonia habenda ſunt.

Eſt Catech.§. Imprimis autem ne adoleſcentes.

Sic decreuit Concilium Tridentinum ſupra his verbis: *Qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, Eos ſancta Syno-*

ſta Synodus ad ſic cōtrahendum omninò inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos & nullos decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.

QVÆSTIO XVI.

Quæ & quot ſunt Matrimonij impedimenta?

CONCLVSIO I.

IN hoc argumento plerique graues & doctiſſimi viri qui de vitijs & virtutibus conſcripſerūt, quos vulgò doctores caſuum conſcientiæ vocamus, adeò diligenter verſati ſunt, vt facile omnibus futurum ſit, quæ illi ſcriptis ſuis tradiderunt in hunc locum transferre.

Eſt Catech. §. Sed quæ Matrimonium etiam impediunt, &c.

Notandum hic obiter cum catechiſmo, paſtores libros caſuum conſcientiæ nunquam ferè è manibus deponere debere.

CONCLVSIO II.

QVæ à ſancta Synodo Tridentina ſancita ſunt de impedimēto, quod vel à cognatione ſpirituali, vel à iuſtitia publicæ honeſtatis, vel à fornicatione oritur, paſtores attentè legere & fidelibus tradere debent.

Eſt Catech. §. Tum quæ à ſancta Synodo ſancita, &c.

Habentur hæc in Synodo Tridentina ſupra can. 2, 3. & 4. quæ facile erit cuilibet inde petere.

QVAESTIO XVII.

Quæ præparatio requiritur in contracturis Matrimonium?

CONCLVSIO I.

P*Rimò, Contracturi Matrimonium ſingularem mentis integritatem & pietatem adferre debent.*

Eſt Catech. §. Ex quibus perſpici poteſt, &c.

Ratio eſt; Quia ſacramẽtum Matrimonij, ſicut ex antèdictis patet, non eſt res humana, ſed diuina, gratiam etiam conferens, cuius non eſt capax qui obnoxius eſt peccato mortali.

Probari quoque poteſt cõcluſio exemplis Patrũ veteris legis, quorum Matrimonia, tametſi ſacramẽti dignitate prædita non erant, ea tamẽ ſemper maximâ cum religione & ſanctimoniâ colenda eſſe exiſtimârunt.

CONCLVSIO II.

S*Ecundò, Filijfamilias parẽtibus & ijs, in quorũ fide & poteſtate ſunt, eum honorem tribuere debent, vt ipſis inſcientibus, nedum inuitis & repugnantibus Matrimonia nõ ineant.*

Eſt Catech. §. Inter cætera autem maximè, &c.

Nam in veteri Teſtamento licet animaduertere filios ſemper à patribus in Matrimonium collocatos eſſe, vt Geneſ. 24. per totum & 28. & 29.

Idem confirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. vbi plurimùm parentum voluntati hac in re deferendũ eſſe innuit, his verbis: *Qui Matrimonio iungit virginem ſuam benè facit, & qui non iungit melius facit.*

QVAESTIO XVIII. ET POSTREMA.

Quomodo verſari debent coniugati in Matrimonio?

ANTE reſolutionem diligenter notãdum cum Catechiſmo, Paſtoribus ita agẽdum de hacqueſtione, vt nullũ ex eorũ ore verbũ excidat, quod fideliũ auribus indignũ eſſe videatur, aut pias mentes lædere, aut riſum mouere queat. Vt enim, ſicut Pſalmiſta ait, Pſalm. 18. *Eloquia Domini, eloquia caſta ſunt:* Ita etiam maximè decet populi chriſtiani doctorem eiuſmodi orationis genere vti, quod ſingularem quandam grauitatem & mentis integritatem præ ſe ferat.

Hoc prænotato reſpondetur duabus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Coniugati nõ voluptatis aut libidinis cauſâ Matrimonio operam dare debent, ſed eo vtendum intra illos fines, qui, vt ſuprà demõſtrauimus, à Domino præſcripti ſunt.

Eſt Catech. §. Quare duo illa maximè docendi ſunt, &c. Et D. Thom. in ſupp. q. 49. art. 6.

Hinc Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. hortatur: *vt qui habent vxores tanquam non habentes ſint.* Et preclarè dixit D. Hieronymus lib. 1. contrà Iouinianum in fine: *Sapiens vir iudicio debet amare coniugem non affectu: reget impetus voluptatis nec præceps feretur ad coitũ. Nihil eſt fœdius quam vxorem amare quaſi adulteram.*

CONCLVSIO II.

Coniugati Deum orandi & obſecrandi cauſâ à Matrimonij officio interdũ abſtinere debent, imprimiſq; id ſibi

id ſibi obſeruandum eſſe ſciant, tribus ſaltē diebus, antequam ſacram Euchariſtiam percipiāt, ſæpius verò cum ſolēnia quadrageſimæ ieiunia celebrantur.

Eſt Catech. § Sed quoniam bona omnia.

Probatur auctoritate Patrum, qui rectè & ſanctè id præceperunt, vt videre eſt 33. q. 4. per totam, & c. Omnis homo, de Conſecr. diſt. 2. & apud D. Hieronymum in apologia pro lib. contrà Iouinianū poſt medium, & in cap. 12. Zachariæ ſuper illud: *In die plāctus magnus erit fructus thori immaculati.*

Et hæc ſufficiunt pro explicatione ſecundæ partis Catechiſmi.

CAPI-

TERTIAE PARTIS
CATECHISMI ROMANI,
QVAE EST DE DECALOGO, DIVINISQVE LEGIBVS ELVCIDATIO Scholaſtica.

PRAEFATIONIS Elvcidatio.

DE DECALOGO DIVINISQVE LEGIBVS IN GENERE.

Tertiæ partis præfatio complectitur aliquot quæſtiones, de Decalogo & diuinis legibus.

QVAESTIO I.

Quid eſt Decalogus?

CONCLVSIO VNICA.

D*Ecalogus eſt legum omnium ſumma & epitome.* Eſt Catech. §. Decalogum legũ omnium. Et D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 3.

Deſumpta eſt hæc definitio ex D. Auguſtino quæſt. 140. ſuper Exodum.

Probatur & explicatur; Nam cætera omnia quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis Exodi 31. cap. conſcripta ſunt, pendere intelliguntur, ſi diligenter quęratur vt rectè intelligãtur; quomo-

quomodo hæc ipſa rurſus decem præcepta, duobus illis nituntur, dilectionis ſcilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.

Vt hanc D. Auguſtini definitionem plenius intelligere poſsis, vide D. Thomam loco ſuperius allegato.

MONITIO.

Ex his ſtatim apparet, Paſtores & Catechiſtas oportere in decalogi contemplatione die nocteque verſari, non vt vitam ſuam modò ad hanc normam componãt, ſed etiam vt populum ſibi creditũ in legè Domini erudiant.

Tenentur paſtores erudire populum ſibi ſubditũ in lege Dei duabus de cauſis.

Prima, quia ſunt doctores populi; Sic enim de eis Malachiæ 2. ſcriptum eſt: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*: quod ad paſtores nouæ legis maximè pertinet, qui Deo propiores à claritate in claritatem, vt loquitur Apoſtolus 2. ad Corinth. 3. cap. transformari debent, tanquã à Domini ſpiritu.

Confirmat hoc Chriſtus Dominus, Matth. 5. cap. cùm eos lucis nomine nuncupat: Si enim lux ſunt mundi, propriæ ſunt illorum partes, vt ſint lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditores inſipientium, magiſtri infantium, & ſi præoccupatus quis fuerit in aliquo delicto, ipſi qui ſpirituales ſunt, huiuſmodi inſtruant.

Altera, quia in ſacris cõfeſsionibus Iudicis etiam perſonam ſuſtinent, ac pro genere & modo peccatorum ſententiam ferunt: Quare niſi ſuam inſcitiam alijs

alijs etiá eſſe fraudi velint, in eo ſint neceſſe eſt quàm vigilantiſsimi, & in diuinorum præceptorum interpretatione exercitatiſsimi, vt ad hanc diuinam regulam de quacumque & actione & officij prætermiſsione iudicium facere poſsint, & vt eſt apud Apoſtolum 2. ad Timoth. 4. *Sanam doctrinam tradant*: id eſt, quæ nullum contineat errorem, & animorũ morbis, quæ ſunt peccata, medeatur, vt ſit populus Deo acceptus, ſectator bonorum operum.

QVAESTIO II.

Quot, & quæ ſunt quæ ad obſeruationem Decalogi nos inducere debẽt?

CONCLVSIO VNICA.

Quinque ſunt; Primum, auctor illius, qui eſt Deus ipſe. Secundum, maieſtas & ſolennitas, quâ Deus decalogũ promulgauit. Tertium, poſsibilitas, imo facilitas obſeruandi illum. Quartum, neceſsitas implendi illum ſi ſalutem conſequi velimus. Quintum & poſtremum, multiplex fructus & vtilitas obſeruationis illius.

Eſt Catech. §. Iam verò in huiuſmodi tractationibus.

Quinque ſunt huius concluſionis partes, quę totidem quæſtionibus explicantur.

QVAESTIO III.

Quis eſt auctor Decalogi?

CONCLVSIO VNICA.

Deus eſt auctor Decalogi.

Eſt Catech. §. Inter cætera autem quę animo, &c. Et D.Thom. 1. 2. q. 98. art. 2.

Huius concluſionis amplum teſtimonium præ-

bent non ſolùm ipſius legiſlatoris verba, quæ paulò explicabuntur, ſed infinita pœnè ſcripturarum loca quæ paſtoribus facilè occurrent, vt Exod. 24. Leuit. 4. Iſa. 33. & alia.

Probatur quoque ratione Theologica tali; Nemo enim eſt quin ſibi à Deo legem in animo inſitã eſſe ſentiat, quâ bonum à malo, honeſtum à turpi, iuſtũ ab iniuſto poſsit ſecernere, cuius vis & ratio legis, cũ ab ea quę ſcripta eſt diuerſa non ſit, quis eſt, qui vt intimæ, ſic ſcriptæ legis auctorem Deum negare audeat.

Non obſtat huic doctrinę quod ad Galatas 3. cap. Lex dicitur data eſſe per Angelos, & Ioannis 1. dicitur data eſſe per Moyſen; Quia nihil aliud volunt, illæ ſcripturæ, quàm Angelos & Moyſen miniſtros fuiſſe, per quos Deus ipſe legem ſuam promulgauit.

DIFFICVLTAS I.

Legi Moyſi per Christi legem derogatũ eſt, quomodo ergo iam dictum eſt populum his legibus teneri?

Dicendum, non propterea his legibus homines teneri, quòd per Moyſen datæ ſunt, ſed quòd omniũ animis, vt ante oſtẽſum eſt, ſunt ingenitę & per Chriſtum Dominum explicatæ & confirmatę. cùm enim Deus Moyſi legem dedit, non nouam aliquam legẽ tulit, ſed verius hanc diuinam legem pœnè iam prauis moribus & diuturna peruerſitate obſcuratam, illuſtriorem reddidit.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo illa cogitatio, Deum eſſe qui legem tulit, iuuat ad obſeruationem ipſius legis?

Quia de Dei ſapientia & æquitate dubitare nemo poteſt, neque eius infinitam vim atque potentiam effugere.

Inſinua

Inſinuauit hanc rationem Deus, qui cùm per Prophetas iuberet ſeruari legem, ſe Dominum Deum eſſe teſtatus eſt, & in ipſo decalogi exordio dixit: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Et alibi Malachiæ 1. *Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?*

DIFFICVLTAS III.

Habétne prætereà hæc cogitatio & aliam vim in animis noſtris?

Habet; Nam non ſolùm excitat animos fidelium ad ſeruanda Dei præcepta, ſed etiam ad gratiarum actionem. Magnum ſiquidem beneficium eſt, quod Deus ſuam, quę ſalutem noſtram contineret, voluntatem explicârit. Teſtatur hoc ſcriptura, quæ nõ vno loco maximũ hoc beneficium declarans, populũ cõmonefacit, vt ſuam dignitatem ac Dei beneficẽtiam cognoſcat, veluti cùm ait Deuteron. 4. *Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna.* Et rurſus Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

QVAESTIO IIII.

Qua ſolenitate & maieſtate Deus promulgauit Decalogum?

CONCLVSIO VNICA.

IPſe Deus Decalogi auctor clarè oſtendit. Paulò enim antequam ferretur Lex, Dei iuſſu dictum eſt omnibus, vt veſtimenta lauarent, vxores non attingerẽt, vt ad diem tertiũ adeſſent; Deinde cùm ad montem eſſent adducti, vnde Dominus illis legem per Moyſen erat laturus, vni Moyſi dictum eſt, vt in montem aſcenderet, quò Deus maxima cum maieſtate venit, & locum tonitruis, fulgoribus, igne, denſiſq; nebulis circumfudit, ac loqui cum Moyſe cœpit, eiq; leges dedit.

Eſt Catech. §. Verùm ſi parochus prætereà,&c. Et patet ad longum Exod. 19. cap.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quomodo hæc ſolennitas iuuat & inducit ad obſeruationem Decalogi?

Dicendum, quia quilibet facilè animaduertere poteſt diuinam ſapientiam nullam aliam ob cauſam has ſolennitates tam magnificas, & ſimul terribiles obſeruari voluiſſe, niſi vt nos moneret, caſto, humilique animo legem Domini accipiendam eſſe: quòd ſi præcepta negligerémus, paratas nobis à diuina iuſtitia pœnas imminere.

QVÆSTIO V.

An ſit poſſibile, vel etiam facile obſeruare præcepta Decalogi?

CONCLVSIO VNICA.

Non ſolùm poßibile eſt, ſed etiam facile ſeruare Decalogum.

Eſt Catech. §. Quin etiam legis iuſſa difficultatẽ. Et D. Thomæ 1.2.q. 100. art. 10. & q. 109. art. 4.

Probatur vna hac ratione ex Sancto Auguſtino Serm. 47. de Sanctis, cùm inquit: *Qui quæſo dicitur impoßibile eſſe homini amare: amare, inquam, creatorem beneficum, Patrem amantißimum, deinde etiam & carnem ſuam in fratribus ſuis*; At verò qui diligit, legem impleuit Roman. 13.

Confirmat hanc rationem D. Ioannes 1. epiſtolæ, cap. 5. vbi præcepta Dei grauia non eſſe apertè teſtatur. Nihil enim iuſtius, nihil cum maiore dignitate, nihil maiore cum fructu ab homine, teſte D. Bernardo lib. de diligendo Deo, exigi potuiſſet.

Quamo-

Quamobrem ſapienter ſummam Dei benignitatem admiratur D. Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 5. *Quid tibi ſum ipſe, vt amari te à me iubeas? & ſi non faciam, ingentes minaris miſerias? paruáne eſt ipſa miſeria, ſi non diligam te?*

Non obſtat huic doctrinæ, ſi quis dicat hominem impediri infirmitate naturæ, quò minùs præcepta ſeruet & Deum amet; Quia reſponderi poteſt, Deum qui amorē requiſiuit, amoris vim inſerere cordibus per Spiritum ſanctum: his autem Spiritus bonus petentibus à Patre cæleſti datur, vt meritò ſanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 29. precatus ſit: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quia igitur Dei auxilium pręſto nobis eſt, maximè poſt Chriſti Domini mortem, per quam princeps huius mundi eiectus eſt foras, non eſt quod quiſquā infirmitatē naturæ humanæ obijciat, nihil enim eſt amanti difficile.

Vide etiam D. Thomam 1. 2. q. 109. art. 4.

QVÆSTIO VI.

An ſit neceſſarium ad ſalutem ſeruare præcepta Decalogi?

CONCLVSIO VNICA.

N*Eceſſariò legi obtemperandum eſt.*

Eſt Catech. §. Prætereà ad eandem rem perſuadendam. Et D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 5.

Eſt contrà hereticos noſtri temporis; Non enim deſunt hodie, qui ſiue facilis, ſiue difficilis lex ſit, ad ſalutem tamen nequaquam neceſſariam eſſe, impiè, & magno ipſorum malo docere non verentur.

Confutatur hæc impia & nefaria ſententia, & probatur

batur cõcluſio pluribus ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, eiuſdem maximè Apoſtoli, cuius illi auctoritate impietatem ſuam tueri conantur. Quid igitur ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Non præputium, non circuncisionẽ quicquam eſſe ad obſeruationem mandatorum Dei.*

Non obſtat huic doctrinæ quod idem Apoſtolus eandem ſententiam ad Galatas 5. repetẽs, *nouam creaturam in Chriſto tantùm dicit valere*; Quia intelligimus planè eum nouam Creaturam in Chriſto dicere, qui mandata Dei obſeruat. Is enim qui habet mandata Dei ac ſeruat, diligit Deum, Domino ipſo teſte apud Ioannem 13. cap. *Si quis diligit me, ſermonẽ meũ ſeruabit.*

Non obſtat etiam quod homo iuſtificari poteſt, & ex impio pius fieri, antequam ſingula legis præcepta externis actionibus impleat; Quia quamuis hoc ita ſit, tamen fieri non poteſt, vt qui per ætatem ratione vtitur ex impio fiat iuſtus, niſi animum habeat paratum ad omnia præcepta Dei ſeruanda.

Vide D. Thom. ſup. & alijs pleriſque in locis.

QVAESTIO VII.

Qui ſunt fructus & vtilitates obſeruati Decalogi?

CONCLVSIO I.

Primò, Decalogus Dei gloriam & maieſtatem multò amplius explicat, quàm decore ſuo atque ordine faciant ipſa corpora cæleſtia, quæ vt omnes quamuis barbaras nationes in ſui admirationem rapiunt, ita efficiunt vt rerum omnium opificis & conditoris gloriam, ſapientiam ac potentiã agnoſcant.

Eſt cate-

Eſt Catech. §. Ad extremum verò, &c. Et habetur, ſicut & ſequentes, Pſalmo 18. in quo legis Dei laudes ex profeſſo celebrantur.

CONCLVSIO II.

Lex Domini conuertit animas ad Deum.
Eſt Catech. §. Ac lex quidem Domini, &c. Et ratio eſt; Nam agnoſcẽtes vias eius, & Dei ſanctiſsimam voluntatem per legem, conuertimus pedes noſtros in viam Domini.

CONCLVSIO III.

Lex Dei ſapientiam præſtat paruulis.
Eſt Catech. §. At quia ſoli timentes Deum. Ratio eſt quia ſoli timentes Deum verè ſunt ſapientes vt habetur Iob 28.

CONCLVSIO IIII.

Lex Dei veris gaudijs ſuos obſeruatores cumulat.
Eſt Catech. §. Hinc veris gaudijs, &c. Habetur eodem Pſalmo ibi: *Iuſtitiæ Domini lætificantes corda.*

CONCLVSIO V.

Lex Dei myſteriorumq; diuinorum cognitionem largitur.
Eſt Catech. §. Et myſteriorum diuinorum cognitionem.

Patet eodem Pſalmo, vbi ait: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

CONCLVSIO VI.

Poſtremò, lex Dei ingentibus voluptatibus & præmijs & in hac vita, & in futuro ſæculo illos cumulat, qui illã obſeruant.

Eſt Catech. §. Ingentibus voluptatibus.

Ratio eſt; Nam vt à Propheta eodem Pſalmo, vltimo loco dictum eſt: *In cuſtodiendis illis eſt retributio multa.*

Et confirmatur; non enim illæ tantùm nobis benedictiones promiſſæ ſunt, quæ ad terrenam felicitatem magis ſpectare videbantur, vt benedicti ſimus in ciuitate, benedicti in agro, ſed copioſa merces in cælis & menſura bona, conferta, coagitata, & ſupereffluens propoſita eſt, quam pijs & iuſtis actionibus meremur, diuinæ miſericordiæ adiumento.

DIFFICVLTAS VNICA.

An noſtra vtilitatis gratia, an vero Dei ipſius cauſa debeamus legem obſeruare?

Dicendum, quòd non tantùm noſtræ vtilitatis gratia, ſed maximè Dei ipſius cauſa nobis eſt ſeruanda lex.

Hic obiter notãdum eſt, Deum vel in hoc maximè ſuam in nos clementiam & ſummæ bonitatis diuitias oſtẽdiſſe, quòd cùm ſine vllo præmio nos potuiſſet, vt ſuæ gloriæ ſeruiremus, cogere; voluit tamẽ gloriam ſuam cum vtilitate noſtra coniungere, vt quod homini vtile, idem Deo eſſet glorioſum.

QVAESTIO VIII.

An omnes obligentur ad ſeruanda præcepta Decalogi?

CONCLVSIO VNICA.

QVamuis Iudæis in mõte à Domino præcepta data fuerint, tamen quoniam naturâ omnium mẽtibus multò ante impreſſa & cõſignata erant, ob eam rem Deus vniuerſos homines illis parere perpetuò voluit.

Eſt cate-

Eſt Catech. §. Quamuis hæc lex Iudæis. Et D. Thom.1.2.q.98.art.5.

Probatur & explicatur ſequentibus difficultatibus.

DIFFICVLTAS I.

Quibus primò lex fuit promulgata?

Dicendum, quòd populo Iſraëlitico in monte, Moyſe miniſtro atque interprete primùm data atq; promulgata eſt.

DIFFICVLTAS II.

Quibus verbis lex promulgata fuit?

Dicendum, quòd iſtis. *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis: nō habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile,*&c.

DIFFICVLTAS III.

Deſcribe paucis hiſtoriam populi quem Deus ſelegit, vt illi primò ſuam legem daret?

Dicendum, quòd Deus ex omnibus nationibus quæ ſub cælo erant, vnam elegit, quæ ortum habuit ab Abraham, quem peregrinum eſſe voluit in terra Chanaam, cuius poſſeſsionē cùm ei pollicitus eſſet, tamen & ille & poſteri eius amplius quadringentos annos vagi fuerūt, antequam promiſſam terram incolerent: In qua quidem peregrinatione nunquam curam eorum dimiſit, tranſibant quidem illi de gēte in gentem, & de regno ad populum alterum, ſed nūquam illis iniuriam fieri paſſus eſt, imò verò in Reges animaduertit. Priuſquam verò in AEgyptum deſcenderent, virum præmiſit, cuius prudētia & illi & AEgyptij; fame liberarentur: In AEgypto verò & illos benignitate complexus eſt, vt repugnante & ad eorum perniciem incumbente Pharaone mirum in modum augerentur, & cùm valde affligerentur ac

tanquam ſerui duriſsimè tractarentur, ducẽ Moyſen excitauit, qui eos in manu potenti educeret. Huius præcipuè liberationis in initio legis meminit Dominus his verbis: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis*, &c.

DIFFICVLTAS IIII.

Quare ex omnibus nationibus populum iſtum elegit vt ei legem ſuam promulgaret?

Dicendum, vnum hunc ex omnibus nationibus delectum eſſe populum, quem vocaret ſuum, & cui ſe cognoſcẽdum & colendum præberet, non quòd cæteras iuſtitiâ aut numero vinceret: queádmodùm Hæbreos monet Deus, ſed quòd ipſi Deo ſic placuit, potius vt gentem inopem & exiguam augeret & locupletaret, quò eius potentia & bonitas notior apud omnes eſſet & illuſtrior.

Deinde cùm ea eſſet illorum hominum conditio, ijs conglutinatus eſt & eos amauit, ita vt, cùm eſſet Dominus cæli & terræ, non confunderetur vocari Deus eorum, quò cæteras gentes ad æmulationem prouocaret, vt perſpecta Iſraelitarum fœlicitate, oẽs homines ad veri Dei ſe cultum conuerterent, quemadmodùm etiam Paulus teſtatur ad Roman. 11 cap. ſe gentium fœlicitate propoſita, & vera Dei cognitione, quâ eas inſtruxerat, ad æmulationem carnem ſuam procurare.

DIFFICVLTAS V.

Quare Deus populum iſtũ diu peregrinari, poſteroſq́; eius duriſsima ſeruitute premi, diuexariq́; permiſit antequam legem eis daret?

Dicendum ita permiſiſſe, vti doceremur amicos Dei fieri, non niſi mundi inimicos ac peregrinos in terris. Itaque in Dei familiaritatem facilius recipi, ſi

nihil

nihil omninò nobis ſit commune cum mundo.

Deinde,vt ad Dei cultum trāſlati intelligeremus, quātò demùm fœliciores ſint ij qui Deo, quàm qui mundo ſeruiūt. Huius rei ſcriptura nos commonet 2. Paral. 12. cum inquit: *Veruntamen ſeruient ei,vt ſciāt diſtantiam ſeruitutis meæ,& ſeruitutis regnì terrarum.*

DIFFICVLTAS VI.

Quare Deus poſt amplius quadringentis annis promiſſa huic populo demùm præſtitit?

Dicendum,vt ille fide ac ſpe aleretur. Alumnos enim ſuos Deus à ſe perpetuo pendere vult, atque in eius bonitate omnem ſpem ſuam collocare, vt in primi præcepti explicatione dicetur.

DIFFIC. VII. ET POSTREMA.

Quo loco & tempore Deus legem huic populo tradidit?

Dicēdum,nempe poſtquam eductus ex AEgypto in deſertum venit, vt beneficij recētis memoriā allectus, & loci aſperitate in quo verſabatur deterritus, ad accipiendā legē redderetur aptior: homines enim ijs maximè deuinciuntur, quorum beneficentiā experti ſunt,atque ad Dei præſidium confugiunt,cùm ſe ſpe omni humana deſtitutos eſſe agnoſcunt.

Ex hoc licet intelligere,fideles ad complectēdam cæleſtem doctrinam eò propēſiores eſſe, quò ſe magis à mūdi illecebris ac carnis voluptatibus abſtraxerint, ſicut per Prophetam Iſaiam dictum eſt cap. 28. *Quem docebo ſcientiam & quem intelligere faciet auditum, ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*

Et hæc pro elucidatione præfationis tertiæ partis ſufficiant.

CAPI-

CAPITIS I.
ELVCIDATIO.
DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI.

Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis: Non habebis Deos alienos coram me; Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinẽ quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorsùm, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis neque coles.

Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia ijs qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Exod. 20. cap.

ANTE Elucidationem quæſtionum huius capitis, vnum diligenter obſeruandũ eſt, omnia verba præmiſſa ex cap. 20. Exodi, diuidi in tres partes;

Prima pars continet hæc verba: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, vſque ad illa excluſiuè: *Non habebis Deos alienos*.

Hæc

Hæc non ſunt præceptum, ſed veluti exordium quoddam non ſolùm huius præcepti, ſed & reliquorum omnium & ſingulorum.

Horum verborum vehemens & frequens admonitio eam vim habet, vt ad legem colendam fideles promptiores reddantur, & à peccatis abſtineāt.

Secunda pars conſtat his verbis: *Non habebis Deos alienos coram me*, vſque ad illa excluſiuè: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, &c.

Hæc verba ſunt primum præceptum Decalogi, illudque vnum & ſimplex, ſicut poſteà oſtendetur.

Tertiá pars continetur his verbis: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes viſitans iniquitates*, vſque ad finem.

Hæc verba non ſunt præceptum, ſed veluti appendix quædam non ſolùm huius primi præcepti, ſed & reliquorum omnium præceptorū, vt in illius explicatione oſtendetur.

Habet ergo hoc primum caput tres partes, de quibus ſingulis conſueta methodo agendū eſt, & primò de prima parte ſiue exordio huius præcepti.

QVAESTIO I.

Quid ſibi vult iſtud exordium, Ego sū Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis?

CONCLVSIO VNICA.

Deus præcepturus aliquid frequēter hæc verba præmittit, quia horum verborum vehemens & frequēs admonitio eam vim habet, vt ad legem colendam fideles promptiores reddantur, & à peccatis abſtineant.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Enitatür itaque parochus.

Probatur & explicatur. Nam ſi priora illa verba: *Ego ſum Dominus Deus tuus,* fidelis populus frequenter in animo habeat, intelliget ſe legiſlatorem habere, qui ſuus idem ſit creator & conſeruator, a quo videlicet cōditus ſit & conſeruetur, cui propterea meritò promptiſsimè obedire & obſequi debeat.

Deinde ſi poſteriora illa verba: *Qui eduxit te de terra AEgypti de domo ſeruitutis;* benè intelligat, videbit quantò illū affecerit Deus beneficio, vt ingrati prorſus ſit hominis nolle illius iuſsis parere; nam etſi illa verba Iudæis tantùm videantur conuenire AEgyptiorum dominatu liberatis, tamē ſi interiorem ſalutis vniuerſæ rationem ſpectemus, multò magis ad chriſtianos homines pertinent, qui non ex AEgyptiaca ſeruitute, ſed è peccati regione & poteſtate tenebrarum à Deo erepti, atq; in regnum filij dilectionis ſuæ tranſlati ſunt.

Huius beneficij magnitudinem intuens Hieremias cap. 16. prædixit illud; *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur vltrà, viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra AEgypti, ſed viuit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra aquilonis, & de vniuerſis terris, ad quas eieci eos, & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos:* & quæ ſequuntur. Pater enim indulgentiſsimus per filium ſuum, filios, qui erant diſperſi, congregauit in vnum, vt iam, nō vt ſerui peccato, ſed iuſtitiæ, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

MONI-

MONITIO.

Diſcât hinc fideles omnibus tentationibus opponere tanquam clypeum illud Apoſtoli ad Roman. 6. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Iam non ſumus noſtri, ſed eius qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit*: ipſe eſt Dominus Deus noſter, qui nos ſuo ſanguine ſibi acquiſiuit; quomodo peccare poterimus in Dominum Deum noſtrum, ipſumq́; iterùm cruci affigere?

Et hæc quidem de prima parte, ſiue de exordio huius præcepti & aliorum ſufficiunt. Nunc de ſecũda parte, ſiue de ipſo primo præcepto agendum eſt.

QVAESTIO II.

Quod eſt primum præceptum Decalogi? Et: Quæ illo præcipiuntur, vel prohibentur?

VT pleniùs intelligatur hæc quæſtio, & pleræque aliæ, quæ tum de hoc præcepto, tum de alijs mouebuntur, quædam prænotanda ſunt;

Primum, priorem in Decalogo locum obtinere præcepta illa quæ ad Deum pertinent; poſteriorem verò quæ ad proximum.

Ratio huius ordinis eſt clara; Nam eorum quæ proximo præſtamus cauſa Deus eſt; tum enim ex Dei præcepto proximum diligimus cùm propter Deum diligimus.

Secundum, præcepta quæ Deum concernunt deſcripta eſſe in priori tabula, illa quæ proximum in poſteriori.

Tertium,

Tertium, inter præcepta quædam eſſe affirmatiua, quædam negatiua.

Affirmatiua vocantur illa quibus præcipiuntur actus virtutum.

Negatiua quibus prohibentur actus vitiorum, vt in explicatione ſingulorum præceptorũ ſtatim fiet manifeſtum.

Quartum, præceptum affirmatiuum continere in ſe negatiuum, & è conuerſo negatiuum tacitè comprehendere affirmatiuum. V. G. primum præceptũ eſt negatiuum: *Non habebis Deos alienos coram me*, eam habet ſententiam coniunctam, Me verum Deum coles, alienis dijs cultum non adhibebis.

His prænotatis reſpondetur quæſtioni ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRimum præceptum Decalogi eſt; Non habebis Deos alienos coram me, nõ facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea neque coles.

Eſt Catech. paſsim; & habetur Exodi 28.

CONCLVSIO II.

IN hoc præcepto quatenus eſt affirmatiuum, continetur præceptum fidei ſpei, & charitatis.

Eſt Catech. §. In priori autem continetur præceptum, &c.

Probatur & explicatur; Nam qui Deum dicit immobilem, incommutabilem, perpetuò eundem manentem; fidelem, rectum, ſine vlla iniquitate confitetur, ex quo oraculis eius aſſentiens, omnem ipſi fidem & auctoritatem tribuat neceſſe eſt.

Qui verò

Qui verò omnipotentiam, clementiã & ad benefaciendum facilitatem ac propenſionem illius conſiderat, meritò ſpes omnes ſuas in illo collocat.

Demùm qui bonitatis & dilectionis ipſius effuſas in nos diuitias contemplabitur, non poterit illum non amare.

Ex his vlterius ſequitur hoc præceptum eſſe omnium primum & maximũ, non ordine tantùm ipſo, ſed ratione, dignitate, præſtantia. Debet enim Deus obtinere apud nos infinitis partibus maiorem quàm Domini, quàm Regis charitatem & auctoritatẽ: Ipſe nos creauit, idem gubernat, ab eo in vtero matris nutriti, atque inde hanc in lucem educti ſumus: ipſe nobis ad vitam, victumque res ſuppetit neceſſarias.

CONCLVSIO III.

Qvatenus eſt negatiuum, prohibetur hoc præcepto infidelitas, deſperatio, odium Dei.

Eſt Catech. §. Peccant autem in hoc præceptum, &c.

In numero ergo eorum qui in hoc præceptum peccant, ſunt; Primò, qui in hæreſim labuntur: qui non credunt ea quæ ſancta mater Eccleſia credenda proponit.

Secundò, qui ſomnijs, augurijs, cæteriſq; vaniſſimis rebus fidem habent.

Tertiò, qui de ſua ſalute ſpem abijciunt, nec diuinæ bonitati confidunt: qui diuitijs tantùm, qui corporis valetudine ac viribus nituntur.

Hæc fuſius ab ijs explicantur, qui de vitijs ac peccatis ex profeſſo ſcribunt.

DIFFICVLTAS I.

Quare legiſlator voluit in primo præcepto vti hac loquẽdi formula negatiua: Non habebis Deos alienos coram me?

Dicendum, hac loquendi formula legiſlatorem vſum, non quòd ſatis explicata non eſſet hæc ſentẽtia affirmatione præcepti in hunc modum, *Me vnum Deum coles*: ſi enim Deus eſt, vnus eſt; ſed propter cæcitatem plurimorum, qui olim verum ſe Deum colere profitebantur, multitudinem tamen eorum venerabantur, cuiuſmodi inter Hebreos ipſos permulti fuerunt, qui vt Helias eis obijciebat, 3. Reg. 18. in duas partes claudicabant, quod & Samaritæ fecerũt, qui Deum Iſraëlis & Deos gentium colebant.

DIFFICVLTAS II.

An huic præcepto aduerſetur cultus & veneratio ſanctorum Angelorum?

Dicendum non aduerſari. Quis enim adeò demẽs eſt, qui edicente Rege, ne ſe pro Rege quiſquam gerat, aut regio cultu, atque honore affici patiatur, cõtinuò putet nolle Regem ſuis vt magiſtratibus honos deferatur? Etſi enim Angelos Chriſtiani adorare dicuntur, exemplo ſanctorum veteris Teſtamẽti Geneſ. 18. & 19. non eam tamen venerationem adhibent, quam Deo tribuunt.

Non obſtat huic doctrinæ, quòd interdùm legimus, vt Apocalypſ. 19. & 22. Angelos recuſâſſe ne ſe homines venerarentur; Quia facilè reſponderi poteſt, id ideò eos feciſſe, quod ſibi eum honorem haberi nolebant, qui ſoli Deo deberetur.

Confirmatur, Spiritus enim Sanctus, qui ait 1. ad Timoth. 2. *Soli Deo honor & gloria*: Idem præcipit Exod. 20. & Leuit. 19. vt honore parentes & ſeniores afficiamus.

Confirmatur ſecundò. Sancti viri, qui Deum vnum colebant, Reges tamen, vt habetur Geneſ. 23. & 24. & alijs locis, adorabant, id eſt, ſupplices vene-

rabantur

ſtabantur. Quòd ſi Reges, per quos Deus mundum gubernat, tanto honore afficiuntur, Angelicis ſpiritibus, quos Deus ſuos miniſtros eſſe voluit, & quorũ opera non modo ad Eccleſiæ ſuæ, ſed etiam ad reliquarum rerum gubernationem vtitur, quorumque ope maximis tum animæ, tum corporis periculis quotidie liberamur, etiam ſi ſe nobis in conſpectum non dent, tantò maiorem honorẽ habere debemus, quantò beatæ illæ mentes dignitate Regibus ipſis antecellunt.

De Dulia, quæ debetur ſanctis Angelis & hominibus, & latria, quæ ſoli Deo debetur, conſule ſi vis D. Thom. 2.2. q. 102. art. 3.

DIFFICVLTAS III.

An huic præcepto aduerſetur inuocatio Sanctorum Angelorum?

Dicendum, non aduerſari: Si quidem docent nos ſacræ ſcripturæ, vt Daniel. 10. Tob. 1. Apocal. 8. Angelos pro ijs prouincijs, quibus præſunt, pro charitate, quâ eas diligunt, preces fundere: Quod etiã prꝑſtare ijs quorum ſunt ipſi cuſtodes non eſt dubitandum; Noſtras enim preces Deo offerũt & lachrymas. Quamobrem in Euangelio Matth. 18. Dominus docet puſillos ſcandalizandos non eſſe, quòd *Angeli eorũ in cælis ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt*: Ergo Angeli inuocandi ſunt, quòd & perpetuò Deum intuentur, & patrocinium ſalutis noſtræ ſibi delatum libentiſsimè ſuſcipiunt.

Confirmatur hæc doctrina diuinæ ſcripturæ exemplis; Iacob enim Geneſ. 32. ab Angelo, qui cum luctatus fuerat, petit vt ſibi benedicat, imò etiam cogit; ſe enim non dimiſſurum illum profitetur, niſi benedictione accepta: Neque ſolùm ſibi ab eo tribui,

quem intuebatur, ſed ab eo etiam quem minimè videbat, tum cùm dixit, Geneſ. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis*

DIFFICVLTAS IIII.

An aduerſetur huic præcepto honor qui ſanctis hominibus, qui in Domino dormierunt, exhibetur?

Dicendum non aduerſari, ſicut ex ijs, quæ ſtatim de Angelorum cultu diximus, colligi poteſt, & multipliciter probari poteſt.

Primò auctoritate Conciliorum, Niceni 2. Gangienſis can. 20. Tridentini Seſſ. 25.

Deinde, ſanctorum Patrum auctoritate, præſertim D. Hieronymi contra Vigilantium, & Damaſceni lib. 4. de Orthod. fide cap. 16.

Præterea, conſuetudine ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuò retenta & conſeruata. Vt probari poteſt ex his quę de ea ſcribunt Dionyſ. cap. 7. Hierarch. Eccleſ. Irineus lib. 5. contra hæreſes cap. 19. Athanaſius Serm. in Euangelium de Sanct. Deip. Euſebius lib. 13. præparat. Euang. cap. 7. Cornel. Pont. epiſt. 1. Hylarius in Pſalm. 129. Ambroſius in lib. de viduis, & innumerabiles alij.

Inſuper, diuinæ ſcripturæ teſtimonio, quæ Eccleſ. 45. cap. & ſequentibus vſque ad finem libri, ſanctorum laudes celebrat admirabiliter. Si enim ſacræ litteræ eorum laudes celebrant, quid eſt quòd illis ſingularem honorem non habeant homines?

Vide quoque de hac difficultate D. Thom. ſup. tota quæſt. 102.

DFFICVLTAS V.

Aduerſatúrne huic præcepto inuocatio Sanctorum qui in Domino dormierunt?

Dicendum nó aduerſari, ſicut nec honor qui illis exhibetur.

exhibetur. Quod confirmatur tum argumentis ante dictis, tum etiam ſequẽtibus: Nam ipſi pro ſalute hominum preces aſsiduè faciunt, multaque eorum merito & gratiâ Deus in nos confert beneficia. Si enim, vt Matth. 18. habetur, *gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*; nónne etiam cæleſtes ciues pœnitentes adiuuabunt? nónne rogati & peccatorũ veniam impetrabunt, & conciliabunt nobis Dei gratiam?

Ex his colligi poteſt tantùm abeſſe vt ſanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiendis atque inuocandis Dei gloria minuatur; vt eò maximè augeatur, quò magis hominũ ſpem excitat, confirmat, & ad ſanctorum imitationem cohortatur.

Non obſtat huic doctrinæ, quod à nonnullis dicitur, Superuacaneum eſſe ſanctorum patrocinium, quod Deus ſine interprete precibus noſtris accurrat; Quia has impiorum voces illud ſancti Auguſtini quæſtion. 149. ſuper Exodum facile cõuincit: *Multa Deum non concedere, niſi mediatoris ac deprecatoris opera & officium acceſſerit.*

Confirmatur illuſtribus Abimelec Geneſ. 20. & Iob amicorum cap. 42. exemplis, quorum peccata, non niſi Abraham & Iob precibus condonauit.

Non obſtat ſecundò, quod à quibuſdam affertur, fieri inopia & imbecillitate fidei, vt ſanctos internũcios & patronos adhibeamus; Nam quid ad illud reſpondebunt Centurionis exemplum Matth. 10. & Luc. 7. qui vel in ſingulari illo fidei præconio, quod Dominus impertiuit, ſeniores tamen Iudæorum ad Saluatorem miſit, vt laboranti puero ſalutem impetrarent?

Non obſtat poſtremò, vnum nobis mediatorem

propoſitum Chriſtum Dominum 1. ad Timoth. 2. qui ſcilicet vnus nos per ſanguinem Patri cæleſti reconciliauit, & qui æterna redemptione inuenta, ſemel in ſancta ingreſſus pro nobis interpellare non ceſſat, vt docet Apoſtolus in epiſt. ad Hæbreos c. 7. & 9. Quia ex eo nullo modo ſequi poteſt ad ſanctorũ gratiam nobis confugere non licere. Nã ſi propterea ſubſidijs ſanctorum vti non liceat, quòd vnum patronum habemus Ieſum Chriſtum; nunquam id cõmiſiſſet Apoſtolus ad Rom. 15. vt ſe Deo tanto ſtudio fratrum viuentium precibus adiuuari vellet. Neque enim minus viuorum preces, quàm eorum, qui in cęlis ſunt, ſanctorum deprecatio Chriſti mediatoris gloriam & dignitatem imminuerent.

DIFFICVLTAS VI.

An cultus & honos, qui reliquijs Sãctorum à fidelibus exhibetur, aduerſetur huic praecepto?

Dicendum non aduerſari. Declarant hoc mirabiles res effectę ad illarum contactum; Nam oculis, manibus, membriſque omnibus captos in priſtinũ ſtatum hoc pacto fuiſſe reſtitutos, mortuos etiam ad vitam reuocatos, & ex corporibus hominum Dæmones eiectos, non audiſſe, vt multi, non legiſſe, vt plurimi grauiſsimi viri, ſed vidiſſe, teſtes locupletiſſimi Sancti Ambroſius Serm. 91. & Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. litteris tradiderunt.

Reliquiarum virtus oſtendi quoque poteſt ex ſacris litteris. Nam ſi veſtes 4. Reg. 13. cap. & Sudaria Act. 19. ſi etiam vmbra ſanctorum Act. 5. priuſquã è vita migrarent, depulit morbos, vireſque reſtituit; quis negare audeat Deum per ſacros cineres, oſſa, cæteraſque ſanctorum reliquias eadem mirabiliter efficere? Declarauit id cadauer illud, quod fortè

illatum

illatum in ſepulchrum Eliſei 4. Reg. 13. cap. eius tacto corpore ſubitò reuixit.

De honore & cultu reliquiarum vide D. Thom. p3. q. 25.. art. 6.

DIFICVLTAS VII,

An hæc verba, Nō facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinē quæ eſt in cælo & quæ in terra deorſum, neque eorū quæ ſunt in aquis ſub terra, Nō adorabis ea, neque coles, cōſtituant alterum præceptum à præcedenti?

Dicendum, quòd quidam hoc alterum præceptū exiſtimantes, duo poſtrema ipſa vnius præcepti vi contineri voluerunt; At ſanctus Auguſtinus illa extrema diuidens, hæc ipſa verba ad primum prçeptū pertinere voluit. Hanc ſentētiam quia in eccleſia celebris eſt, libēter ſequimur: Et in promptu ratio eſt illa veriſsima, conſentaneum fuiſſe præmium & pœnam cuiuſque cum primo præcepto coniungi.

DIFFICVLTAS VIII.

An huic præcepto aduerſetur Imaginum vſus?

Dicendum non aduerſari. Nam in ſcripturis iuſſu Dei ſimulachra & imagines effectas legimus, vt Cherubin Exod. 25. & ſerpentis ænei 3. Regum 6. cap. Supereſt igitur vt imagines ob eam rem ſolùm vetitas interpretemur, ne quid ſimulacris quaſi Dijs colendis de vero Dei cultu detraheretur.

Duplici ratione per imagines diuina maieſtas lædi poteſt.

Prima, ſi Idola & imagines tanquam Deus colantur, aut credatur ineſſe his aliqua diuinitas vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis aliquid ſit petēdū, vel quòd fiducia ſit in imaginibus figēda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuā collocabāt, quod paſsim ſacræ litteræ reprehendunt.

Altera, ſi quis conetur diuinitatis formam aliquo artificio effingere, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribꝰ aut figuris exprimi poſſit. *Quis enim Deũ, vt inquit Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide c.1. qui ſub aſpectum non cadit, qui corporis expers eſt, qui nullis terminis circumſcribi, nec vlla figura deſcribi, poſſit exprimere?* quæ res in altera Nycena Synodo vberius explicatur. Præclarè igitur Apoſtolus, eos mutâſſe Dei incorruptibilis gloriam, in ſimilitudinem volucrũ, quadrupedum ac ſerpentum dixit, ad Roman.1. cap. hæc enim omnia tanquam Deum venerabãtur, cùm illi harum rerum imagines ponerent. Quocirca Iſraëlitæ, qui ante vituli ſimulacrũ clamabant, Exod. 32. *Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra AEgypti:* idolatræ ſunt appellati, quia mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Cùm igitur Dominus Deos alienos coli prohibuiſſet, vt penitùs idolatriam tolleret, imaginem diuinitatis ex ære duci, aut quâuis aliã materiã fieri prohibuit: quòd Eſaias declarãs inquit cap 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?*

In hoc præcepto hanc ſententiam contineri, præter ſanctorum Patrum ſcripta, qui eam, quemadmodùm in ſeptima Synodo expoſitum eſt, ſic interpretantur, illa etiam Deuteronomij verba ſatis declarãt; Vbi Moyſes populũ ab idolatria auertere cùm vellet, aiebat cap. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, quã locutus eſt nobis Dominus in Horeb de medio ignis.*

Quòd ſapientiſſimus legiſlator ideo dixit, ne quo errore ducti diuinitatis imaginem fingerent, Deoq; debitum honorem rei creatæ tribuerent.

DIFFICVLTAS IX.

An ergo peccent contra hoc præceptum qui aliquam Sanctiſsimæ Trinitatis perſonam, vel Angelos quibuſdam ſignis exprimunt?

Dicendum non peccare. Nemo enim tam rudis eſt, vt illa imagine diuinitatem credat exprimi, ſed illis tantùm declarantur proprietates aliquæ aut actiones quę Deo tribuuntur, veluti cum ex Daniele 7. cap. pingitur antiquus dierum in throno ſedere, ante quem libri aperti ſunt, Dei æternitas, & infinita ſapientia ſignificatur, quâ omnes hominum & cogitationes & actiones, vt de ijs iudiciũ ferat, intuetur. Angelis etiam tum humana ſpecies, tum alię affingũtur, vt intelligant fideles, quàm propenſi ſint in humanum genus, & tanquam parati ad miniſteria Domini exequenda. *Omnes enim adminiſtratorij Spiritus ſunt propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis,* ad Hæb. 1. cap. Columbæ ſpecies & linguæ tanquam ignis in Euangelio & Actis Apoſtolorum, quas Spiritus ſancti proprietates ſignificent, multò notius eſt, quàm vt oporteat pluribus verbis explicari.

DIFFICVLTAS X.

An peccent contra hoc præceptum, qui imagines Chriſti, B. Mariæ virginis cæterorumq́; Sanctorum pingunt & honorant?

Dicendum, quòd cùm Chriſtus Dominus, eiuſque ſanctiſsima & puriſsima mater, cęterique omnes ſancti humana præditi natura humanam ſpeciem geſſerint, eorum imagines pingi & honorari non modò hoc præcepto interdictum non eſt; ſed etiam ſanctũ & grati animi certiſsimum argumentum ſemper habitum eſt.

Probatur primò Apoſtolicorum temporum monumentis.

Deinde œcumenicæ Synodi & ſanctiſsimorum doctiſsimorumque Patrum inter ſe conſentientium ſcriptis.

Ratio omnium vna eſt; Honos enim qui illis exhibetur, refertur ad ipſa prototypa.

DIFFICVLTAS XI.

Quis eſt legitimus in Eccleſia imaginum vſus?

Dicendum duplicem illarum eſſe vſum;

Primo enim imagines fiunt ad vtriuſque teſtamenti cognoſcendam hiſtoriam, atque eius memoriam itentidem renouãdam, quâ diuinarum rerum memoriâ excitati, ad colendum atque amandum ipſum Deum vehementiùs inflammemur.

Secundò, ſanctorum imagines in templis ponuntur, vt & colantur, ſicut ante dictum eſt, & exemplo moniti ad eorum vitam & mores noſipſos conformemus.

Hæc ex Damaſceni libro quẽ de imaginibus edidit, & ſeptima Synodo, quæ eſt ſecunda Nycena, facilè intelliguntur.

MONITIO.

Quia ſanctiſsimum quodque inſtitutum hoſtis humani generis ſuis fraudibus & fallacijs deprauare contendit, ſi quid fortè populo hac in re peccatum fuerit, Parochi & Catechiſtę Concilij Tridentini decretum Seſſ.25. ſub principium capitis de Inuocatione ſecuti, ſtudebunt corrigere, & decretum ipſum, cùm res tulerit, ſtudebunt populo iuxta hanc doctrinam interpretari.

Et hæc quoque de ſecunda parte huius capitis, id eſt, de ipſo primo præcepto Decalogi ſufficiunt. Sequitur vt de tertia parte, ſiue de ipſa appendice aliquid dicatur.

QVÆSTIO III.

Quæ eſt appendix huius præcepti? Et: An huic tantùm præcepto ſeruiat?

CONCLVSIO I.

Appendix eſt iſta, Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia ijs qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.

Eſt Catech. §. eodem, Ego ſum Dominus, & habetur Exod. 20.

CONCLVSIO II. QVAE RESPONDET ALTERI PARTI quæſtionis.

Etſi ob ſummum ſcelus præuaricationis primi præcepti, atque hominum ad id committendum propenſionem, apte hoc loco pœna proponitur; communis tamen eſt omnium appendix præceptorum.

Eſt Catech. §. Etſi ob ſummum ſcelus.

Probatur & explicatur. Omnis enim lex ad præcepta ſeruanda homines pœnâ & præmio inducit. Hinc illæ tam frequentes in ſacris litteris & crebræ Dei promiſsiones. Vt enim innumerabilia pœnè veteris Teſtamenti teſtimonia prætermittantur, in

Euan-

Dicendum, vt his duobus veluti quibuſdam aculeis ad legem obſeruandam homines maximè incitet.

Nam quòd Deus dicitur *fortis*, ideò diligentius hoc loco explicandum eſt, quò caro ſæpè, quæ terroribus diuinæ comminationis minus commouetur, varias ſibi ipſa rationes fingit, quibus iram Dei effugere ac propoſitam pœnam vitare poſſit: Cui autem certo perſuaſum eſt Deum fortem eſſe, illud magni Dauidis vſurpat Pſalm. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Eadem quoque diuinis interdum diffiſa promiſsis, tantas hoſtium vires eſſe credit, vt ad ſuſtinendum minimè parem ſe eſſe exiſtimet. At firma, & ſtabilis fides nihil titubans, cùm diuina vi ac virtute nitatur, homines contra recreat, ac confirmat. Inquit enim, *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Alter aculeus quo incitantur homines ad diuinæ legis obſeruationem, zelus ipſe diuinus eſt. Nonnunquam enim homines putant Deum humana non curare, ne illud quidem, legem ipſius ſeruemus, an negligamus. Ex quo ſequitur magna vitæ confuſio. Cùm autem Deum zelotem credimus, eius rei meditatio facilè nos in officio continet.

Zelus qui Deo tribuitur, nullam animi ſignificat perturbationem, ſed diuinum illum amorem & charitatem, quâ Deus nullam a ſe animam patitur impunè fornicari, quotquot autem ab eo fornicantur, perdit.

Eſt itaque zelus Dei, tranquilliſsima eius, ſynceriſsima que iuſtitia, quâ anima, falſis opinionibus, prauiſq; cupiditatibus corrupta, repudiatur, & à Dei coniugio, tanquam adultera, remouetur.

Zelum

DIFFICVLTAS IIII.

An hæc ſententia aduerſetur illi quæ eſt apud Ezechielem cap. 18. vbi dicit: Anima quæ peccauerit ipſa morietur?

Dicendum non aduerſari. Oſtendit hoc auctoritas D. Gregorij lib. 15. moraliũ cap. 31. cum reliquis omnibus antiquis patribus cõſentiens, Inquit enim: *Quiſquis praui parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto conſtringitur: Quiſquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam illius delicto grauatur. Vnde fit, vt iniquus filius iniqui patris non ſolùm ſua quæ addidit, ſed etiam patris peccata perſoluat, cum vitijs patris, quibus iratũ Dominum non ignorat, ſuam etiam malitiam adiungere non formidat: & iuſtum eſt, vt qui ſub diſtricto iudice vias parẽtis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præſenti, etiam culpas parentis iniqui perſoluere.*

DIFFICVLTAS. V.

Quid ſignificat quod Deus dicitur viſitare iniquitatem in tertiam & quartam generationem, facere verò miſericordiã in milia?

Dicendum, nihil aliud ſignificare, quàm quòd bonitas Dei ac miſericordia multum eiuſdem iuſtitiam ſuperet, vt docetur expreſsè Iacobi 2. cap.

DIFFICVLTAS VI.

Quid ſignificatur his verbis, Eorum qui oderunt me?

Dicendum, quod peccati magnitudo oſtenditur. Quid enim flagitioſius, ac deteſtabilius, quàm ſummam ipſam bonitatem, ſummam veritatem odiſſe?

Hoc ad omnes peccatores pertinet; Nam quemadmodum, qui habet mandata Dei, & ſeruat ea, Deum diligit; Ita qui legem Domini contemnit, & mandata eius non ſeruat, Deum odiſſe meritò dicendus eſt.

DIFFIC. VII. ET POSTREMA.

Quid ſignificatur his verbis, Et ijs qui diligunt me?
Dicendum; quod ſeruandæ legis modus ac ratio docetur; Neceſſe eſt enim eos qui legem Dei ſeruant, eadem charitate atque amore quo in Deum ſunt, ad eius obedientiam adduci: quæ deinceps in ſingulis præceptis commemorabuntur.

Hæc pro primi Capitis Elucidatione ſufficiunt.

CAPI-

CAPITIS II. ELVCIDATIO.

DE SECVNDO PRAECEPTO:

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum; non enim habebit inſontẽ Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtrà.

ANTE explicationem huius pręcepti, vnũ cum Catechiſmo notãdum eſt: Parochos & Catechiſtas non ſatisfacere officio, ſi de hoc præcepto tantùm generatim loquantur, ſed debere in eo explanando diutius morari, & quęcumque ad hanc tractationem pertinent, diſtinctè, dilucidè, accurateque explicare, idque duabus præcipuè de cauſis;

Prima, propter exemplum ipſius Dei pręcipientis: quanquam enim primo diuinæ legis præcepto, quo Deum piè & ſanctè colere iubemur, hoc, quod ſecundo loco ſequitur, neceſſariò cõtinetur; (Nã qui ſibi honorẽ tribui vult, idem poſtulat, ſe vt ſummo verborum honore proſequamur, prohibetque contraria, quod & illa Domini verba apud Malachiam apertè indicant 1. cap. *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus?*) Deus tamen pro rei magnitudine, hanc de ſuo ipſius diuino & ſanctitatis pleniſsimo nomine honorando legem ſeparatam ferre, idque nobis diſertis & perſpicuis verbis præſcribere voluit.

Altera, propter frequentiam tranſgreſsionis huius prçcepti. Non enim deſunt qui errorum tenebris adeò excæcati ſint, vt quem Angeli glorificāt, ei maledicere non vereantur; neque enim lege ſemel lata deterrentur, quò minus Dei maieſtatem quotidie imminuere, imo ſingulis penè horis & momentis impudentiſsimè audeant. Quis enim nō videat omnia iureiurando affirmari, omnia imprecationibus & executionib⁹ referta eſſe, vſqueadeò vt nemo ferè vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non iuſiurandi religionem interponat, Deique ſanctiſsimum nomen millies vel in re leuiſſima, & inani, temerè non vſurpet?

Quare eò maior parochis & catechiſtis cura & diligentia adhibenda eſt, vt ſæpè fideles admoneant quàm graue hoc ſcelus ſit, & deteſtabile.

QVAESTIO I.

Qui actus virtutum præcipiuntur hoc præcepto: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, quatenus tacitè continet in ſe affirmatiuum præceptū?

VT intelligatur quçſtio, tria obſeruāda ſunt; Primùm, per nomen Dei in quæſtione, non ipſius litteras & ſyllabas, aut omninò per ſe nudum verbum intelligendum eſſe, ſed potius rem per illam vocē ſignificatam, hoc eſt, omnipotentem & ſempiternam maieſtatem vnius & trini numinis.

Ex quo licet ſtatim colligere inanem nonnullorum Iudæorum ſuperſtitionem, qui, quod ſcriberent Dei nomen, pronunciare non auderent, quaſi

quaſi in quatuor illis litteris, non in re, diuina vis eſſet.

Secundùm, quod quamuis ſingulari numero prolatum ſit: Non aſſumes nomen Dei, id non de vno aliquo nomine, ſed de omnibus quę Deo tribui ſolēt intelligendum eſſe; Multa enim Deo impoſita ſunt nomina, vt Domini omnipotentis, Domini exercituum, regis regum, fortis, & alia id genus quæ in ſcripturis leguntur, quæ parem eandemq; veneratione̅ habent omnia.

Poſtremùm, cùm eo quod lex fieri prohibet, earum etiam rerum præceptionem coniunctam eſſe, quas præſtare homines debent, hoc eſt, ſicut initio primi præcepti diximus, ſub quolibet præcepto negatiuo, quo actus vitiorum prohibentur, contineri tacitè affirmatiuum, quo actus virtutum contrarij præcipiuntur.

His ita obſeruatis reſpondetur quæſtioni aliquot concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRimò, præcipitur actus fidei exterior, qui eſt confeſſio fidei, præſertim illius, quâ in omnium conſpectu Deum, ac Dominum noſtrum fidēter confitemur, Chriſtumq; ſalutis noſtræ auctorèm quemadmodum agnoſcimus, ita etiam prædicamus.

Eſt Catech. §. Primum igitur laudatur Deus. Et D.Thom.2.2.q.3.

An ſit neceſſarium ad ſalutem confiteri fidem, & quando, vide D. Thom. ſup. art. 2.

CONCLVSIO II.

ITem præcipitur vt verbo Dei, quo eius voluntas enuntiatur, ſanctè & diligenter operā demus, in eius meditatione

aſsiduè verſemur, ſtudioſè illud addiſcamus, aut legendo, aut audiendo, perinde vt cuiuſque perſonæ aut muneri aptum & conſentaneum eſt.

Eſt Catech. §. Itemque cùm verbo Dei. Et D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 2.

Dicitur in concluſione, *prout cuiuſque perſonæ aut muneri conſentaneum eſt:* Quia ad quoſdam pertinet legere verbum Dei, ad quoſdam audire: Deinde, quia alia tenentur diſcere, meditari, legere ſuperiores, alia inferiores, vt colligere licet ex D. Thom. ſup.

Quid paſtores & alij verbi Dei prædicatores potiſsimum docere & prędicare debeant, & quibus diebus, docet Concilium Tridentin. Seſſ. 5 can. 2. de reform. & Seſſ. 24. can. 4. de reform. Vbi monet Cõcilium oportere docere pueros rudimenta fidei in parochialibus Eccleſijs.

CONCLVSIO III.

Deinde præcipitur actus exterior religionis, qui eſt laus Dei, quo nimirùm officij & religionis cauſa diuinas laudes celebramus; tum gratiarum actio, quâ de omnibus rebus tum proſperis tũ aduerſis illi ſingulares gratias agimus.

Eſt Catech. §. Deinde diuinum nomen veneramur. Et D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 1. & q. 83. art. 17. & q. 106. art. 1. ad 1.

In omnibus rebus laudare Deũ docemur in ſcripturis: Inquit enim Propheta Pſalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Extátq; plurimi Dauid Pſalmi, quibus egregia quadã erga Deũ pietate diuinas illius laudes decantat. Extat etiam admirabile illud patiẽtis exemplum Iob cap. 1. & 2. qui cum in maximas illas horribileſque cala-

mitates

ſanitates incidiſſet, Deum tamen excelſo & inuicto animo laudare nunquam intermiſit dicens: *Sit nomen Domini benedictum.*

CONCLVSIO IIII.

PRaeterea praecipitur & alius actus religionis, qui eſt oratio, qua nomen Domini aſſumimus ad eius opem implorãdam, vt ſcilicet aut à malis nos liberet, aut ad eadẽ fortiter perferenda conſtantiam & robur largiatur.

Eſt Catech. §. Neque verò minus. Et D. Thom. 2.2. q. 83. art. 2. 3. & 12.

Probatur. Hoc enim fieri vult Dominus apud Prophetam regium Pſalm. 49. *Inuoca,* inquit, *me in die tribulationis, & eruã te, & glorificabis me.* Cuius implorationis, cùm multis alijs in locis, tum præcipuè in Pſalmis 16. 43. & 118. illuſtria exempla reperiuntur.

CONCLVSIO V.

INſuper praecipitur actus religionis qui vocatur Iuſiurandum, quo fidei faciendae cauſa teſtamur Deum, qui tamẽ actus à ſuperioribus valdè differt.

Eſt Catech. §. Prætereà Dei nomen honore proſequimur. Et D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 4. & alijs.

Additur in concluſione: *Qui tamen actus à ſuperioribus valdè differt:* Nam alij religionis actus, quos ſupra memorauimus, ita ſuapte natura boni ſunt, atq; expetendi, vt nihil beatius, nihil homini optabilius eſſe poſsit, quàm ſi in illis ſedulò exequẽdis ipſum ſe noctes & dies exerceat. *Benedicam* (inquit Dauid Pſalm. 33.) *Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* At Iuſiurandum, licet bonum ſit, eius tamen frequẽs vſus minimè eſt laudabilis: Huius diſcriminis ratio in eo poſita eſt, quòd Iuſiurandũ ea tantùm de cauſa

 inſtitu-

inſtitutum eſt, vt eſſet tãquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad probandum, quòd dicimus neceſſarium inſtrumentum. Vt enim corpori medicaměta adhibere nõ expedit, niſi neceſſe ſit, eorundẽ verò frequentatio omninò pernicioſa eſt; Ita etiã niſi cùm grauis & iuſta cauſa ſubeſt, iureiurando vti nõ eſt ſalutare: Quod ſi ſæpius adhibeatur, tãtùm abeſt vt profit, vt magnum detrimentum afferat. Quamobrẽ præclarè docet Sanctus Chryſoſtomus Homel.26. ad populum Antiochenum: *Non naſcente, iam adulto mundo, cùm mala longè lateq́ propagata vniuerſum terrarum orbem occupaſſent, nihilq́ ſuo loco & ordine conſiſteret, ſed perturbata omnia, & permiſta ſurſum deorſumq́; magna rerum confuſione, ferrentur; Et, quod malorum omnium grauiſsimum eſt, mortales ferè omnes in fœdam Idolorum ſeruitutem ſeipſos abieciſſent, tum denique longo ſanè interuallo iuſiurandum in hominum conſuetudinẽ irrepſiſſe. Nam cùm in tanta hominum perfidia, & iniquitate nemo facilè ad credendum adduceretur, Deum teſtem inuocabant.*

Pro pleniori intelligentia huius concluſionis plures proponemus difficultates, quibus cognitis intelligetur quomodo Iuſiurandum piè ſanctéque adhiberi debeat.

DIFFICVLTAS I.

Quid eſt Iurare?

Dicendum, nihil aliud eſſe, niſi Deum teſtari, quacumque id verborum forma & conceptione fiat. Nam, & teſtis eſt mihi Deus, &, per Deum, idem ſunt.

DIFFICVLTAS II.

An ſit iuramẽtum cùm ad faciendã fidem per res creatas iuramus, vt per ſacra Dei Euãgelia, per crucem, per ſanctorũ reliquias & nomen, & cætera id genus?

Dicendum,

Dicendum eſſe. Neque obſtat quod Iurare, ſit Deum in teſtem vocare, neque enim hæc ipſa per ſe iureiurãdo auctoritatem aut robur aliquod afferũt, ſed Deus ipſe hoc præſtat, cuius diuinæ maieſtatis ſplendor illis in rebus eluceſcit.

Ex hoc ſequitur, vt per Euangelium iurantes per Deum ipſum iurent, cuius veritas Euangelio continetur & declaratur: Similiter & per ſanctos, qui templa Dei ſunt, quique Euangelicæ veritati crediderũt, eamque omni obſeruantia coluerunt, & per gentes & nationes latiſsimè diſſeminarunt.

DIFFICVLTAS III.

An ſit iuramentum, quod per execrationem profertur, quale eſt illud Sancti Pauli 2. ad Corinth. 1. cap. Ego teſtẽ Deum inuoco in animam meam?

Dicendum eſſe; etenim hoc pacto aliquis Dei iudicio, tanquam mendacij vltori ſubijcitur, & ſimul in teſtem & in Iudicem inuocatur.

De his varijs modis iurandi conſule D. Thomam ſup. art. 1. & 6.

Neque tamen propterea negandum eſt, nõnullas ex his formulis iurãdi ita accipi poſſe, quaſi iuramẽti vim non habeant, præſertim ſi deſit intentio iurãdi, vt ſi quis ſolùm intendens aliquid aſſeuerare, dicat, ſcit Deus quia non mentior.

DIFFICVLTAS IIII.

Quotuplex eſt Iuramentum?

Duplex; Primum quod aſſertorium appellatur, nimirum cùm aliquid de re præſenti ac præterita religiosè affirmamus, vt Apoſtolus in epiſtola ad Galatas 1. cap. *Ecce coram Deo, quia non mentior.*

Alterum, promiſſorium dicitur, ad quod etiam comminationes referũtur, futurum tempus ſpectãs, cùm

cùm aliquid ita fore pro certo pollicemur & confirmamus, cuiuſmodi eſt illud Dauidis, 3. Reg. 17. qui Berſabeæ coniugi iurans, per Dominum, Deum ſuũ, promiſit Salomonem eius filiũ regni hæredem fore, atque in ipſius locum ſucceſſurum.

DIFFICVLTAS V.

Ad iuramentum vt rectũ & ſanctum ſit quæ requirũtur?

Dicendum, quod licet ad iuramentum ſatis ſit, ſicut iam dictum eſt, Deum teſtem adhibere, tamen vt rectum ſanctumque ſit, multò plura requiruntur, quæ ſunt diligenter explicanda. Ea breuiter, teſte D. Hieronymo, Ieremias enumerat, cùm inquit cap. 2. ſuæ Prophetiæ. *Iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio & in iuſtitia*: Quibus verbis illa breuiter ſummatimque complexus eſt, quibus omnis iuſiurandi perfectio continetur, veritatem inquam, iudicium & iuſtitiam.

DIFFICVLTAS VI.

Quando cenſetur quis iurare in veritate?

Cùm id quod quis aſſerit & ipſum verum eſt, & qui iurat rem ita eſſe arbitratur, non quidem temerè aut leui coniectura adductus, ſed certiſsimis argumentis.

Alterum iuſiurandi genus, quo aliquid promittimus, eodem planè modo veritatem requirit. Nam qui aliquid pollicetur, ita animatus eſſe debet, vt cũ tempus aduenerit, id re ipſa præſtet & promiſſum exoluat. Neque enim vir probus id vnquam ſe facturum recipiet, quod ſanctiſsimis Dei præceptis, & voluntati aduerſari putet, ſed quicquid promittere, & iurare licuerit, id ſemel promiſſum nunquam mutabit; niſi fortaſſe commutata rerum conditione tale eſſe inceperit, vt iam fidem ſeruare, & promiſ-

ſis ſtare

ſis ſtare ſi velit, Dei odium & offenſionem ſubiret.

DIFICVLTAS VII.

Quando quis cenſetur iurare in iudicio?

Dicendum, cùm quis non temerè & inconſideratè, ſed conſultò & cogitatò iuramentum adhibet.

Itaque iuraturus primum quidem conſiderare debet vtrum neceſsitate cogatur necne, remque totã accuratè expendere, an eiuſmodi ſit vt iureiurando indigere videatur: tempus præterea & locum, aliaque permulta quæ rebus adiuncta ſunt debet circumſpicere.

Deinde non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impelli ad iurandum, ſed ipſius rei vi & neceſsitate.

Niſi hæc conſideratio & diligens animaduerſio acceſſerit, iuramentum præceps & temerarium appellabitur, cuiuſmodi eſt illorum religioſa affirmatio, qui in re leuiſsima & inani, nulla ratione aut conſilio, ſed praua quadam conſuetudine iurant, quod paſsim quotidie à venditoribus & emptoribus fieri videmus. Nam illi vt quamplurimò vendant, hi rurſus, vt quamminimò emant, res venales, vel laudare, vel vituperare iureiurando non dubitant.

Ex his infertur benè conſtitutum fuiſſe à ſancto Cornelio Põtifice, ne à pueris ante pubertatem, hoc eſt, ante decimum quartum annum iuſiurandũ exigatur, quia videlicet ad iuramentũ iudicio, vel prudẽtia opus eſt: Pueri verò ita acutè perſpicere ac diſtinguere nondum per ætatem poſſunt.

DIFFICVLTAS VIII.

Quando quis cenſetur iurare in iuſtitia?

Cùm id quod promittitur iuramento iuſtum &

honeſtum eſt, Iuſtitia enim maximè in promiſsis requiritur.

Quare ſequitur, quòd ſi quis iniuſtum aliquid, vel inhoneſtum promittit, & iurando peccat, & promiſſis faciendis ſcelus ſcelere cumulat.

Extat huius rei in Euangelio exemplum Herodis regis, qui temerario iureiurando obſtrictus, puellæ ſaltatrici caput Ioannis Baptiſtæ tanquam ſaltationis præmium dedit. Tale etiam fuit Iudæorum iuſiurandum, qui ſeipſos, vt eſt in actis Apoſtolorum, ea conditione deuouerunt, nihil guſtaturos donec Paulum occidiſſent.

Difficvltas IX.

Quibus argumentis probari poteſt licitum eſſe iurare his tribus conditionibus ſubſiſtentibus?

Multis argumentis id probare facilè eſt. Nam lex Domini, quæ immaculata eſt, & ſancta, hoc præcepit, *Dominum* (inquit Deut. 6. cap.) *Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Et à Dauide ſcriptum eſt Pſalm. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.*

Præterea ſacræ litteræ indicant, ipſa Eccleſiæ lumina ſanctiſsimos Apoſtolos, iureiurando aliquãdo vſos eſſe, idque ex Apoſtoli epiſtolis apparet.

Adde, quod & Angeli ipſi iurant. Nam à ſancto Ioanne Euangeliſta in Apocalypſi cap. 10. ſcriptum eſt, Angelum iuraſſe per viuentem in ſæcula.

Quin etiam & Deus ipſe iurat Angelorum Dominus: & in veteri teſtamento multis in locis Deus promiſsiones ſuas iureiurando confirmat, vt Abrahæ & Dauidi, qui illud de Dei iureiurãdo prodidit, Pſalm. 109. *Iurauit*, inquit, *Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Deinde probatur hoc ipſum ratione. Neq; enim eſt

obſcura

obſcura ratio ad explicãdum cur Iuſiurandum laudabile ſit, ſi quis attentius totam rem conſideret, & ipſius ortum, finemque intueatur. Etenim iuſiurandum à fide originem ducit, quâ homines credunt Deum totius veritatis eſſe auctorem, qui nec decipi vnquam poſsit, nec alios decipere, cuius oculis nuda ſunt omnia, & aperta, qui deniq; vniuerſis rebus humanis admirabili prouidentia conſulit, mundumq; adminiſtrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis teſtem adhibent, cui fidem non habere, impium & nefarium erit. Quod verò ad finem attinet, eò tendit iuſiurandum, atque id omninò ſpectat, vt hominis iuſtitiam, & innocentiam probet, finemq; litibus & controuerſijs imponat: Quòd etiam Apoſtolus in epiſtola ad Hæbreos docet.

Non obſtant huic doctrinæ verba illa Saluatoris noſtri apud ſanctum Matthæum cap. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua; Ego autem dico vobis, non iurare omninò, neq; per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum pedum eius; neque per Hieroſolymam, quia ciuitas Regis magni eſt; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum: Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non; Quòd autem his abundantius eſt, à malo eſt.* His enim verbis iuſiurandum vniuersè & generatim damnari non eſt dicendum, cùm iam ſuprà viderimus Dominum ipſum Apoſtoloſq; frequenter iurâſſe, ſed peruerſum Iudæorum iudicium Dominus redarguere voluit, quo ſibi in animum induxerant, nihil iureiurando cauendum eſſe præter mendacium. Itaque de rebus leuiſsimis & nullius momenti, & ipſi iurabant frequentiſsimè, & ab alijs iuſiurandum exigebant. Hunc morem Saluator reprehendit,

prehendit, atque improbat, docetque omninò à iureiurando abſtinendum eſſe, niſi cogat neceſsitas. Propter humanam imbecillitatem iuſiurandum inſtitutum eſt; & reuerà à malo prouenit: quandoquidem aut iurantis inconſtãtiam indicat, aut illius, cuius cauſa iuramus, contumaciam, qui, vt credat, aliter adduci non poteſt. Sed tamen iurandi neceſsitas excuſationẽ habet. Et quidem, dum inquit Saluator; *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non, non;* hac loquendi formula ſatis declarat ſe iurandi conſuetudinem in colloquijs familiarium, & leuium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipuè à Domino admonemur, ne faciles nimiùm, & propenſi ad iurandum ſimus.

MONITIO.

Hæc doctrina ſedulò docenda erit, & fidelium auribus inculcanda; infinita enim ferè mala ex iurandi nimia cõſuetudine emanare, & ſacrarum litterarum auctoritate, & Sanctiſsimorum Patrum teſtimonijs comprobatur. In eccleſiaſtico ſcriptum eſt, cap. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.* Itẽ *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.*

Plura hac de re legi poſſunt apud ſanctos Baſiliũ, & Auguſtinum in libris contrà mendacium.

Hactenùs de hoc præcepto quatenus eſt affirmatiuum: nunc de eodem quatenus eſt negatiuum, & prohibet actus vitiorum, aliquid dicendum eſt.

QVAESTIO II.

Qui actus vitiorum prohibentur hoc præcepto quatenus eſt negatiuum?

CON

CONCLVSIO I.

H*Oc præcepto prohibetur ne homines falſum iurent.* Eſt Catech. §. Hoc igitur præcepto, &c. Et D.Thom. 2.2.q. 89. art. 2.

Ratio prohibitionis eſt. Nam qui à tanto ſcelere non refugit, vt Deum falsò teſtetur, hic inſignẽ Deo iniuriam facit, quippè qui aut illi inſcitię notam inurit, dum ipſum alicuius rei veritatem latere arbitratur, aut certè improbitatis aut praui affectus, qui mẽdacium teſtimonio velit confirmare.

Iurat falsò non is ſolùm, qui, quod falſum ſcit, verum eſſe iurando affirmat, ſed ille etiam, qui iureiurando id aſſerit, quod cùm verum ſit, tamen ipſe falſum putat. Nam cùm mendacium ea re mendacium ſit, quod contrà mẽtem & animi ſententiam profertur, perſpicuum eſt hunc planè mentiri & periurum eſſe.

Simili quoque ratione peierat, qui id iurat, quod verum exiſtimat, & tamẽ reuerà falſum eſt, niſi quãtum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, vt totam rem compertam atque exploratam haberet. Quamuis enim ipſius oratio menti conſentiat, tamẽ huius præcepti reus eſt.

Eiuſdem quoque peccati reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid iureiurando facturum promittit, cùm tamen aut promiſſũ implere in animo non fuerit, aut, ſi fuit, quod promiſit re ipſa non præſtat.

Necnon & illi rei ſunt, qui cùm ſe voti ſponſione Deo obligârunt, non præſtant.

Poſtremò falsò iurat, qui per falſos Deos iurat. quid enim eſt à veritate alienius, quàm mendaces & fictitios Deos tanquam verum Deum teſtari?

CON-

CONCLVSIO II.

Prætereà prohibetur iuramẽtum cui iuſtitia deeſt, quæ ex tribus iuriſiurandi comitibus vna eſt.

Eſt Catech.§ Prætereà in hoc præceptum peccatur,&c. Et D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3.

Huius criminis reus eſt, ſi quis iuret ſe peccatum aliquod mortiferum commiſſurum; Exempli cauſa, cędem hominis, licet ille ſeriò, atque ex animo dicat, atque iuſiurandum veritatem habeat, quam primo loco requiri declarauimus.

His adiungi debent illa iurandi genera, quæ à cõtemptu quodã proficiſcuntur, cùm quis iurat ſe non obtemperaturũ conſilijs euãgelicis, cuiuſmodi ſunt, quæ ad cælibatum, & paupertatem hortantur. Quãuis enim nemo ea neceſſariò ſequi debeat, ſi quis tamen iuret nolle ſe illis parere conſilijs, is eo iureiurando diuina conſilia contemnit & violat.

CONCLVSIO III.

Prætereà prohibetur iuramentum quod fit ſine iudicio.

Eſt Catech. §. Prætereà hanc legem is violat. Et D. Thom. ſup.

Hoc modo peccat, qui quod verum eſt quidem iurat, idq́; ita ſe habere exiſtimat leuibus quibuſdam coniecturis adductus & longè petitis. Nam etſi eiuſmodi iuſiurandum veritas comitatur, ſubeſt tamen aliquo modo falſum: Nam qui ſic negligenter iurat, in magno peierandi periculo verſatur.

CONCLVSIO IIII.

Prohibetur quoque neglectio eorum, quibus ex præcepti huius auctoritate honos debetur, quale eſt verbum Dei.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Verùm quoniam ſcriptura, &c.

Ratio eſt. Quoniã ſcriptura cùm periurium interdixit, inquit, Leuit. 19. *Ne pollues nomen Dei tui.*

Dei verbum inhonorant, & ſumma iniuria afficiunt quicumque ſacram ſcripturam à recta, & germana eius ſententia, ad impiorum dogmata, & hæreſes flectunt. Huius ſceleris admonet nos Princeps Apoſtolorum illis verbis, 2. epiſt. 3. *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

Prætereà fœdis & inhoneſtis maculis ſacra ſcriptura contaminatur, cùm eius verba, & ſententias, quæ omni veneratione colenda ſunt, ad propbana quæque nefarij homines torquent, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, aſſentationes, detractiones, ſortes, libellos famoſos, et ſi quæ alia ſint id genus: In quod peccatum ſacra Tridẽtina Synodùs animaduerti iubet Seſſ. 4. in fine.

CONCLVSIO V.

S*Imiliter & neglectio inuocationis diuini nominis.*

Eſt Catech. §. Deindè vt ij, &c. Et D. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 3.

Nam vt ij Deum honorant, qui eius opem atque auxilium in ſuis calamitatibus implorant: ita debitũ Deo honorem is negat, qui illius ſubſidium non inuocat, quos redarguit Dauid cùm inquit Pſalm. 13 *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

CONCLVSIO VI.

P*Rohibetur etiam deteſtabile ſcelus blaſphemiæ.*

Eſt Catech. §. At verò longè magis, &c. Et D. Thom. 2 2. q. 13. art. 1. & 2.

Peccant

Peccant ergo in hoc præceptũ, qui ſacroſanctum Dei nomen ab omnibus creaturis benedicendum & ſummis laudibus extollẽdum, aut etiam Sanctorum nomen cum Deo regnantium impuro & contaminato ore blaſphemare atque execrari audent.

Peccatum blaſphemiæ vſqueadeò eſt atrox atque immane, vt interdùm ſacræ litteræ, ſi de blaſphemia ſermo incidat, benedictionis nomine vtantur.

De blaſphemia quid ſit, & quale ſit peccatum docet D. Thomas ſup.

QVAESTIO III.

Cur huic præcepto, ſicut & præcedenti comminatio pœnæ additur, cùm dicitur: Neque enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà?

CONCLVSIO I.

Svmma ratione factum eſt, vt huic præcepto minæ adiũgerentur, quo quidem & peccati grauitas & in nos Dei benignitas agnoſcatur.

Eſt Catech. §. Ac primùm quidem doceat, &c. Et D.Thom. 1.2.q. 100. art.2.

Ratio poſterioris partis eſt. Cùm enim Deus hominum perditione non delectetur, ne ipſius iram & offenſionem ſubeamus, hiſce ſalutaribus minis nos deterret, nimirùm vt illum potius beneuolũ, quàm iratum experiamur.

CONCLVSIO II.

Deinde hac ratione etiam minæ additæ ſunt, ad coërcendam

dam hominum procliuitatem ad hoc peccatũ committẽdum.
EſtCatech. §. Oſtendit præterea,&c.

Incredibile enim eſt quantum hæc cogitatio vtilitatis habeat: Nam, vt nihil æquè nocet vt incauta quædam animi ſecuritas, ita propriæ imbecillitatis cognitio plurimùm prodeſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare nullum à Deo certum ſupplicium conſtitutum eſt, ſed tantùm vniuersè minatur, quicumque ſe hoc ſcelere aſtrinxerit, non impunè laturum?

Dicendum, vt diuerſa ſupplicia quibus quotidie affligimur, huius peccati nos admoneant.

Hinc facilè licet colligere homines ea re in maximas calamitates incidere, quòd huic præcepto non obtemperent, quibus ſibi propoſitis cautiores eos in poſterum fore veriſimile eſt.

MONITIO.

Fideles itaque ſancto timore perterriti, omni ſtudio peccatum hoc ſtudebunt fugere. Nam ſi omnis verbi otioſi in extremo iudicio reddenda ratio eſt, quid de grauiſsimis ſceleribus dicendum, quæ magnam diuini nominis deſpicientiam præ ſe ferunt?

CAPITIS III ELVCIDATIO.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Memento vt diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septima autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intrà portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit eum.

ANTE explicationem huius pręcepti, duo cum Catechiſmo annotanda ſunt;

Primum, Paſtores & Catechiſtas ſummam in hoc præcepto explicando diligētiam adhibere debere, propter fructum & admirabilem vtilitatem quam ſecum adfert.

Duo ſunt præcipua argumenta, quæ magnā vim habent ad inflammandum eorum ſtudium;

Primum, illud præcepti verbum, *Memento.* Nam quemadmodùm fideles tale præceptum meminiſſe debent:

debent: ſic Paſtorum & Catechiſtarum eſt, in eorum memoriam illud, & monendo & docendo ſæpè redigere.

Alterum, quia ſi hoc præceptũ benè obſeruetur, ad reliqua legis iuſſa ſeruanda faciliùs fideles adducentur. Cùm enim inter cętera quę diebus feſtis pręſtare debent, neceſſe habeãt, verbi Dei audiendi cauſa, ad eccleſiam conuenire, cùm edocti fuerint diuinas iuſtificationes, illud etiam conſequetur, vt ex toto corde, cuſtodiant legem Domini. Quamobrem ſepiſsimè Sabbathi celebritas cultuſque præcipitur in ſacris litteris, vt in Exodo, Leuitico, Deuteronomio, & apud Eſaiam, Hieremiam, item & Ezechielẽ Prophetas videre licet, quibus omnibus in locis hoc de Sabbathi cultu traditum eſt præceptum.

Secundum annotandum eſt, monendos & hortãdos eſſe Principes & Magiſtratus, vt in ijs maximè quæ ad hunc cultũ Dei retinendum atque augẽdum pertinent, Eccleſiæ præſides ſua auctoritate iuuent, iubeantque populum ſacerdotum præceptis obtemperare.

QVAESTIO I.

An rectè & conuenienti ordine duobus prioribus præceptis ſubijciatur hoc tertium, Memento, &c?

CONCLVSIO VNICA.

Rectè atque ordine hoc tertium præceptum immediatè ſubſequitur duo priora.

Eſt Catech. §. Hoc legis præcepto, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 1.

Ratio eſt: Nam externus Dei cultus hic præcipitur, qui eſt veluti quidam duorum priorum præceptorum fructus; quem enim intimis ſenſibus piè colimus fide & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus cum nō externo cultu venerari, eidemq́ue gratias agere.

Præſcribit præceptum certum tempus, quia ab ijs qui humanarum rerum occupationibus detinentur, cultus qui hic præcipitur, nō facilè niſi certo pręfixo tempore, præſtari poteſt.

QVAESTIO II.

In quo hoc præceptum differt ab alijs præceptis Decalogi? Et: In quo cum eis conuenit? Et: Quare præcepta cæremonialia veteris legis mutanda fuerunt?

CONCLVSIO I.

Certa illa differentia videtur, quòd reliqua Decalogi præcepta naturalia ſint & perpetua, neque vlla ratione mutari poſſint: Hoc autem de Sabbathi cultu præceptū, ſi ſtatutum tempus ſpectetur, non fixum & conſtans eſt, ſed mutabile, neque ad mores, ſed ad cæremonias pertinet; neq; naturale, quoniam non à natura ad id docti aut inſtituti ſumus, vt illo die potius, quàm alio externum Deo cultum tribuamus, ſed ex eo tempore, quo populus Iſraëliticus à Pharaonis ſeruitute eſt liberatus, diem Sabbathum coluit.

Eſt Catech. §. Certa igitur illa duoctrina, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

CON-

CONCLVSIO II.

Conuenit autem hoc præceptum cum reliquis,non ritu & cæremonijs,ſed quia aliquid habet quod ad mores naturaq́; ius attineat: Nã Dei cultus ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur,à naturæ iure exiſtit,cùm illud natura cõparatum ſit, vt aliquot horas in ijs quæ ad Dei cultum pertinent, verſemur.

Eſt Catech. §. Conuenit autem, &c. Et D. Thomæ ſup.

Probatur & explicatur. Nam apud omnes nationes ſtatas quaſdam ferias, eaſq́ue publicas fuiſſe cernimus, quæ ſacris rebus ac diuinis obeundis erant conſecratæ.

Et confirmatur. Nam naturale homini eſt, vt is certum quoddã tempus neceſſarijs rerum functionibus det, veluti corporis quieti, ſomno, & alijs huiuſmodi rebus. Vt igitur corpori,ita eâdem ratione factum eſt, vt menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei comtemplatione ſeſe reficeret.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA TERTIAE PARTI quæſtionis.

Præcepta cæremonialia veteris legis aduenîete Chriſto mutari oportuit. Nam cùm cæremoniæ ſint quaſi adumbratæ imagines lucis & veritatis,illud vtique neceſſe erat, vt lucis ac veritatis, quæ Ieſus Chriſtus eſt aduentu, remouerentur.

Eſt Catech. §. Tempus autem quo cultus tollendus erat,&c. Et D Thom. 1.2.q.103.art.3.

Indicauit hanc D. Paulus ad Galatas cap. 4. cùm

Moſaici ritus cultores reprehenderet, ita ſcribens: *Dies obſeruatis & menſes, & tempora, & annos: Timeo vos ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis*: In eandem etiam ſententiam ſcripſit ad Coloſſenſes cap. 2.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm præceptum hoc pro ea parte quâ diem Sabbathi ad cultum Dei ordinabat, eſſet cæremoniale, vt iam dictum eſt, à quibus mutatum fuit? & loco illius quis dies cultui diuino fidelibus præſcriptus?

Dicendum, Apoſtolos ex ſeptem diebus eum qui primus eſt ad diuinum cultum conſecrâſſe & diem Dominicum appellaſſe: Conſtat hoc clariſsimis ſcripturis: Nam & ſanctus Ioannes in Apocalypſi cap. 1. Dominici diei meminit: Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 16. per vnam Sabbathi, quæ eſt dies Dominicus (vt ſanctus Chryſoſtomus interpretatur Hom. 13. in 1. ad Corinth.) collectas fieri iubet: vt intelligamus iam tum in Eccleſia diem Dominicum ſanctum habitum eſſe.

His duabus quæſtionibus ita generatim expoſitis diligenter obſeruandum eſt, hoc præceptum diuidi à Catechiſmo in quatuor partes, de quibus nobis ex ordine conſueta methodo dicendum eſt: Sic enim lucidiùs hoc præceptũ explicabitur, & faciliùs aduertetur qui actus virtutũ illo, quatenus eſt affirmatiuum, præcipiantur, & contrà qui actus vitiorũ, quatenus eſt negatiuum, prohibeantur.

Pro explicatione igitur primę partis ſint quæſtiones ſequentes.

QVAESTIO III.

An initio præcepti verbum illud (Memento) ſit appoſitè additum?

CONCLVSIO VNICA.

INitio præcepti, verbũ illud (Memento) appoſitè additum eſt, idq; propter plures cauſas. Nã primò huius diei cultus ad cæremonias pertinet, vt antè dictum eſt. Qua de re populus admonendus videbatur, cùm natura lex etſi aliquo tẽpore Deum religionis ritu colendum eſſe doceat, hoc tamen quo potiſſimùm die fieri deberet, non præſcripſit. Deinde voluit Deus eo verbo tacitè nos docere modum & rationem, quã in tota hebdomada opus facere conueniat, ita ſcilicet, vt diem feſtũ ſemper ſpectemus. Quo die cùm actionum & operum noſtrorũ Deo quaſi reddẽda ratio ſit, eiuſmodi opera efficiamus neceſſe eſt, quæ neq; Dei iudicio repudientur, neque nobis, vt ſcriptũ eſt, in ſingultum ſint, & in ſcrupulum cordis. Poſtremò id docemur, quod certè animaduertere debemus, non defuturas ſcilicet occaſiones, quamobrem nos huius præcepti capiat obliuio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel ſpectaculorum, ludorumq; ſtudio, quibus plerumque ab huius diei ſancto religioſoq; cultu abducimur.

Eſt Catechiſmi §. Itaque primùm generatim proponat. Et D. Thomæ 1.2. q. 100. art. 7 ad 5. Neque eget maiori explicatione.

QVAESTIO IIII.

Quid Sabbathum? & quare dies ſeptimus apud Iudæos fuit vocatus Sabbathum? Et: Quomodo ſanctificamus Sabbathum?

CONCLVSIO I.

SAbbathum hæbraicum nomen, ſi latinè interpreteris, ceſſatio dicitur. Sabbathizare propterea ceſſare & requieſcere latino vocabulo appellatur.

prehendit, atque improbat, docetq́ue omninò à iureiurando abſtinendum eſſe, niſi cogat neceſsitas. Propter humanam imbecillitatem iuſiurandum inſtitutum eſt; & reuerà à malo prouenit: quandoquidem aut iurantis inconſtātiam indicat, aut illius, cuius cauſa iuramus, contumaciam, qui, vt credat, aliter adduci non poteſt. Sed tamen iurandi neceſsitas excuſationē habet. Et quidem, dum inquit Saluator; *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non, non*; hac loquendi formula ſatis declarat ſe iurandi conſuetudinem in colloquijs familiarium, & leuium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipuè à Domino admonemur, ne faciles nimiùm, & propenſi ad iurandum ſimus.

MONITIO.

Hæc doctrina ſedulò docenda erit, & fidelium auribus inculcanda; infinita enim ferè mala ex iurandi nimia cōſuetudine emanare, & ſacrarum litterarum auctoritate, & Sanctiſsimorum Patrum teſtimonijs comprobatur. In eccleſiaſtico ſcriptum eſt, cap. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.* Itē *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.*

Plura hac de re legi poſſunt apud ſanctos Baſiliū, & Auguſtinum in libris contrà mendacium.

Hactenùs de hoc præcepto quatenus eſt affirmatiuum: nunc de eodem quatenus eſt negatiuum, & prohibet actus vitiorum, aliquid dicendum eſt.

QVAESTIO II.

Qui actus vitiorum prohibentur hoc præcepto quatenus eſt negatiuum?

CON

CONCLVSIO I.

H*Oc præcepto prohibetur ne homines falſum iurent.* Eſt Catech. §. Hoc igitur præcepto, &c. Et D.Thom. 2.2.q. 89. art. 2.

Ratio prohibitionis eſt. Nam qui à tanto ſcelere non refugit, vt Deum falsò teſtetur, hic inſignẽ Deo iniuriam facit, quippè qui aut illi inſcitię notam inurit, dum ipſum alicuius rei veritatem latere arbitratur, aut certè improbitatis aut praui affectus, qui mẽdacium teſtimonio velit confirmare.

Iurat falsò non is ſolùm, qui, quod falſum ſcit, verum eſſe iurando affirmat, ſed ille etiam, qui iureiurando id aſſerit, quod cùm verum ſit, tamen ipſe falſum putat. Nam cùm mendacium ea re mendacium ſit, quod contrà mẽtem & animi ſententiam profertur, perſpicuum eſt hunc planè mentiri & periurum eſſe.

Simili quoque ratione peierat, qui id iurat, quod verum exiſtimat, & tamẽ reuerà falſum eſt, niſi quãtum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, vt totam rem compertam atque exploratam haberet. Quamuis enim ipſius oratio menti conſentiat, tamẽ huius præcepti reus eſt.

Eiuſdem quoque peccati reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid iureiurando facturum promittit, cùm tamen aut promiſsũ implere in animo non fuerit, aut, ſi fuit, quod promiſit re ipſa non præſtat.

Necnon & illi rei ſunt, qui cùm ſe voti ſponſione Deo obligârunt, non præſtant.

Poſtremò falsò iurat, qui per falſos Deos iurat. quid enim eſt à veritate alienius, quàm mendaces & fictitios Deos tanquam verum Deum teſtari?

CON-

Eſt Catech. §. Verùm quoniam ſcriptura, &c.

Ratio eſt. Quoniã ſcriptura cùm periurium interdixit, inquit, Leuit. 19. *Ne pollues nomen Dei tui.*

Dei verbum inhonorant, & ſumma iniuria afficiunt quicumque ſacram ſcripturam à recta, & germana eius ſententia, ad impiorum dogmata, & hæreſes flectunt. Huius ſceleris admonet nos Princeps Apoſtolorum illis verbis, 2. epiſt. 3. *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

Præterea fœdis & inhoneſtis maculis ſacra ſcriptura contaminatur, cùm eius verba, & ſententias, quæ omni veneratione colenda ſunt, ad propbana quæque nefarij homines torquent, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, aſſentationes, detractiones, ſortes, libellos famoſos, et ſi quæ alia ſint id genus: In quod peccatum ſacra Tridẽtina Synodus animaduerti iubet Seſſ. 4. in fine.

CONCLVSIO V.

SImiliter & neglectio inuocationis diuini nominis.

Eſt Catech. §. Deindè vt ij, &c. Et D. Thomæ 2.2. q. 83. art. 3.

Nam vt ij Deum honorant, qui eius opem atque auxilium in ſuis calamitatibus implorant: ita debitũ Deo honorem is negat, qui illius ſubſidium non inuocat, quos redarguit Dauid cùm inquit Pſalm. 13 *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

CONCLVSIO VI.

PRohibetur etiam deteſtabile ſcelus blaſphemiæ.

Eſt Catech. §. At verò longè magis, &c. Et D. Thom. 2 2. q. 13. art. 1. & 2.

Peccant

dam hominum procliuitatem ad hoc peccatū committēdum.
EſtCatech. §. Oſtendit præterea,&c.

Incredibile enim eſt quantum hæc cogitatio vtilitatis habeat: Nam, vt nihil æquè nocet vt incauta quædam animi ſecuritas, ita propriæ imbecillitatis cognitio plurimùm prodeſt.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare nullum à Deo certum ſupplicium conſtitutum eſt, ſed tantùm vniuersè minatur, quicumque ſe hoc ſcelere aſtrinxerit, non impunè laturum?

Dicendum, vt diuerſa ſupplicia quibus quotidie affligimur, huius peccati nos admoneant.

Hinc facilè licet colligere homines ea re in maximas calamitates incidere, quòd huic præcepto non obtemperent, quibus ſibi propoſitis cautiores eos in poſterum fore veriſimile eſt.

MONITIO.

Fideles itaque ſancto timore perterriti, omni ſtudio peccatum hoc ſtudebunt fugere. Nam ſi omnis verbi otioſi in extremo iudicio reddenda ratio eſt, quid de grauiſsimis ſceleribus dicendum, quæ magnam diuini nominis deſpicientiam præ ſe ferunt?

CAPITIS III ELVCIDATIO.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Memento vt diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septima autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intrà portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit eum.

ANTE explicationem huius pręcepti, duo cum Catechiſmo annotanda ſunt;

Primum, Paſtores & Catechiſtas ſummam in hoc præcepto explicando diligẽtiam adhibere debere, propter fructum & admirabilem vtilitatem quam ſecum adfert.

Duo ſunt præcipua argumenta, quæ magnã vim habent ad inflammandum eorum ſtudium;

Primum, illud præcepti verbum, *Memento*. Nam quemadmodùm fideles tale præceptum meminiſſe debent.

debent: ſic Paſtorum & Catechiſtarum eſt, in eorum memoriam illud, & monendo & docendo ſæpè redigere.

Alterum, quia ſi hoc præceptũ benè obſeruetur, ad reliqua legis iuſſa ſeruanda faciliùs fideles adducentur. Cùm enim inter cętera quę diebus feſtis prę- ſtare debent, neceſſe habeãt, verbi Dei audiendi cauſa, ad eccleſiam conuenire, cùm edocti fuerint diuinas iuſtificationes, illud etiam conſequetur, vt ex toto corde, cuſtodiant legem Domini. Quamobrem ſepiſsimè Sabbathi celebritas cultuſque præcipitur in ſacris litteris, vt in Exodo, Leuitico, Deuteronomio, & apud Eſaiam, Hieremiam, item & Ezechielẽ Prophetas videre licet, quibus omnibus in locis hoc de Sabbathi cultu traditum eſt præceptum.

Secundum annotandum eſt, monendos & hortãdos eſſe Principes & Magiſtratus, vt in ijs maximè quæ ad hunc cultũ Dei retinendum atque augẽdum pertinent, Eccleſiæ præſides ſua auctoritate iuuent, iubeantque populum ſacerdotum præceptis obtemperare.

QVAESTIO I.

An rectè & conuenienti ordine duobus prioribus præceptis ſubijciatur hoc tertium, Memento, &c?

CONCLVSIO VNICA.

Rectè atque ordine hoc tertium præceptum immediatè ſubſequitur duo priora.

Eſt Catech. §. Hoc legis præcepto, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 1.

Ratio eſt: Nam externus Dei cultus hic præcipitur, qui eſt veluti quidam duorum priorum præceptorum fructus; quem enim intimis ſenſibus piè colimus fide & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus eum nō externo cultu venerari, eidemq́ue gratias agere.

Præſcribit præceptum certum tempus, quia ab ijs qui humanarum rerum occupationibus detinentur, cultus qui hic præcipitur, nō facilè niſi certo pręfixo tempore, præſtari poteſt.

QVAESTIO II.

In quo hoc præceptum differt ab alijs præceptis Decalogi? Et: In quo cum eis conuenit? Et: Quare præcepta cæremonialia veteris legis mutanda fuerunt?

CONCLVSIO I.

Certa illa differentia videtur, quòd reliqua Decalogi præcepta naturalia ſint & perpetua, neque vlla ratione mutari poſſint: Hoc autem de Sabbathi cultu præceptū, ſi ſtatutum tempus ſpectetur, non fixum & conſtans eſt, ſed mutabile, neque ad mores, ſed ad cæremonias pertinet; neq; naturale, quoniam non à natura ad id docti aut inſtituti ſumus, vt illo die potius, quàm alio externum Deo cultum tribuamus, ſed ex eo tempore, quo populus Iſraëliticus à Pharaonis ſeruitute eſt liberatus, diem Sabbathum coluit.

Eſt Catech. §. Certa igitur illa duoctrina, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4.

CON-

CONCLVSIO II.

Conuenit autem hoc præceptum cum reliquis, non ritu & cæremonijs, ſed quia aliquid habet quod ad mores naturaq; ius attineat: Nã Dei cultus ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur, à naturæ iure exiſtit, cùm illud natura cõparatum ſit, vt aliquot horas in ijs quæ ad Dei cultum pertinent, verſemur.

Eſt Catech. §. Conuenit autem, &c. Et D. Thomæ ſup.

Probatur & explicatur. Nam apud omnes nationes ſtatas quaſdam ferias, eaſque publicas fuiſſe cernimus, quæ ſacris rebus ac diuinis obeundis erant conſecratæ.

☞ Et confirmatur. Nam naturale homini eſt, vt is certum quoddã tempus neceſſarijs rerum functionibus det, veluti corporis quieti, ſomno, & alijs huiuſmodi rebus. Vt igitur corpori, ita eâdem ratione factum eſt, vt menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei comtemplatione ſeſe reficeret.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA TERTIAE PARTI quæſtionis.

Præcepta cæremonialia veteris legis aduenĩẽte Chriſto mutari oportuit. Nam cùm cæremoniæ ſint quaſi adumbratæ imagines lucis & veritatis, illud vtique neceſſe erat, vt lucis ac veritatis, quæ Ieſus Chriſtus eſt aduentu, remouerentur.

Eſt Catech. §. Tempus autem quo cultus tollendus erat, &c. Et D Thom. 1.2.q.103.art.3.

Indicauit hanc D. Paulus ad Galatas cap. 4. cùm

Moſaici ritus cultores reprehenderet, ita ſcribens: *Dies obſeruatis & menſes, & tempora, & annos: Timeo vos ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis*: In eandem etiam ſententiam ſcripſit ad Coloſſenſes cap. 2.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm præceptum hoc pro ea parte quâ diem Sabbathi ad cultum Dei ordinabat, eſſet cæremoniale, vt iam dictum eſt, à quibus mutatum fuit? & loco illius quis dies cultui diuino fidelibus præſcriptus?

Dicendum, Apoſtolos ex ſeptem diebus eum qui primus eſt ad diuinum cultum conſecrâſſe & diem Dominicum appellaſſe: Conſtat hoc clariſsimis ſcripturis: Nam & ſanctus Ioannes in Apocalypſi cap. 1. Dominici diei meminit: Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 16. per vnam Sabbathi, quæ eſt dies Dominicus (vt ſanctus Chryſoſtomus interpretatur Hom. 13. in 1. ad Corinth.) collectas fieri iubet: vt intelligamus iam tum in Eccleſia diem Dominicum ſanctum habitum eſſe.

His duabus quæſtionibus ita generatim expoſitis diligenter obſeruandum eſt, hoc præceptum diuidi à Catechiſmo in quatuor partes, de quibus nobis ex ordine conſueta methodo dicendum eſt: Sic enim lucidiùs hoc præceptũ explicabitur, & faciliùs aduertetur qui actus virtutũ illo, quatenus eſt affirmatiuum, præcipiantur, & contrà qui actus vitiorũ, quatenus eſt negatiuum, prohibeantur.

Pro explicatione igitur primę partis ſint quæſtiones ſequentęs.

QVAESTIO III.

An initio præcepti verbum illud (Memento) ſit appoſitè additum?

CON.

CONCLVSIO VNICA.

INitio præcepti, verbũ illud (Memento) appoſitè additum eſt, idq; propter plures cauſas. Nã primò huius diei cultus ad cæremonias pertinet, vt antè dictum eſt. Qua de re populus admonendus videbatur, cùm naturæ lex etſi aliquo tẽpore Deum religionis ritu colendum eſſe doceat, hoc tamen quo potiſsimùm die fieri deberet, non præſcripſit, Deinde voluit Deus eo verbo tacitè nos docere modum & rationem, quã in tota hebdomada opus facere conueniat, ita ſcilicet, vt diem feſtũ ſemper ſpectemus. Quo die cùm actionum & operum noſtrorũ Deo quaſi reddẽda ratio ſit, eiuſmodi opera efficiamus neceſſe eſt, quæ neq; Dei iudicio repudientur, neque nobis, vt ſcriptũ eſt, in ſingultum ſint, & in ſcrupulum cordis. Poſtremò id docemur, quod certè animaduertere debemus, non defuturas ſcilicet occaſiones, quamobrem nos huius præcepti capiat obliuio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel ſpectaculorum, ludorumq; ſtudio, quibus plerumque ab huius diei ſancto religioſoq; cultu abducimur.

Eſt Catechiſmi §. Itaque primùm generatim proponat. Et D. Thomæ 1.2. q. 100. art. 7 ad 5. Neque eget maiori explicatione.

QVAESTIO IIII.

Quid Sabbathum? &: quare dies ſeptimus apud Iudæos fuit vocatus Sabbathum? Et: Quomodo ſanctificamus Sabbathum?

CONCLVSIO I.

SAbbathum hebraicum nomen, ſi latinè interpreteris, ceſſatio dicitur. Sabbathizare propterea ceſſare & requieſcere latino vocabulo appellatur.

Eſt Catech. §. Sabbathum hæbraicum nomẽ, &c. Neque eget maiori explicatione.

CONCLVSIO II.

Septimus dies apud Iudæos Sabbathi nomine dicitur, quoniam abſoluta, perfectaq́; mundi vniuerſitate Deus ab omni opere quod fecerat, requieuit.

Eſt Catech. §. Qua ſignificatione factum eſt.

Patet ſcripturâ ſacrâ. Nam ita hunc diẽ in Exodo cap. 20 Dominus vocat.

CONCLVSIO III.

Poſteà non ſolùm ſeptimus hic dies, ſed ob eius dignitatem ipſa etiam hebdomada eo nomine appellata eſt.

Eſt Catech. §. Poſtea verò non ſolùm.

In hunc ſenſum Phariſęus apud Sanctum Lucam, cap. 10. dixit. *Ieiuno bis in Sabbatho.*

CONCLVSIO IIII.

Sanctificatio Sabbathi in ſacris litteris ceſſatio eſt, quæ fit à corporis laboribus, & à negotijs.

Eſt Catech. §. Sanctificatio autem Sabbathi. &c.

Hanc apertè oſtendunt hæc quæ ſequuntur præcepti verba. *Non facies in eo quicquam operis.*

CONCLVSIO V.

Neque verò id ſolùm ſignificat (aliter enim ſuffeciſſet dicere vt eſt in Deutronomio 5. cap. Obſeruea diem Sabbathi) ſed cùm in eodem loco addatur, vt ſanctifices eum, hoc verbo oſtenditur Sabbathi diem religioſum eſſe, diuiniſq́; actionibus ac ſanctis rerum officijs conſecratum.

Eſt Catech. §. Neque verò id ſolùm ſignificat, &c. Et non eget maiori explicatione.

CON-

CONCLVSIO VI.

Itaque diem Sabbathi tum plenè & perfectè celebramus, cùm pietatis & religionis officia Deo præſtamus.

Eſt Catech.§.Itaque diem Sabbathi. Et ſatis patet ex pręcedentibus,& per ſe.

Sabbathũ ſic ſanctificatum Iſaias cap. 58.appellat Delicatũ, quoniam dies feſtĩ ſunt veluti delicię Dñi & piorum hominum.

MONITIO.

Si religioſo huic ſanctoque Sabbathi cultui, miſericordiæ adiungantur opera, certè maxima ſunt & multa præmia quę nobis eodem capite proponũtur.

CONCL. VII. ET POSTREMA.

Itaque verus ac proprius huius præcepti ſenſus eò ſpectat, vt homo & animo & corpore in eam curam incumbat, vt ſtatuto aliquo tempore à negotijs corporiſq; laboribus feriatus, Deum piè colat, ac veneretur.

Eſt Catech.§. Itaque verus ac proprius,&c. Neq; eget maiori explicatione.

Hæc pro elucidatione primæ partis pręcepti,quę eſt: *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices*, ſufficiũt. Nunc de ſecunda agendum eſt, quæ eſt: *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbathũ Domini Dei tui eſt.*

QVAESTIO V.

Cur dies ſeptimus apud Iudæos dedicatus fuit cultui Dei?

CONCLVSIO I.

Hic dies diuino cultui dicatus eſt, quia rudi populo minus expediebat habere eam facultatem temporis arbitratu ſuo delıgēdi, ne fortè AEgyptiorū ſacra imitaretur.

Eſt Catech. §. Hic verò dies. & ſatis ex ſe clara eſt.

CONCLVSIO II.

Præterea, vt eſſet ipſis ſignum.

Eſt Catech. §. Quare Dominus in Exodo.

Sic enim Dominus in Exodo, & apud Ezechielē cap. 20. ſignū vocat, *Videte itaque*, ille inquit, *vt Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris, vt ſciatis, quia ego Dominus qui ſanctifico vos.*

Sabbathum Iudæis ſignum fuit multiplex.

Primò enim ſignum fuit, quod indicabat homines Deo ſe dedicare oportere, ſanctoſque eidem præbere, cùm diem ei dicatum videamus eſſe: ſiquidem ille dies ſanctus eſt, quòd tum præcipuè ſanctitatem & religionem homines colere debeant.

Deinde ſignum eſt, & quaſi monumentum conditæ huius admirandæ vniuerſitatis.

Signum præterea fuit Iſraëlitarum memoriæ traditum, quo admoniti, ſe Dei auxilio à duriſsimo AEgyptiacæ ſeruitutis iugo ſolutos, ac liberatos eſſe meminiſſent: Id quod Dominus oſtēdit illis verbis: *Memento, quod & ipſe ſeruieris in AEgypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi vt obſeruares diem Sabbathi.*

Eſt ſignum item, tum ſpiritualis, tum cæleſtis Sabbathi.

Spirituale Sabbathum, in ſancta quadam, & my-

ſtica quiete conſiſtit, nimirùm cùm vetus homo Chriſto conſepultus, ad vitam renouatur, atque ijs in actionibus, quæ chriſtianæ pietati conueniunt, ſe ſtudiosè exercet. Debent enim qui aliquando erant tenebræ, *nunc autem lux in Domino ſunt, vt filij lucis in omni bonitate, iuſtitia, & veritate ambulare, neque communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Cæleſte Sabbathum eſt, vt ait D. Cyrillus eum locum Apoſtoli tractans: *Relinquitur ergo Sabbatiſmus populo Dei,* illa vita, in qua omnibus bonis cum Chriſto viuentes fruemur, peccato radicitus extirpato, ſecundum illud: *Nō erit ibi leo, nec praua beſtia illuc aſcendet, ſed erit ibi via pura, & via ſancta vocabitur:* Omnia enim bona mens ſanctorum in viſione Dei adipiſcitur.

DIFICVLTAS VNICA.

Erántne præter Sabbathum & alij dies apud Iudæos cultui diuino dedicati?

Præter diem ſeptimum habebat populus Iudæus alios etiam feſtos & ſacros dies diuina lege conſtitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renouaretur, vt videre eſt Exod. 12. & 23. & 34. Et Leuit. 13. ferè per totum: & Num. 29. ferè per totum. De his conſule D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10.

QVAESTIO VI.

Quare Apoſtoli non ſeptimum hebdomadæ diem, ſed primum diuino cultui conſecrârunt?

CONCLVSIO VNICA.

Placuit eccleſiæ Dei, vt diei Sabbathi cultus & celebritas in dominicum transferretur diem, propter duas potiſſimum cauſas; Prima, quia vt eo die primùm lux orbi terrarum

rarum illuxit, ſic Redemptoris noſtri, qui ad vitam æternam nobis aditum patefecit, reſurrectione, quæ eo die fuit, è tenebris ad lucem vita noſtra reuocata eſt; Vnde & Dominicum diem Apoſtoli dici voluerunt Apocal. 1. cap. Altera, quia ſolēnem hunc diē eſſe in ſacris litteris animaduertimus, vtpotè quòd eo die mūdi creatio initium habuit, quod Spiritus ſanctus Diſcipulis datus ſit.

Eſt Catech. §. Placuit autem. Neque eget maiori explicatione.

DIFFICVLTAS VNICA.

Suntne præter Dominicum diem, & alij dies apud Chriſtianos cultui diuino dicati?

Dicendum, quòd & alios dies feſtos ab Eccleſiæ initio, & conſequentibus deinde temporibus Apoſtoli & Sācti Patres noſtri inſtituerūt, vt piè & ſanctè Dei beneficiorum memoriam coleremus.

Inter eos celeberrimi habentur illi dies, qui ob Redemptionis noſtræ myſteria religioni conſecrati ſunt.

Deinde, qui ſanctiſſimæ Virgini Matri, tum verò Apoſtolis, Martyribus, cæteriſque Sanctis cum Chriſto regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas & potentia laudatur, ipſis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur.

QVÆSTIO VII.

Quid ſignificant hæc verba: Sex diebus operaberis, ſeptimus autem dies Sabbathum Domini Dei tui eſt?

CONCLVSIO I.

Ex his verbis primò colligere licet, fideles nō debere otioſos & deſi-

& deſides vitam traducere, ſed potius Apoſtolicæ vocis memores 1. ad Theſſal. 4. cap. negotium quiſque ſuum agere debet, & ſuis manibus operari, ſicut ab eo præceptum fuerat ad Epheſ. 4.

Eſt Catech.§.Etenim ex his verbis colligi poteſt, & eſt per ſe clara.

CONCLVSIO II.

DEinde, facilè animaduertere eſt ideò Dominum iubere vt ſex ipſis diebus opera noſtra efficiamus, ne aliquid eorum quæ alijs hebdomadæ diebus fieri agiue oporteat, in diem feſtum reijciatur, atq; ita animus à rerum diuinarũ cura, ſtudioq; auocetur.

Eſt Cath.§. Præterea hoc præcepto illud Dominus iubet.&c.Neque eget maiori explicatione.

Hactenùs de ſecunda parte: Nunc tertia præcepti pars explicanda eſt, quæ talis eſt: *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas.*

QVAESTIO VIII.

Quæ opera prohibentur, vel non prohibentur diebus feſtis?

CONCLVSIO I.

GEneratim omnia illa prohibentur quæ diuinũ cultum impedire poſſunt.

Eſt Catech.§. Quibus verbis ad id primum inſtituimr. Et D. Thom. 2.2.q.122. art.4.& eſt ſatis clara.

CONCLVSIO II.

DEinde prohibetur omne ſeruilis operis genus, non quidem ea re, quòd ſuâ naturâ aut turpe aut malum ſit, ſed

ſit, ſed quoniam mentem noſtram à diuino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit.

Eſt Catech.§. Facilè enim perſpici poteſt. Et D. Thom. ſup. præſertim ad 3.

Ex hac concluſione facilè intelligi poteſt, quòd quamuis quoduis peccati genus ſpeciatim hoc loco non prohibeatur, maximè tamen peccata diebus feſtis fidelibus vitanda eſſe, quòd illa nõ ſolùm animũ à diuinarum rerum ſtudio auocant, ſed etiam nos à Dei amore prorſus ſciungunt.

CONCLVSIO III.

Contrà, non vetantur eæ actiones, nec ea opera quæ ad diuinum cultum attinent, etiamſi ſeruilia ſint, vt altare inſtruere, templa alicuius diei feſti cauſa ornare, & reliqua huius generis.

Eſt Catech.§. Neque tamen eæ actiones. Et D. Thom. ſup. art. 4. ad 4.

Sic enim à Domino dictum eſt, Matth. 12. *Sacerdotes in templo ſabbathum violare, & ſine crimine eſſe.*

CONCLVSIO IIII.

Neque earum rerum opera hac lege prohibentur, quarum iactura facienda ſit, ſi die feſto prætermitantur.

Eſt Catech.§. Sed neque earum rerum, &c. Et D. Thom. ſup.

Ratio eſt. Similia enim opera ſacris canonibus permittuntur; vt patet cap. Licet, de ferijs & cap. cõqueſtus, eodem in fine.

CONCL. V. ET POSTREMA.

Multa alia Dominus in Euangelio feſtis diebus fieri poſſe declarauit.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Multa alia Dominus, &c. Et D. Thom. ſup. art. 4. ad 3. ſub finem.

Probatur & explicatur. Matthæi 12. Dominus excuſat Diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas in die Sabbathi propter neceſsitatem quam patiebantur. Ioannis 7. declarat opus corporale, quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non prohiberi diebus feſtis: *Mihi* (inquit) *indignamini quod totum hominē ſaluum feci in Sabbatho?* Et rurſus Matth. 12. oſtendit opus corporale, quod ordinatur ad imminés dānum rei exterioris vitandum, non prohiberi die feſto. *Quis erit* (inquit) *ex vobis, qui habet vnam ouem, et ſi ceciderit ſabbatho in foueam, nónne tenebit & leuabit eam?*

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare iumenta operari diebus feſtis prohibētur, cùm non ſint capacia præcepti?

Dicendum, vt nulla res prætermitteretur, cuius actione hic ſabbathi cultus impediretur, facta eſt iumenti mentio, quo animalium genere impediuntur homines, quò minus ſabbathum diem colant. Si enim die ſabbathi alicuius operis actioni iumenti vſus deſtinatur, neceſſaria eſt etiam ad id hominis opera, qui iumentum agat. Itaque ſolùm per ſe opus facere non poteſt, ſed hominem, qui illud molitur, adiuuat. Eo autem die nemini opus facere licet. Ergo neque iumentis, quorum ad id opera homines vtuntur. Itaque huius præcepti lex eò etiam ſpectat, vt, ſi iumētorum laboribus Dominus homines parcere vult, eò certè magis ipſi cauere debeant, ne inhumani ſint in eos, quorum operâ atque induſtriâ vtuntur.

QVAESTIO IX.

Quæ opera virtutum præcipiuntur & conſulũtur Chriſtianis diebus feſtis peragenda?

CONCLVSIO I.

Primò, vt ad Dei templum accedant, eoq́ loco pia ſinceraq́ animi attentione, ſacroſanctæ miſſæ ſacrificio interſint, Diuina eccleſiæ ſacramenta, quæ ad ſalutem noſtrã inſtituta ſunt ad animæ vulnerũ curationẽ crebrò adhibeãt.

Eſt Catech. §. Neque verò parochus, &c.

Præceptum de miſſa audienda habetur de cõſecr. diſt. 1. cap. Miſsis, & cap. Omnes fideles.

CONCLVSIO II.

Nihil vtilius aut oportunius diebus feſtis agendum cõſulitur, quàm vt chriſtiani homines peccata ſua ſacerdotibus ſæpè confiteantur.

Eſt Catech. §. Nihil verò eſt quod oportunius, &c.

Ad frequentem confeſsionem ſacramẽtalem promouendã & perficiendã poterunt deſumi rationes & argumenta ex ijs quę de pœnitentiæ ſacramento ſuo loco tradita & præſcripta ſunt.

CONCLVSIO III.

Nihil quoque vtilius conſuli poteſt, quàm vt ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum crebrò percipiant.

Eſt Catech. §. Neque verò ſolùm ad hoc ſacramentum.

Pro frequenti communione paſsim apud ſacros Doctores argumenta reperies.

CON-

CONCLVSIO IIII.

PRaterea attentè diligenterq; ſacra concio fidelibus audienda eſt.

Eſt Catech. §. Attentè prætereà.

Nihil enim minus ferendum eſt, neque tam profectò indignum, quàm Chriſti verba contemnere, aut negligenter audire

CONCLVSIO V.

EXercitatio item & ſtudium fidelium in precibus diuiniſq; laudibus frequens eſſe debet.

Eſt Catech. §. Exercitatio item, &c. Et facilè per ſe intelligitur.

CONCLVSIO VI.

PRacipua quoque fidelium cura eſſe debet, vt qua ad chriſtiana vita inſtitutionem pertinent ea diligenter addiſcant.

Eſt Catech. §. Præcipuaque eorundem. Et eſt per ſe clara.

CONCLVSIO VII.

SEdulò etiam fideles ſe exercere debēt in ijs officijs, qua pietatem continent, pauperibus & egenis eleēmoſynam tribuendo, agros homines viſitando, marentos, quiq; afflicti iacent piè conſolando.

Eſt Catech. §. Seduloque ſe exerceant.

Nam vt eſt apud D. Iacobum 1 cap. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hac eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.*

Ex his quæ dicta ſunt facilè erit colligere, qui cōtra huius præcepti regulam peccent.

QVAESTIO X.

Quo potiſſimum argumento adduci poteſt populus ad diligenter ſeruandum hoc præceptum?

CONCLVSIO VNICA.

AD hoc plurimum valet iſtud, vt populus ſcilicet intelligat ac planè perſpiciat, quàm iuſtum ac rationi conſonum ſit nos certos quoſdam dies habere, quos totos diuino cultui tribuamus, Dominumq́ noſtrum, à quo ſumma, & innumerabilia beneficia accepimus, agnoſcamus, colamus, ac veneremur. Si enim iuſſiſſet nos quotidiè religionis cultũ ſibi tribuere; nónne pro ſuis erga nos beneficijs, quæ maxima & infinita ſunt, omnis opera danda eſſet, vt prompto alacriq́ animo eius dicto audientes eſſemus? nunc verò paucis ad eius cultum inſtitutis diebus, non eſt cur nos negligẽtes atq; difficiles in eius officij functione ſimus, quòd ſine grauiſſima culpa prætermittere non poſſumus.

Eſt Catech. §. Ad hoc plurimum valet.

Poterunt Parochi & Catechiſtæ certos quoſdam locos ſibi comparare, vnde rationes alias & argumẽta ſumant, quibus populo illud maximè perſuadeatur, vt huius præcepti legem, ſummo ſtudio accurataque diligentia ſeruet.

QVAESTIO XI. ET POSTREMA.

Quod eſt peculiare encomium eorum qui hoc præceptũ ſeruant? Et contra, Quod vituperium illud tranſgredientium?

CON-

CONCLVSIO I.

QVi hoc præceptum rectè ſeruant, rectè & meritò dicuntur quaſi ſemper in conſpectu Dei eſſe, & cum eo colloqui.

Eſt Catech. §. Demonſtret deinde parochus, &c.

Sic qui feſta Moſaïcæ legis Hieroſolymis legitimè obſeruabant, in conſpectum Domini venire dicebantur, Exod. 23 & 34. & Deuter. 10.

Confirmatur & explicatur. Nam & precibus faciendis Dei maieſtatem contemplamur, & cum eo colloquimur: & Concionatoribus audiendis Dei vocē accipimus, quæ ad aures noſtras eorum opera peruenit qui de rebus diuinis piè ſanctèque concionantur: tum in altaris ſacrificio præſentem Chriſtū Dominum adoramus.

Ex his apparet quanta ſit huius præcepti virtus & vtilitas; Qui enim hoc præceptum diligenter ſeruāt, illi maximis ijs quæ iam recenſuimus bonis maximè perfruuntur.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

QVi præcepta Dei tranſgrediuntur, iji cùm Deo & Eccleſiæ non obediant, meritò Dei & ſanctarum legum hoſtes dicuntur.

Eſt Catech. §. Qui verò hanc legem, &c.

Probatur concluſio duobus argumentis.

Primò enim Dei hoſtes eſſe animaduerti poteſt ex eo, quòd præceptum hoc eiuſmodi eſt, vt nullo

labore ſeruari queat. Cùm enim Deus labores nobis non imponat, quos vel difficiliores eius cauſa ſuſcipere deberemus; ſed quietos illis diebus feſtis à terrenis curis liberos eſſe iubeat; magnæ temeritatis indicium eſt huius præcepti legem recuſare.

Secundò, ex eo, quòd Deus grauiſsima ſupplicia ſumit de illis qui hoc præceptum violant, vt ex libro Numerorum cap. 15. licet colligere.

Hæc ſufficiunt pro explicatione tertij præcepti.

CAPITIS IIII. ELVCIDATIO.

DE QVARTO PRAECEPTO:

Honora Patrem tuũ, & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

ANTE explicationem huius præcepti quatuor notanda ſunt;

Primum, tria prima præcepta Decalogi bono ordine reliqua ſeptem præcedere, & optimè inter ſe congruere.

Secundum, meritò hæc decem præcepta à Deo deſcripta fuiſſe in duabus tabulis, quarum priori tria prima continerentur, reliqua poſterioti.

Tertium, magnam eſſe doctrinã inter præcepta primæ & ſecundæ tabulæ.

Poſtremum, cognitionem quarti huius pręcepti, quod eſt primum ſecundæ tabulæ, magnum vſum & vtilitatem adferre.

Quòd ad primũ attinet, dicimus tria prima præcepta Decalogi, reliqua ſeptem bono & conuenienti ordine præcedere, & inter ſe optimè cõgruere. Nam illa finem', qui Deus eſt, cõtinuò ſpectãt: hæc nos ad proximi charitatẽ erudiũt, etſi longius progreſſa, ad Deum, id eſt, illud extremum, cuius gratia proximũ ipſum diligimus, perducunt.

Deinde optimè inter ſe coagruunt; Nam vtraque dilectionem pręcipiunt: Tria priora dilectionē Dei, Septem poſteriora dilectionem proximi. Quamobrem Chriſtus Dominus præcepta illa duo de diligendo Deo & proximo ſimilia eſſe dixit Matth. 22.

Probatur & hac ratione. Nam obſeruatio poſteriorum ſeptem præceptorũ, ſignum eſt ex quo priorum præceptorum obedientia & cultus elucet: *Qui enim non diligit*, inquit D. Ioannes 1. ſuæ epiſtolæ 4. *fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* Ad eundem modum, ſi parentes quos ſecundum Deum diligere debemus, non veneramur & colimus, cùm nobis in conſpectu ferè ſemper ſint, Deo ſummo parēti, qui nullum ſub aſpectum cadit, quem honorem quem cultum tribuemus?

Quòd ad ſecundum, dicimus iuſta quoque de cauſa hæc diuina Decalogi præcepta fuiſſe à Deo deſcripta in duabus tabulis, quarum priori tria quæ Deum ſpectant continerentur, reliqua quæ concernunt proximum poſteriori: quemadmodum à Sanctis Eccleſię Patribus & Doctoribus accepimus, Clemente Alexandrino lib. 6. Stromaton, D. Auguſtino in Exod. q. 71. epiſtola 119. cap. 11. Magiſtro in 3. diſt. 37. & Scholaſticis ibidem; Et D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 4. Nam quicquid in ſacris litteris iubetur, aut vetatur, id duorum generũ oritur ex altero; Aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio ſpectatur: & quidem charitatem in Deum ſuperiora tria præcepta in prima tabula deſcripta docēt. Quòd verò ad hominũ cõiunctionem & ſocietatem pertinet, id reliquis ſeptem pręceptis in altera tabula deſcriptis, continetur.

Iuſtá erga de cauſa eiuſmodi facta eſt diſtinctio,

vt alia

vt alia præcepta ad priorem,alia ad alteram tabulam præcepta referantur.

Quod ad tertium,dicimus etiam magnam eſſe doctrinam inter præcepta primæ & ſecundæ tabulæ: Nam ſuperioribus tribus præceptis, de quibus dictū eſt, quaſi ſubiecta materies,quam tractent,eſt Deus, id eſt,ſummum bonum: Cæteris verò proximi bonū; illis ſummus, his proximus amor eſt propoſitus; illa finem, hæc autem ea quæ ad finem referuntur, ſpectant.

Præterea charitas Dei ex ipſo pendet:Deus enim per ſe, non alterius rei cauſa, ſummè diligendus eſt: Charitas autem proximi, à charitate Dei ortum habet, atque ad eam tanquam ad certam regulam dirigenda eſt: Nam ſi parentes charos habemus,ſi dominis paremus,ſi dignitate antecedentes reueremur,id ea re maximè faciendum eſt, quod eorum procurator eſt Deus,eoſque alijs præeſſe voluit,quorū operâ cæteros homines regit ac tuetur: qui cùm nobis auctor ſit vt eiuſmodi perſonas reuereamur,idcirco id præſtare debemus, quia à Deo hoc ipſo honore dignantur. Ex quo fit, vt honor, quem parentibus habemus, Deo potiùs, quàm hominibus haberi videatur. Sic enim apud Sanctum Matthæum eſt cap. 10. cùm de obſeruantia in ſuperiores agitur: *Qui recipit vos,me recipit*. Et Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios cap. 6. ſeruos inſtituens: *Serui* (inquit) *obedite dominis carnalibus cum timore,& tremore,in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes,ſed quaſi ſerui Chriſti*.

Accedit quòd Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus ſatis dignè tribuitur,in quem amor augeri infinitè poteſt: proptereaque noſtra erga illum

charitas in dies fiat ardentior neceſſe eſt; quem eius iuſſu, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amare debemus. At charitas, quâ proximum complectimur, ſuis finibus circumſcribitur. Iubet enim Dominus proximos diligere ſicut noſipſos. Quòd ſi quis eos fines egreſſus fuerit, ita vt parem Deo & proximis amorem tribuat, is maximum ſcelus admittet. *Si quis venit ad me* (inquit Dominus Luc. 14.) *& non odit Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuã, nõ poteſt meus eſſe Diſcipulus.* In eandem ſententiam etiam dictum eſt Matth. 8. *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*: cùm quidam primum humare Patrem vellet, poſteà Chriſtũ ſequi. Huius rei dilucidior illa apud S. Matthæum cap. 10. explicatio eſt: *Qui amat Patrẽ, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus.*

Nulla dubitatio eſt, quin parentes vehementer amandi, obſeruandique ſint; ſed ad pietatẽ in primis neceſſarium eſt Deo, qui parẽs eſt & effector omniũ, præcipuum honorem, & cultum tribui: ideoq; mortales parentes amari, vt ad cæleſtem ſempiternumq; Patrem tota amoris vis referatur.

Quòd ſi interdum parentum iuſſa Dei præceptis repugnent, non dubium eſt quin liberi parẽtum cupiditati, Dei voluntatem anteferre debeant, diuinæ illius ſententiæ memores Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Quòd ad poſtremum attinet, manifeſtum quoq; eſſe dicimus cognitionem & obſeruantiã huius præcepti latiſsimum vſum & vtilitatem habere; Nã cùm ad parentes, tum eos qui nos genuerunt, tum etiam eos, quos parẽtum loco, vel poteſtatis, vel dignitatis, vel vtilitatis, vel præſtantis alicuius muneris & officij

nomine

nomine colere debemus, pertineat curare, vt filij quos habent in ſua poteſtate rectè, & diuinæ legi cõ-guenter viuant, erit cura hæc perfacilis, ſi omnes intelligant Deo auctore & monitore, ſuum honorem parentibus tribui oportere.

His ita prænotatis & expoſitis, ad explicationem verborum præcepti veniamus.

QVAESTIO I.

Quid eſt honorare?

CONCLVSIO I.

HOnorare eſt de aliquo honorificè ſentire, & quæ illius ſunt, maximi putare omnia.

Eſt Catech.§ Atq; illud primùm honorare quid ſit. Et D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 1.

Honori hæc omnia coniuncta ſunt, amor, obſeruantia, obedientia, & cultus. De quibus vide D. Thomam 2. 2. q. 100. vſque ad 105.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare in præcepto poſita eſt vox, honoris, non autẽ amoris, aut metus, cùm ſicut honorandi, ſic etiam amandi & metuẽdi ſint parentes?

Dicẽdum ſcitè hoc factũm eſſe; Etenim qui amat non ſemper obſeruat & veneratur: qui metuit, non ſemper diligit: quẽ verò aliquis ex animo honorat, item amat ac veneratur.

QVAESTIO II.

Qui nomine parentum veniunt intelligendi?

ANte reſolutionem quęſtionis ſciendum eſt, quòd etſi hoc præceptum de ijs patribus, ex quibus geniti ſumus, præcipuè loquatur, tamen ad aliqs quoque hoc nomẽ pertineat, quos etiam complecti lex videtur, quemadmodùm ex pluribus diuinæ ſcripturæ locis facilè eſt colligere.

CONCLVSIO I.

PRæter illos igitur qui nos genuerunt, patrum nomine primùm veniunt intelligẽdi ecclesiæ præſides, paſtores, & ſacerdotes.

Eſt Catech. §. Ac primùm Eccleſiæ præſides. Et D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 1. & 2.

Patet ex Apoſtolo, qui ad Corinthios ſcribens 1. epiſt. 4. cap. *Non* (inquit) *vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem milia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres, non in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Et in Eccleſiaſtico 44. cap. ſcriptum eſt: *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua.*

CONCLVSIO II.

DEinde ij, quibus aut imperium, aut magiſtratus, aut poteſtas commiſſa eſt, qui rempub. gubernant, patres appellantur.

Eſt Catech. §. Deinde ij. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Sic Naaman à famulis pater vocatur 4. Regum 5. cap.

CONCLVSIO III.

PRæterea patres eos dicimus, quorũ procurationi, fidei, probitati, ſapiẽtiæq́; alij cõmendantur, cuiuſmodi ſunt tutores, & curatores, pædagogi, & magiſtri.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Præterea patres. Et D. Thom. ſup. Hac ratione Eliam & Eliſęum filij Prophetarum patrem vocabant.

CONCLVSIO IIII.

Poſtremò patres dicimus, ſenes & ætate confectos, quos etiam vereri debemus.

Eſt Catech. §. Poſtremò patres. Et D. Thom. ſup. art. 1.

QVAESTIO III.

Quibus de cauſis potiſſimum honorãdi ſunt parentes ex quibus nati ſumus? Et: Quibus modis illos honorare debemus?

CONCLVSIO I.

Parentes ex quibus nati ſumus, ijs potiſſimum de cauſis à nobis honorãdi ſunt, quia ſunt immortalis Dei quaſi quædam ſimulacra, in ijſq; ortus noſtri imaginem intuemur: ab ijs nobis vita data eſt: ijs Deus vſus eſt, vti nobis animum mentemq; impertiret, ab ijs ad ſacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum, ciuilemq; inſtituti, ad morũ integritatem & ſanctitatem eruditi ſumus.

Eſt Catechiſmi §. Atque hoc in parochi præceptis. Et D. Thom. 2 2. q. 101. art. 2. & eſt per ſe ſatis clara.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quid opus fuit cum patris nomine, etiam matris nomẽ in præcepto exprimere?

Meritò nomẽ matris in hoc præcepto expreſſum eſt, vt eius beneficia & merita erga nos cõſideremus, quanta videlicet cura, quantaq; ſollicitudine nos in vtero geſſerit, quanto cũ labore & dolore pepererit & educârit.

CONCLVSIO II. QVA CVM ALIQVOT SEQVENTIBVS reſpondetur alteri parti quæſtionis.

PRimò ita honorandi & obſeruandi ſunt parentes, vt, quẽ eis tribuimus, honor ex amore, atque intimo animi ſenſu depromptus videatur.

Eſt Catech. §. Porrò ita obſeruãdi parentes ſunt. Et D. Thom. ſup.

Patet primò exemplis ſacræ ſcripturæ. Nã Ioſeph Geneſ. 40. cùm in AEgypto honore & amplitudine Regi eſſet proximus, patrem, qui in AEgyptum venerat, honorificè excepit; Et Salomon, 3. Reg. 2. cap. matri aduenienti aſſurrexit, eamq́ue veneratus in regio ſolio ad dexteram collocauit.

Deinde ratione. Meritò enim ijs hoc officium debétur, cùm erga nos ita ſint affecti, nullum vt laborẽ, nullam contentionem, nulla pericula noſtra cauſa refugiant, nihilq́ue illis accidere poſsit iucundius, quàm vt filijs ſe charos eſſe ſentiant, quos maximè diligunt.

CONCLVSIO III.

ALia præterea ſunt honoris officia, quæ in parentes cõferri debent; Nam eos etiam tum honoramus, cùm à Deo ſuppliciter petimus, vt eiſdem benè & fœliciter omnia eueniant, vt in maxima gratia & honore ſint apud homines, vt ipſi Deo, ac ſanctis, qui in cælis ſunt, commendatiſſimi ſint.

Eſt Catech. §. Alia præterea ſunt. Et eſt per ſe clara.

CONCLVSIO IIII.

ITem parẽtes honoramus, cùm noſtras rationes ad eorum arbitrium voluntatemq́; conferimus.

Eſt Catech.§. Item parentes honoramus.

Hanc docet Salomon Prouerb. 1. cap. his verbis: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo. & torques collo tuo.*

Confirmant primò D. Pauli cohortationes, ad Epheſ. 6. cap. *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt.* Item ad Coloſſ. 3. cap. *Filij obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt Domino.*

Confirmant ſecundò, ſanctiſsimorum hominũ exempla. Etenim Iſaac Geneſ 22. cùm à patre ad ſupplicium vinciretur, modeſtè ſine recuſatione paruit: Et Rechabitæ Ierem. 35. ne à patris conſilio vnquam diſcreparent, vino ſe in perpetuum abſtinuerunt.

CONCLVSIO V.

Item parentes honoramus, cùm eorũ rectè facta, moreſq; imitamur.

Eſt Catech.§. Item parentes honoramus.

Et ratio eſt manifeſta. Ijs enim plurimũ tribuere videmur, quorum eſſe volumus quàm ſimillimi.

CONCLVSIO VI.

Item parentes honoramus, quorum conſilia nõ modò exquirimus, verumetiam ſequimur.

Eſt Cath.§. Item parentes. Et eſt ſatis manifeſta.

CONCLVSIO VII.

Item quibus ſubuenimus, ea impertientes quæ victus cultuſq; deſiderat.

Eſt Catech.§. Item quibus, &c. Et D. Thomæ 2.2. q. 101. art. 2.

Comprobatur chriſti exemplo, qui Phariſęorum impietatem redarguens, Matthæi 15. cap. *Quare & vos* (inquit)

(inquit) *tranſgredimini mandatũ Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, honora Patrem & Matrem: Et, Qui maledixerit Patri vel Matri morte morietur: vos autem dicitis: Quicumque dixerit Patri vel Matri, munus quodcũq; eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit Patrem ſuum & Matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.*

DIFICVLTAS VNICA.

Quando maximè hoc honoris officium, id eſt, ſubuentionẽ debemus tribuere parentibus?

Dicendum, quod quamuis huiuſmodi honoris officia parentibus tribuere ſemper debeamus, tunc tamen maximè cum periculosè ægrotant. Danda enim opera eſt, ne quid prætermittant, quod vel ad peccatorũ cõfeſsionem attinet, vel ad reliqua ſacramenta, quæ à chriſtianis hominibus percipi debent, cùm mors appropinquat: Idque nobis curæ ſit, vt pij religioſique homines eos crebrò interuiſant, qui vel imbecillos confirment, & cõſilio iuuent, vel optimè animatos ad ſpem immortalitatis erigant, vt, cùm mentem à rebus humanis excitârint, totam conijciãt in Deum. Sic fiet vt fidei, ſpei, & charitatis beatiſsimo comitatu, ac religionis præſidio muniti, mortem nõ modò nõ pertimeſcendã, cùm neceſſaria ſit, ſed cùm aditũ ad æternitatẽ expediat, etiã appetendã cenſeãt.

CONCL. VII. ET VLTIMA.

POſtremò vel mortuis parentibus honor tribuitur, ſi ijs funus facimus, ſi exequias cohoneſtamus, ſi honorẽ ſepulturæ impertimus, ſi iuſta & ſacrificia aniuerſaria curamus, ſi quæ ab ijs legata ſunt, diligenter perſoluimus.

Eſt Catech. §. Poſtremò vel mortuis. Neque eget maiori explicatione.

QVAESTIO IIII.

An honorandi ſunt ij ex quibus non nati ſumus, ſed tamē parentum nomine digni ſunt,& qualiter?

CONCLVSIO VNICA.

Honorandi ſunt nō modo ij ex quibus nati ſumus, verū etiam alij, qui patres appellantur, vt Epiſcopi & ſacerdotes, vt Reges & Principes, vt magiſtratus, vt tutores, vt curatores, vt magiſtri, vt pædagogi, vt ſenes & cæteri huiuſmodi: Digni enim ſunt qui ex charitate, ex obedientia, ex ope noſtra fructus percipiant, ſed alius alio magis.

Eſt Catech.§. Honorādi autē ſunt. Et D.Thom. 2.2.q.102.art.2.

Probatur clariſsimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. De Epiſcopis enim & alijs paſtoribus ita ſcriptum eſt 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

Quanti ergà Apoſtolum amoris documenta Galatæ dederint oſtendit Apoſtolus, quando præclarum illud beneuolentíæ teſtimonium eis tribuit epiſtolæ ſuæ cap. 4. *Teſtimoniū enim perhibeo vobis; quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.*

Sacerdotibus ſuppeditanda eſſe ea, quæ ad vitæ vſus neceſſarios requiruntur, docet 1. ad Corinth. 7. Apoſtolus, his verbis: *Quis militat ſuis ſtipēdijs vnquam?* Et in Eccleſiaſtico cap. 7. ſcriptum eſt; *Honorifica ſacerdotes, & propurga te cum brachijs; da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum, & purgationis.*

Illis etiam obtemperādum eſſe, docet Apoſtolus ad Hæb.

ad Hæb. 13. illis verbis: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditurі.*

Quin potius à Chriſto Domino præceptum eſt, Matthæi 23. vt vel improbis paſtoribus obtemperemus, cùm dicit; *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere: dicũt enim & non faciunt.*

DIFFICVLTAS I.

Quod honoris cultus & obſeruantiæ genus tribuendum eſt magiſtratibus ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus?

Dicendum, quòd illud Apoſtolus ad Roman. 13. cap. latè explicat: Pro quibus etiam orandum eſſe monet 1. ad Titum 2. cap.

Et D. Petrus 1. epiſtolæ 2. *Subiecti*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* Nam ſi quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur. Habet enim venerationem hominum excellẽs dignitatis gradus; quia diuinæ poteſtatis eſt inſtar; in quo etiam Dei prouidentiam veneramur, qui publici muneris procurationem eis attribuit, quibuſque vtitur tanquam poteſtatis ſuæ miniſtris.

DIFFICVLTAS II.

An etiam magiſtratibus improbis ſit obedientia præſtãda? & quando? & quando non?

Dicendum eſſe præſtandam, idque optima ratione: Neque enim obedientiâ hominum improbitatẽ aut nequitiam, ſi tales ſint magiſtratus, ſed diuinam auctoritatem, quæ in illis eſt, reuerẽmur, vt, quod permirum fortaſſe videtur, quamuis in nos ſint inimico infeſtoque animo, quãuis implacabiles, tamen non ſatis

non ſatis digna cauſa ſit cur eos non perofficioſè obſeruemus. Nam & Dauidis 1. Reg. 17. magna in Saülem officia extiterunt, cùm ei tamen eſſet offenſior: quod innuit illis verbis: *Cum ijs qui oderũt pacem eram pacificus.* At verò, ſi quid improbè, ſi quid iniquè imperent, cùm id non ex poteſtate, ſed ex iniuſtitia atq; animi peruerſitate agant, omninò nõ ſunt audiendi. ConſuleD. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. & 6.

QVAESTIO V.

Quodnã præmium, quamque conſentaneum ijs propoſitum eſt, qui huic præcepto obediunt? Et contra: Quæ pœna ijs propoſita, qui illius ſunt præuaricatores?

CONCLVSIO I.

Obedientibus huic præcepto præmium illudq́; maximè conſentaneum eſt propoſitum, vt diu viuant.

Eſt Catech. §. Nam in eo fructus eſt maximus, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 5.

Conſentaneum præmiũ dicitur, propterea quòd digni ſunt qui beneficio quamdiutiſsimè perfruantur, cuius memoriam perpetuò cõſeruant; Cùm igitur qui parentes colunt, ijs gratiam referunt, à quibus lucis & vitæ vſuram habent, iure & merito vitam ad ſummam ſenectutem perducunt.

DIFFICVLTAS I.

De qua vita intelligenda eſt hæc promiſsio?

Dicendum, quòd illis verbis non ſolùm ſempiternæ ac beatæ, ſed & huius, quam in terris agimus, vitæ vſus promittitur. Sic interpretatur D. Paulus 2. ad

Timoth. 4. cùm inquit: *Pietas ad omnia vtilis eſt, habẽs promiſsionem vitæ quæ nũc eſt & futuræ.*

DIFFICVLTAS II.

Quid ſignificat quod in promiſsione additur, Quam Dominus Deus tuus dabit tibi?

Illorum verborum adiunctio non modò temporis diuturnitatem ad viuendum, ſed otium, quietem, incolumitatem ad benè viuendum pollicetur. Nam in Deuteronomio cap. 5. non ſolùm inquit: *Vt longo viuas tempore*, ſed illud etiam addit, *Et benè ſit tibi!* Quod deinde ab Apoſtolo ad Epheſ. 6. repetitũ eſt.

Ex hoc infertur, quòd hæc merces neque exigua eſt, neque contemnenda, etiamſi ſanctiſsimis viris, vt Iob, vt Dauidi, vt Paulo mors fuerit optabilis, & ærumnoſis ac miſeris hominibus vitæ propagatio ſit iniucunda. Quia præmium hic promiſſum non tam in diuturnitate, quàm in incolumitate vitæ eſt repoſitum.

DIFFICVLTAS III.

An ergo qui parentes honorant, etiamſi citò moriantur poſſint dici præmium huius præcepti capere?

Dicendum poſſe dici: Quia nimirùm præfata bona, otium, quietem, incolumitatem, & alia ad benè viuendum neceſſaria dicimus illis ſuppetere, quorum pietati Deus gratiam referat.

DIFFICVLTAS IIII.

Quibus ex cauſis contingit vt interdum qui maiorem pietatem præſtiterunt, ijs vita breuior ſit?

Dicendum, quòd id interdùm contingit, vel quòd ijs optimè cõſulitur, qui prius è vita excedunt, quàm à virtutis & officij religione diſcedant: *Rapiuntur enim* (vt ſcribitur Sap. 4. cap.) *ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animã illorum:* vel quia

dum

dum pernicies & rerum omnium perturbatio impendet, è corporibus euocantur, vt communium temporum acerbitatem euadant. *A facie enim malitiæ,* (inquit Propheta Iſaias cap 57.) *collectus eſt iuſtus:* Quòd fit, ne eorum aut virtus, aut ſalus pericliretur, cùm à mortalibus flagitiorum pœnas repetit Deus: vel ne triſtiſsimis temporibus ex propinquorum amicorúmque calamitatibus acerbiſsimis luctus ſentiant.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

QVemadmodùm ijs qui grati in parentes ſunt, officij merces & fructus eſt à Deo propoſitus; ſic ingrati & impij filij grauiſſimis pœnis reſeruantur.

Eſt Catech. §. Ac quemadmodùm ijs, &c.

Probatur primò apertis ſcripturis. Scriptum eſt enim in Exod. 22. *Qui maledixerit Patri ſuo, vel Matri, morte moriatur.* Et Prouerb. 19. *Qui affligit Patrem & fugit Matrem, ignominioſus eſt & infelix.* Et Prouerb. 20. *Qui maledicit Patri ſuo vel Matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Et Prouerb. 30 *Oculum qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

Deinde exemplis è ſacra ſcriptura petitis. Multos enim fuiſſe legimus qui parentibus iniuriam intulerunt, in quibus vlciſcendis Dei iracundia exarſit. Sic Reg. 18. Dauidem non inultum reliquit ſed ſceleri pœnas dedit Abſalô, quem ob eius ſcelus tribus trāſfixum haſtis puniuit.

Neque intelligenda eſt concluſio ſolùm de filijs

ingratis & inobedientibus in parẽtes, qui eos genuerunt, ſed & in alios qui quocumque modo parentes dici poſſunt: De ijs enim qui ſacerdotibus non obtẽperant, ita ſcriptum eſt Deuter. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur homo ille.*

QVAESTIO VI. ET VLTIMA.

Quæ ſunt parentum officia & munera?

CONCLVSIO VNICA.

QVemadmodùm diuina lege ſancitum eſt vt parẽtibus filij honorem habeant, vt pareant, vt obſequantur; ſic parentum propria officia ſunt atque munera, vt ſanctiſſimis diſciplinis ac moribus filios imbuãt, iſq; optima dent viuendi præcepta, vt ad religionem inſtructi & parati, Deum ſanctè inuiolateq; venerentur.

Eſt Catech. §. Et quemadmodùm diuina lege.

Probatur exemplo parentum Suſannæ, à quibus ita Suſannam inſtructam legimus, Daniel. 13.

MONITIO.

Ex hac infertur, Parochos & Catechiſtas parentes commonere debere, vt ſe liberis magiſtros prębeant virtutis, æquitatis, continentiæ, modeſtiæ, & ſanctitatis.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quæ & quot ſunt vitanda probis parentibus, in quibus ſæpius offendere conſueuerunt?

Hæc tria præſertim illis declinanda ſunt.

Primum, ne quid acerbius in liberos aut loquantur aut ſtatuant: quòd Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſ.

leſſ. cap. 3. ita præcipit: *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant.* Nam periculum eſt ne fracto, abiectoq; animo ſint, dum omnia timent. Quare illud præcipiendum eſt, vt nimiam ſeueritatem effugiant, malintque liberos corrigere, quàm vlciſci.

Secundum, ſi qua culpa commiſſa eſt, cùm neceſſaria ſit caſtigatio & obiurgatio, ne quid liberis per indulgentiam diſſolutè remittant. Sæpè enim filij parentum nimia lenitate, & facilitate deprauantur. Quamobrem à diſſoluta indulgentia deterrēdi ſunt exemplo Heli ſummi ſacerdotis; qui, quòd in liberos indulgentior fuerat, maximo ſupplicio eſt affectus.

Poſtremum, ne, quod fœdiſsimum eſt, in filiorū educatione, ac doctrina præpoſtera conſilia ineant. Etenim permulti in hac vna cogitatione, curaque verſantur, vt opes, vt pecunias, vt lautum amplumque patrimonium liberis relinquant; quos non ad religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium diſciplinam, ſed ad auaritiam, & ad rem familiarem augendam cohortantur; nec de filiorum exiſtimatione, aut ſalute ſunt ſolliciti, dummodò pecunioſi ſint, & diuites: Quo quid dici, aut cogitari turpius poteſt? ita fit, vt ad illos non tam rerum copias, quàm ſua ſcelera & flagitia transferant, quibus tandē non ad cœlum ſe duces præbent, ſed ad inferorum ſupplicia ſempiterna. Sacerdos igitur optimis præceptis parentes inſtituat, eoſque ad Tobiæ exemplū ad ſimilem virtutē excitet; vt cùm filios ad Dei cultū, & ſanctimoniā probè erudierint, ab ijs etiam amoris, & obſeruātiæ, & obſequij vberrimos fructus capiant.

CAPITIS V. ELVCIDATIO.

DE QVINTO PRAECEPTO:

Non occides.

INITIO huius capitis, ante explicationem doctrinæ huius præcepti, duo cum Catechiſmo notanda ſunt;

Primum, Paſtores & Catechiſtas huius præcepti doctrinam fidelibus diligenter, accurateq; tradere & perſuadere debere, propter duas potiſſimũ cauſas;

Prima eſt, ſumma obſeruationis huius præcepti vtilitas; magna ſiquidem illa eſt, quæ pacificis hominibus à Chriſto propoſita eſt fœlicitas, cùm ait, Matth. 5. cap. *Quoniam filij Dei vocabuntur*: Ad pacificandas autem & conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri poteſt, quã ſi eiuſmodi præcepti lex, rectè explicata, ab omnibus ita vt oportet ſanctè ſeruetur: Quoniã tùm ſperare licebit vt ſumma animi conſenſione coniuncti homines, pacem & concordiam maximè colant.

Altera eſt, quia Deus ante reliqua omnia hoc præceptum ſeruari voluit. Nam ante legem ſcriptam immenſa illa vniuerſæ terræ inundatione facta, hoc vnum imprimis Deus hominibus interdixit Geneſ. 6. & 7. *Sanguinem*, inquit, *requiram animarum veſtrarũ de manu cunctarum beſtiarum & de manu hominis*. In Euãgelio etiam, quo primum veteres leges à Domino

explicatæ

explicatæ ſunt, in ijs hæc prima eſt, de qua apud Sanctum Matthæum 5. cap. ita ſcriptum eſt: *Dictum eſt enim: Non occides*, & reliqua quę de hac re eo ipſo loco deinceps commemorantur.

Secundum, fideles attentè libenterque præcepti huius explicationem audire debere; Si enim eius vis ſpectetur ad vitam cuiuſque tuendam valet, quoniam ijs verbis, *Non occides*, homicidium omninò interdictum eſt: Itaque ſinguli homines tanta cum voluptate animi illud accipere debent, perinde ac ſi ira Dei propoſita, alijſque grauiſsimis pœnis nominatim prohibitum ſit, ne quis eorum lædatur.

QVAESTIO I.

Quæ cædes prohibentur, vel non prohibentur hoc præcepto?

ANTE reſolutionem huius quæſtionis notandum eſt, quòd Chriſtus Dn̄s Matth. 5. cùm vim huius pręcepti explicaret, duo in eo contineri oſtendit; Alterum ne occidamus, quòd à nobis fieri vetitum eſt: Alterū, quòd facere iubemur, vt concordi amicitia, charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cunctaque denique incommoda patienter feramus.

Primum ergo quærendum eſt, quæ ſint illa quæ nobis hoc præcepto prohibeantur.

Deinde quæ ſint illā quæ præcipiantur.

Hoc prænotato reſpondetur quæſtioni aliquot concluſionibus.

CONCLVSIO I.

PRimò non prohibentur *cædes beſtiarum*.

Eſt Catech. § In eo autem quòd cædes prohibetur. Et D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 1.

Probatur primò ratione è ſacra ſcriptura petita. Nam ſi illis veſci à Domino hominibus conceſſum eſt, fas item eſt illas occidi.

Deinde D. Auguſtini auctoritate. Hac enim de re ita loquitur lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 20. *Cùm audimus, Non occides, nō accipimus hoc dictum eſſe de frutetis, nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione ſociantur.*

CONCLVSIO II.

N*Eque prohibentur cædes, quæ de facinoroſis hominibus fiunt per magiſtratus.*

Eſt Catech. §. Alterum permiſſum cædis genus eſt. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Ratio eſt clara; Nam illis data eſt à Deo necis poteſtas, quâ ex legum præſcripto, iudicioque in facinoroſos homines animaduertunt, & innocentes defendunt.

Patet hoc ipſum ex fine legis. Cùm enim legi huic is finis propoſitus ſit, vt hominum vitæ ſalutiq; conſulatur; magiſtratuùm autem, qui legitimi ſunt ſcelerum vindices, animaduerſiones eodem ſpectēt, vt audacia & iniuria ſupplicijs repreſſa, tuta ſit hominum vita; patet magiſtratus facinoroſos cædendo non ſolum non eſſe reos huius præcepti, ſed huic diuinæ legi, quâ cædes vetatur, maximè obedire.

Et confirmatur exēplo Dauidis qui Pſalm. 100. de ſe ipſo dicit: *In matutino interficiebā oēs peccatores terræ vt diſperderē de Ciuitate Domini oēs operātes iniquitatē.*

CON-

CONCLVSIO III.

NEque prohibentur cædes, quæ à militibus fiunt, qui iuſto bello, non cupiditate aut crudelitate impulſi, ſed ſolo publicæ vtilitatis ſtudio vitam hoſtibus adimunt.

Eſt Catech. §. Qua ratione ne illi quidem peccāt. Et D. Thom. ſup. art. 2. & 2. 2. q. 40. art. 1.

Ratio huius concluſionis eadem eſt quæ ſuperioris.

CONCLVSIO IIII.

PRætereà neq; illæ cædes vetantur, quæ nominatim Dei iuſſu fiunt.

Eſt Catech. §. Sunt prætereà eiuſmodi &c. E t D. Thom. ſup. art. 3. ad 1.

Sic filij Leui non peccauerunt, qui vna die tot milia occiderunt: Quia cæde facta ſic ad eos locutus eſt Moyſes. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Vide Exod. cap. 32.

CONCLVSIO V.

ITem neque illorum cædes qui non ſponte nec meditatò, ſed fortuitò hominem occidunt.

Eſt Catech. §. Neque verò huius pręcepti reus eſt, &c. Et D. Thom. ſup. art. 8.

De hac concluſione Deuteronomij 19. cap. ita ſcriptum eſt: *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri, & nudiuſtertius nullum contrà eum odium habuiſſe comprobatur, ſed abiiſſe ſimpliciter cum eo in ſyluam ad ligna cædenda, & ſuccisione lignorum ſecuris fugerit manum, ferrumq; lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit & occiderit:* Hæ cædes eiuſmodi ſunt, quæ quia non voluntate, neque de induſtria inferuntur, proptereà non omninò in peccatis numerantur.

quæ non manus ſolùm puras, ſed animum etiam caſtum ſincerumque nos habere iubet.

DIFFICVLTAS III.

An iraſci ſemper ſit prohibitum?

Dicendum non eſſe prohibitum ſi iuſta ſubſit cauſa.

Iuſta iræ cauſa, quæ à Deo legibuſque conceditur, ea eſt, cùm in eos animaduertimus, qui noſtro imperio poteſtatique parent, ſi in eis ſit culpa. Chriſtiani enim hominis ira, non à carnis ſenſibus, ſed à Spiritu ſancto proficiſci debet, cùm nos templa Spiritus ſancti, in quibus Ieſus Chriſtus habitet, eſſe conueniat.

DIFFICVLTAS IIII.

An reſiſtere malo ſit etiam prohibitum hoc loco?

Dicendum eſſe. Nam multa à Domino in Euangelio tradita ſunt; quæ ad perfectam huius legis rationem pertinent, vt patet Matthæi 5. cap. Qualia illa ſunt. *Non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexterā maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: Et quicumque te angariauerit, mille paſſus vade cū illo & alia duo.* Ex quibus patet, quàm multi reperiuntur, qui ſi minus manu, animo ſaltem cædis ſcelus committunt.

QVAESTIO II.

Quæ ſunt remedia contra peccatum homicidij?

CONCLVSIO VNICA.

Multa remedia in ſacris litteris habentur, præcipuum autem illud eſt, curare vt homines intelligāt, quàm nefarium ſit peccatum hominū cædes.

Eſt Cate-

Eſt Catech. 5. Et quoniam huic tam periculoſo.
Et explicatur ſequenti difficultate.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vnde perſpici poteſt grauitas huius peccati?

Dicendum, quòd illa ex plurimis maximiſque ſacrarum litterarum teſtimonijs perſpici poteſt. Vſq; enim adeò homicidium deteſtatur Deus in ſanctis litteris, vt à beſtijs cædis hominum pœnam ſe repetiturum dicat Geneſis 9. cap. ac beluam, quæ hominē læſerit, occidi iubeat Exod. 21. Neque ob aliud à ſanguine hominem abhorrere voluit, niſi vt omni ratione à nefaria hominis cæde, & animum, & manus abſtineret.

Sunt etiam homicidæ humani generis, atq; adeò naturæ hoſtes acerbiſsimi, qui, quantum in eis eſt, vniuerſum Dei opus euertunt, cùm hominem tollunt, cuius cauſa is omnia, quæcūque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur.

Deinde, cùm prohibitū ſit Geneſ. 9. cap. hominē occidi, quia illum Deus ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem creauit, apparet inſignem Deo iniuriam eum facere, quaſiq; violentas illi manus afferre, qui eius imaginem è medio tollit.

Hoc diuina animi cogitatione meditatus Dauid Pſalm. 13. grauiſsimè de ſanguinarijs hominibus cōqueſtus eſt, illis verbis: *Veloces pedes eorum ad effundēdum ſanguinem.* Neque ſimpliciter dixit, Occidūt, ſed, *Effundūt ſanguinē*: Quæ verba ad deteſtabilis illius ſceleris amplificationē, immanemq; illorum crudelitatem oſtendendam protulit. Vtque declararet, quàm præcipites illi diabolico quodam impulſu ad id facinus ferantur, dixit: *Veloces pedes eorum, &c.*

QVAESTIO III.

Quæ præcipiuntur hoc præcepto quatenus tacitè includit præceptum affirmatiuum?

CONCLVSIO I.

P*Racipitur primò mutua dilectio & pax.*

Eſt Catech. §. Iam verò quę in hoc præcepto ſeruanda eſſe, &c.

Sic enim ait Chriſtus Dominus cùm præceptum, *Non occides*, interpretatur, taciteque indicat cõtinere præceptum affirmatiuum Matthæi 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*, & quæ ſequuntur.

Patet idem ratione theologica tali. Odium hoc præcepto, quatenus eſt negatiuum, apertè vetatur, quoniam, ſicut ait D. Ioannes 1. epiſtolæ 3. cap. *Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt*; Ergo dilectio proximi quæ odio opponitur, hoc præcepto, quatenus eſt affirmatiuum, præcipitur.

CONCLVSIO II.

P*Racipiuntur quoque oẽs illæ virtutes quæ charitatem proximi conſequi ſolent, quas depingit D. Paulus 1. ad Corinth. 13. cùm ait, Charitas patiens eſt*, &c.

Eſt Catech. §. Cumque hac lege de charitate, &c. Et explicatur ſequentibus concluſionibus.

De hac vide D. Thomam 2. 2. q. 23. art 4 ad 2.

CON-

CONCLVSIO III.

P*Racipitur ergo patientia.*

Eſt Catech. §. Patientia igitur nobis præcipitur, &c.

Dicit enim D. Paulus ſup. *Charitas patiens eſt.* Et benè Saluator Lucæ 21. dicit: *In patientia animas noſtras nos eſſe poſſeſſuros.*

De patientia vide D. Thomam 2. 2. q. 136.

CONCLVSIO IIII.

P*Racipitur deinde beneficentia, qua charitatis comes eſt & ſocia.*

Eſt Catech. §. Beneficentia deinde, &c.

Et ratio eſt. Quoniam *charitas benigna eſt.*

Benignitatis atque beneficentiæ officia in ijs rebus maximè verſantur, vt pauperibus ſuppeditemus res neceſſarias, cibum eſurientibus, ſitiẽtibus potum demus, nudos veſtiamus, & quò quiſque opis noſtræ magis indiget, eò in illum plus liberalitatis conferamus.

Fiunt huiuſmodi officia illuſtriora, ſi inimicis præſtentur. Ait enim Saluator Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros; benefacite ijs qui oderunt vos*; Quòd etiam Apoſtolus monet ad Rom. 12. illis verbis, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi: Hoc enim faciẽs carbones ignis congeres ſuper caput eius: Nolo vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

Quomodo dilectio inimicorum cadat ſub præcepto, & quæ ſint inimicis charitatis officia exhibẽda, docet D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.

CONCLVSIO V.

P*Racipiuntur item quacumque officia ad manſuetudinem, lenita-*

lenitatem, aliaq; id generis virtutes pertinentia.

Eſt Catech. §. Deinde ſi charitatis legem ſpectemus.

Et ratio eſt, quia *charitas proximi benigna eſt.*

De manſuetudine & clementia cōſule D. Thom. 1.2. q. 157. art. 2.

CONCL. VI. ET POSTREMA.

PRæcipitur longè omnium præſtantiſſimum officium, quod charitatis pleniſſimum eſt, in quo nos maxmè exercere conuenit, nimirùm vt iniurias quas accepimus, æquo animo remittamus atque condonemus.

Eſt Catech. §. At verò longè omnium, &c.

Ad hoc officium ſæpè nos diuinæ litteræ monēt, atque hortantur, cùm non ſolùm beatos eos dicunt, qui ita prorſus faciunt, ſed erratorum etiam veniam iiſdem à Deo datam affirment, quàm qui hoc facere negligunt, aut omninò recuſant, non conſequuntur.

MONITIO.

Vnum hoc loco admonendum eſt, quòd cùm vlciſcendi libido hominum mentibus ferè inſita ſit, debere Parochos & Catechiſtas maximam in eo diligentiam ponere, vt iniuriarum obliuiſci, eaſque remittere chriſtianum hominē oportere non doceant ſolùm, ſed penitùs etiam perſuadeant.

Argumenta ad hoc perſuadendum grauiſsima & maximè accommodata, habentur apud ſacros ſcriptores, Tertullianum in Apologetico cap. 51. & 37. Auguſtinum tract. 81. in Ioannem, & lib. 30. Hom. homel. 6. & Serm. 61. de tempore, & 168. & alios.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quibus præcipuè argumentis perſuaderi poteſt remittendas eſſe ex animo iniurias?

His tribus præcipuè. Primo, vt qui ſe iniuriam accepiſſe putat, ei maximè perſuadeatur, illum detrimenti aut iniuriæ præcipuā cauſam non fuiſſe, quem ipſe vlciſci cupit. Sic admirabilis ille Iob fecit cap. 1. qui à Sabæis hominibus, à Chaldæis, & à Dæmone grauiter læſus, nulla tamen eorum habita ratione, vt vir rectus, & homo admodùm pius, rectè pieque ijs verbis vſus eſt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Itaque patientiſsimi illius viri oratione & exemplo Chriſtiani homines ſibi perſuadeant, quod veriſsimum eſt, omnia quæcumque in hac vita patimur, à Domino, qui iuſtitiæ omnis, miſericordię que parens eſt, & auctor, proficiſci. Neque verò ille nos, quæ eius eſt immenſa benignitas, vt inimicos punit, ſed vti filios corrigit ac caſtigat. Nec profectò, ſi rectè animaduertimus, in hiſce rebus homines aliud omninò ſunt, niſi miniſtri, & quaſi ſatellites Dei. Et quamquam homo poteſt malè aliquem odiſſe, peſsimeque illi cupere, tamen niſi permiſſu Dei, nocere nullo modo poteſt. Hac ratione adductus Ioſeph, fratrum impia conſilia; ſic Dauid iniurias ſibi à Semei illatas, æquo animo tulit.

Secūdo, ad hanc rem illud argumēti genus valdè pertinet, quod S. Chryſoſtomus grauiter atque eruditè pertractauit, *neminem* ſcilicet, *niſi à ſe ipſo lædi.* Nā qui ſe iniurioſè tractatos eſſe opinantur, ſi rem recta ſecum via reputent, comperient nullam profectò ſe ab alijs iniuriam aut damnum accepiſſe. Etſi enim, quibus ipſi lædūtur, ea extrinſecus eueniunt: tamen

ſe maximè ipſi offendunt, cùm animum odio, cupiditate, inuidia nefariè contaminant.

Secundo, vt proponãtur cõmoda quę ad eos pertinent, qui pio ergà Deum ſtudio adducti, iniurias libenter remittunt, & ſunt hæc duo præcipua.

Primum quod aliena debita remittentibus, promiſit Deus fore, vt ipſi etiam peccatorum veniam impetrent. Ex quo promiſſo, quàm gratum illi ſit hoc pietatis officium facilè apparet.

Alterum commodum eſt, quod nobilitatem quãdam & perfectionem aſſequimur: quoniam condonandis iniurijs, quodammodò Dei ſimiles efficimur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Tertio, vt explicentur incõmoda illa, in quæ nos tum incidimus, cùm iniurias, quæ nobis illatæ ſunt, condonare nolumus. Itaque Parochus illis, qui ſibi in animum inducere non poſſunt, vt inimicis ignoſcant, ob oculos ponat, odium non ſolùm graue peccatum eſſe, ſed etiam diuturnitate peccandi grauiùs inhærere. Cùm enim is, in cuius animo hic affectus inſederit inimici ſanguinem ſitiat; illius vlciſcẽdi ſpe plenus, dies, noctéſque in perenni quãdam mala mẽtis agitatione ita verſatur, vt nunquam à cædis, aut nefariæ alicuius rei cogitatione ceſſare videatur. Quò fit, vt is vel nunquam, vel maximo negotio ad id impellatur, vt aut prorſus ignoſcat, aut aliqua ſaltẽ ex parte iniurias remittat. Quare meritò vulneri comparatur cui telum infixum hæret.

Multa prætereà incommoda, & peccata ſunt, quæ hoc vno odij peccato, tanquam vinculo quodã coniuncta tenentur. Oſtendit hoc D. Ioannes 1. epiſtolę 2. cap. his verbis: *Qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt*

& in

& in tenebris ambulat, & neſcit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius, itaq; ſæpius labatur neceſſe eſt. Etenim quo pacto fieri poteſt, vt dicta aliquis, aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria & iniqua iudicia exiſtunt, iræ, inuidiæ, obtrectationes, & alia eiuſmodi, quibus illi quoque implicari ſolét, qui aut cognatione, aut amicitia iuncti ſunt. Itaque ſæpè fit, vt ex vno peccato, multa exiſtant.

Neque iniuria dicitur hoc peccatum eſſe diaboli, quandoquidem ipſe ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus cùm ſibi mortem afferre Phariſæi cuperent, illos à patre diabolo genitos eſſe dixit.

QVAESTIO IIII.

Quæ ſunt præcipua aduerſus odium remedia, quod hic præcipuè prohibetur?

CONCLVSIO I.

PRæter ea quæ præcedenti quæſtione dicta ſunt, vnde ſceleris huius deteſtandi rationes peti poſſunt, alia quoque remedia, & ea maximè oportuna, ſanctarum litterarum monumentis tradita ſunt.

Eſt Catech.§. Sed præter hæc quæ dicta ſunt.

CONCLVSIO II.

PRimum omnium remedium & maximum eſt, Saluatoris noſtri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus.

Eſt Catech.§. Ac primum omnium, &c.

Is enim cùm ne minima quidem peccati ſuſpicio

CONCLVSIO I.

PRimò non prohibentur cædes beſtiarum.

Eſt Catech. § In eo autem quòd cædes prohibetur. Et D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 1.

Probatur primò ratione è ſacra ſcriptura petita. Nam ſi illis veſci à Domino hominibus conceſſum eſt, fas item eſt illas occidi.

Deinde D. Auguſtini auctoritate. Hac enim de re ita loquitur lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 20. *Cùm audimus, Non occides, nō accipimus hoc dictum eſſe de frutetis, nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione ſociantur.*

CONCLVSIO II.

NEque prohibentur cædes, quæ de facinoroſis hominibus fiunt per magiſtratus.

Eſt Catech. §. Alterum permiſſum cædis genus eſt. Et D. Thom. ſup. art. 2.

Ratio eſt clara; Nam illis data eſt à Deo necis poteſtas, quâ ex legum præſcripto, iudicioque in facinoroſos homines animaduertunt, & innocentes defendunt.

Patet hoc ipſum ex fine legis. Cùm enim legi huic is finis propoſitus ſit, vt hominum vitæ ſalutiq; conſulatur; magiſtratuúm autem, qui legitimi ſunt ſcelerum vindices, animaduerſiones eodem ſpectét, vt audacia & iniuria ſupplicijs repreſſa, tuta ſit hominum vita; patet magiſtratus facinoroſos cædendo non ſolum non eſſe reos huius præcepti, ſed huic diuinæ legi, quâ cædes vetatur, maximè obedire.

Et confirmatur exēplo Dauidis qui Pſalm. 100. de ſe ipſo dicit: *In matutino interficiebā oēs peccatores terræ vt diſperderē de Ciuitate Domini oēs operātes iniquitatē.*

CON-

CONCLVSIO III.

Neque prohibentur cædes, quæ à militibus fiunt, qui iuſto bello, non cupiditate aut crudelitate impulſi, ſed ſolo publicæ vtilitatis ſtudio vitam hoſtibus adimunt.

Eſt Catech. §. Qua ratione ne illi quidem peccāt. Et D. Thom. ſup. art. 2. & 2. 2. q. 40. art. 1.

Ratio huius concluſionis eadem eſt quæ ſuperioris.

CONCLVSIO IIII.

Prætereà neq; illæ cædes vetantur, quæ nominatim Dei iuſſu fiunt.

Eſt Catech. §. Sunt præterea eiuſmodi &c. Et D. Thom. ſup. art. 3. ad 1.

Sic filij Leui non peccauerunt, qui vna die tot milia occiderunt: Quia cæde facta ſic ad eos locutus eſt Moyſes. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.* Vide Exod. cap. 32.

CONCLVSIO V.

Item neque illorum cædes qui non ſponte nec meditatò, ſed fortuitò hominem occidunt.

Eſt Catech. §. Neque verò huius pręcepti reus eſt, &c. Et D. Thom. ſup. art. 8.

De hac concluſione Deuteronomij 19. cap. ita ſcriptum eſt: *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri, & nudiuſtertius nullum contrà eum odium habuiſſe comprobatur, ſed abijſſe ſimpliciter cum eo in ſyluam ad ligna cædenda, & ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manum, ferrumq; lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit & occiderit:* Hæ cædes eiuſmodi ſunt, quæ quia non voluntate, neque de induſtria inferuntur, propterea non omninò in peccatis numerantur.

Mm 5 Compro-

Comprobatur hoc ipſum ſancti Auguſtini ſententiâ. *Abſit enim*, inquit, *vt ea quæ aut propter bonum aut licitum facimus, ſiquidem præter voluntatem noſtram quicquam mali acciderit, nobis imputetur.*

Notandum tamen homicidium caſuale duabus de cauſis peccatum reputari.

Altera, ſi quis in re iniuſta occupatus hominẽ occiderit. Exempli cauſa, ſi quis grauidam mulierem pugno, vel calce percuteret, ex quo abortus ſequeretur; fuiſſet quidem illud præter percuſſoris voluntatem, non tamen præter culpam, cùm illi non liceret vllo modo grauidam mulierem percutere.

Altera, ſi non omnibus circumſpectis, negligenter & incautè aliquem occiderit.

CONCLVSIO VI.

Neque illæ cædes, quibus ſalutis ſuæ defendendæ cauſa omni adhibita cautione aliqui interimuntur.

Eſt Catech. §. Quæ etiam ratione. Et D. Thomæ ſup. art. 7. Neque eget maiori explicatione.

CONCLVSIO VII.

His cædibus exceptis, reliquæ omnes prohibentur, ſiue homicidã quis ſpectet, ſiue qui occiditur, ſiue modos quibus cædes fit.

Eſt Catech. §. Quibus exceptis, &c.

Probatur & explicatur. Nam quòd ad eos pertinet qui cædem faciunt, nemo planè excipitur, non diuites, non potentes homines, non Domini, nõ parentes, ſed delectu omni & diſcrimine remoto, occidere vetitum eſt omnibus.

Si ij ſpectentur qui interficiuntur, ad omnes hæc lex etiam pertinet, nec quiſquam eſt tam humilis & abiectæ

abiectæ conditionis homo, quin legis huius vi defendatur.

Sin multiplicem faciendæ cædis modum attendamus nemo eſt qui excipiatur: Nó ſolùm enim ſuis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno vitam homini eripere non licet, ſed conſilio, ope, auxilio, aut alia quacumque ratione, id fieri prorſus vetitum eſt.

DIFFICVLTAS I.

An cædes ſuiipſius ſit prohibita?

Dicendum, quòd neque ſeipſum interficere cuipiam fas ſit, cùm vitæ ſuæ nemo ita poteſtatem habeat, vt ſuo arbitratu mortem ſibi conſciſcere liceat: Ideoque huius legis verbis, non ita præſcriptum eſt, Ne alium occides, ſed ſimpliciter, *Non occides.*

DIFFICVLTAS II.

An voluntas occidendi ſit etiam prohibita?

Dicendum eſſe prohibitã. Nam ne iraſci quidem cuiquam licere in Euangelio traditum eſt, cùm dicit Dominus Matth. 5. cap. *Ego autem dico vobis: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit cõſilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Ex his verbis perſpicuum eſt, eum culpâ non carere, qui fratri ſuccenſeat, quamuis iram animo incluſam contineat: Qui verò eius iræ ſignificationem aliquã dederit, grauiter peccare; at multò grauius, qui non vereatur fratrem durè accipere, & ei conuitium facere.

Patet quoque Iudæos erràſſe, qui credebant ſe hoc prçceptum ſeruare, ſi manus tãtùm à cçde abſtinerent. Nam interprete Chriſto lex ſpiritualis eſt, quæ

quæ non manus ſolùm puras, ſed animum etiam caſtum ſincerumque nos habere iubet.

DIFFICVLTAS III.

An iraſci ſemper ſit prohibitum?

Dicendum non eſſe prohibitum ſi iuſta ſubſit cauſa.

Iuſta iræ cauſa, quæ à Deo legibuſque conceditur, ea eſt, cùm in eos animaduertimus, qui noſtro imperio poteſtatique parent, ſi in eis ſit culpa. Chriſtiani enim hominis ira, non à carnis ſenſibus, ſed à Spiritu ſancto proficiſci debet, cùm nos templa Spiritus ſancti, in quibus Ieſus Chriſtus habitet, eſſe conueniat.

DIFFICVLTAS IIII.

An reſiſtere malo ſit etiam prohibitum hoc loco?

Dicendum eſſe. Nam multa à Domino in Euangelio tradita ſunt, quæ ad perfectam huius legis rationem pertinent, vt patet Matthæi 5. cap. Qualia illa ſunt. *Non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexterã maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: Et quicumque te angariauerit, mille paſſus vade cũ illo & alia duo.* Ex quibus patet, quàm multi reperiuntur, qui ſi minus manu, animo ſaltem cædis ſcelus committunt.

QVAESTIO II.

Quæ ſunt remedia contra peccatum homicidij?

CONCLVSIO VNICA.

MVlta remedia in ſacris litteris habentur, præcipuum autem illud eſt, curare vt homines intelligãt, quàm nefarium ſit peccatum hominũ cædes.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Et quoniam huic tam periculoſo.
Et explicatur ſequenti difficultate.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vnde perſpici poteſt grauitas huius peccati?

Dicendum, quòd illa ex plurimis maximiſque ſacrarum litterarum teſtimonijs perſpici poteſt. Vſq; enim adeò homicidium deteſtatur Deus in ſanctis litteris, vt à beſtijs cædis hominum pœnam ſe repetiturum dicat Geneſis 9. cap. ac beluam, quæ hominē læſerit, occidi iubeat Exod. 21. Neque ob aliud à ſanguine hominem abhorrere voluit, niſi vt omni ratione à nefaria hominis cæde, & animum, & manus abſtineret.

Sunt etiam homicidæ humani generis, atq; adeò naturæ hoſtes acerbiſsimi, qui, quantum in eis eſt, vniuerſum Dei opus euertunt, cùm hominem tollunt, cuius cauſa is omnia, quæcūque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur.

Deinde, cùm prohibitū ſit Geneſ. 9. cap. hominē occidi, quia illum Deus ad imaginem ſuam, & ſimililitudinem creauit, apparet inſignem Deo iniuriam eum facere, quaſiq; violentas illi manus afferre, qui eius imaginem è medio tollit.

Hoc diuina animi cogitatione meditatus Dauid Pſalm. 13. grauiſsimè de ſanguinarijs hominibus cōqueſtus eſt, illis verbis: *Veloces pedes eorum ad effundēdum ſanguinem.* Neque ſimpliciter dixit, Occidūt, ſed, *Effundūt ſanguinē*: Quæ verba ad deteſtabilis illius ſceleris amplificationē, immanemq; illorum crudelitatem oſtendendam protulit. Vtque declararet, quàm præcipites illi diabolico quodam impulſu ad id facinus ferantur, dixit: *Veloces pedes eorum,* &c.

CONCLVSIO III.

PRæcipitur ergo patientia.

Eſt Catech. §. Patientia igitur nobis præcipitur, &c.

Dicit enim D. Paulus ſup. *Charitas patiens eſt.* Et benè Saluator Lucæ 21. dicit: *In patientia animas noſtras nos eſſe poſſeſſuros.*

De patientia vide D. Thomam 2. 2. q. 136.

CONCLVSIO IIII.

PRæcipitur deinde beneficentia, *quæ charitatis comes eſt & ſocia.*

Eſt Catech. §. Beneficentia deinde, &c.

Et ratio eſt. Quoniam *charitas benigna eſt.*

Benignitatis atque beneficentiæ officia in ijs rebus maximè verſantur, vt pauperibus ſuppeditemus res neceſſarias, cibum eſurientibus, ſitiētibus potum demus, nudos veſtiamus, & quò quiſque opis noſtræ magis indiget, eò in illum plus liberalitatis conferamus.

Fiunt huiuſmodi officia illuſtriora, ſi inimicis præſtentur. Ait enim Saluator Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros; benefacite ijs qui oderunt vos*; Quòd etiam Apoſtolus monet ad Rom. 12. illis verbis, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi: Hoc enim faciēs carbones ignis congeres ſuper caput eius: Nolo vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

Quomodo dilectio inimicorum cadat ſub præcepto, & quæ ſint inimicis charitatis officia exhibēda, docet D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.

CONCLVSIO V.

PRæcipiuntur item quæcumque officia ad manſuetudinem, lenita-

lenitatem, aliaſq; id generis virtutes pertinentia.

Eſt Catech. §. Deinde ſi charitatis legem ſpectemus.

Et ratio eſt, quia *charitas proximi benigna eſt.*

De manſuetudine & clementia cóſule D. Thom. 2.2. q. 157. art. 2.

CONCL. VI. ET POSTREMA.

PRæcipitur longè omnium præſtantiſſimum officium, quod charitatis pleniſſimum eſt, in quo nos maximè exercere conuenit, nimirùm vt iniurias quas accepimus, æquo animo remittamus atque condonemus.

Eſt Catech. §. At verò longè omnium, &c.

Ad hoc officium ſæpè nos diuinæ litteræ monēt, atque hortantur, cùm non ſolùm beatos eos dicunt, qui ita prorſus faciunt, ſed erratorum etiam veniam iiſdem à Deo datam affirment, quàm qui hoc facere negligunt, aut omninò recuſant, non conſequuntur.

MONITIO.

Vnum hoc loco admonendum eſt, quòd cùm vlciſcendi libido hominum mentibus ferè inſita ſit, debere Parochos & Catechiſtas maximam in eo diligentiam ponere, vt iniuriarum obliuiſci, eaſque remittere chriſtianum hominē oportere non doceant ſolùm, ſed penitùs etiam perſuadeant.

Argumenta ad hoc perſuadendum grauiſsima & maximè accommodata, habentur apud ſacros ſcriptores, Tertullianum in Apologetico cap. 51. & 37. Auguſtinum tract. 81. in Ioannem, & lib. 50. Hom. homel. 6. & Serm. 61. de tempore, & 168. & alios.

Difficvltas vnica.

Quibus præcipuè argumentis perſuaderi poteſt remittendas eſſe ex animo iniurias?

His tribus præcipuè. Primo, vt qui ſe iniuriam accepiſſe putat, ei maximè perſuadeatur, illum detrimenti aut iniuriæ præcipuā cauſam non fuiſſe, quem ipſe vlciſci cupit. Sic admirabilis ille Iob fecit cap. 1. qui à Sabæis hominibus, à Chaldæis, & à Dæmone grauiter læſus, nulla tamen eorum habita ratione, vt vir rectus, & homo admodùm pius, rectè pieque ijs verbis vſus eſt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Itaque patientiſsimi illius viri oratione & exemplo Chriſtiani homines ſibi perſuadeant, quod veriſsimum eſt, omnia quæcumque in hac vita patimur, à Domino, qui iuſtitiæ omnis, miſericordięque parens eſt, & auctor, proficiſci. Neque verò ille nos, quæ eius eſt immenſa benignitas, vt inimicos punit, ſed vti filios corrigit ac caſtigat. Nec profectò, ſi rectè animaduertimus, in hiſce rebus homines aliud omninò ſunt, niſi miniſtri, & quaſi ſatellites Dei. Et quamquam homo poteſt malè aliquem odiſſe, peſsimeque illi cupere, tamen niſi permiſſu Dei, nocere nullo modo poteſt. Hac ratione adductus Ioſeph, fratrum impia conſilia; ſic Dauid iniurias ſibi à Semei illatas, æquo animo tulit.

Secūdo, ad hanc rem illud argumēti genus valdè pertinet, quod S. Chryſoſtomus grauiter atque eruditè pertractauit, *neminem* ſcilicet, *niſi à ſe ipſo lædi.* Nā qui ſe iniurioſè tractatos eſſe opinantur, ſi rem recta ſecum via reputent, comperient nullam profectò ſe ab alijs iniuriam aut damnum accepiſſe. Etſi enim, quibus ipſi lædūtur, ea extrinſecus eueniunt: tamen

ſe maximè ipſi offendunt, cùm animum odio, cupiditate, inuidia nefariè contaminant.

Secundo, vt proponãtur cõmoda quę ad eos pertinent, qui pio ergà Deum ſtudio adducti, iniurias libenter remittunt, & ſunt hæc duo præcipua.

Primum quod aliena debita remittentibus, promiſit Deus fore, vt ipſi etiam peccatorum veniam impetrent. Ex quo promiſſo, quàm gratum illi ſit hoc pietatis officium facilè apparet.

Alterum commodum eſt, quod nobilitatem quãdam & perfectionem aſſequimur: quoniam condonandis iniurijs, quodammodò Dei ſimiles efficimur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Tertio, vt explicentur incõmoda illa, in quæ nos tum incidimus, cùm iniurias, quæ nobis illatæ ſunt, condonare nolumus. Itaque Parochus illis, qui ſibi in animum inducere non poſſunt, vt inimicis ignoſcant, ob oculos ponat, odium non ſolùm graue peccatum eſſe, ſed etiam diuturnitate peccandi grauiùs inhærere. Cùm enim is, in cuius animo hic affectus inſederit inimici ſanguinem ſitiat; illius vlciſcẽdi ſpe plenus, dies, noctéſque in perenni quãdam mala mẽtis agitatione ita verſatur, vt nunquam à cædis, aut nefariæ alicuius rei cogitatione ceſſare videatur. Quò fit, vt is vel nunquam, vel maximo negotio ad id impellatur, vt aut prorſus ignoſcat, aut aliqua ſaltẽ ex parte iniurias remittat. Quare meritò vulneri comparatur cui telum infixum hæret.

Multa præterea incommoda, & peccata ſunt, quæ hoc vno odij peccato, tanquam vinculo quodã coniuncta tenentur. Oſtendit hoc D. Ioannes 1. epiſtolę 2. cap. his verbis: *Qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt & in*

& in tenebris ambulat, & neſcit quò eat: quia tenebræ obcacauerunt oculos eius, itaq; ſæpius labatur neceſſe eſt. Etenim quo pacto fieri poteſt, vt dicta aliquis, aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria & iniqua iudicia exiſtunt, iræ, inuidiæ, obtrectationes, & alia eiuſmodi, quibus illi quoque implicari ſolent, qui aut cognatione, aut amicitia iuncti ſunt. Itaque ſæpè fit, vt ex vno peccato, multa exiſtant.

Neque iniuria dicitur hoc peccatum eſſe diaboli, quandoquidem ipſe ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus cùm ſibi mortem afferre Phariſæi cuperent, illos à patre diabolo genitos eſſe dixit.

QVAESTIO IIII.

Quæ ſunt præcipua aduerſus odium remedia, quod hic præcipuè prohibetur?

CONCLVSIO I.

PRæter ea quæ præcedenti quæſtione dicta ſunt, vnde ſceleris huius deteſtandi rationes peti poſſunt, alia quoque remedia, & ea maximè oportuna, ſanctarum litterarum monumentis tradita ſunt.

Eſt Catech. §. Sed præter hæc quæ dicta ſunt.

CONCLVSIO II.

PRimum omnium remedium & maximum eſt, Saluatoris noſtri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus.

Eſt Catech. §. Ac primum omnium, &c.

Is enim cùm ne minima quidem peccati ſuſpicio

in eum cadere poſſet, virgis cæſus, ſpinis coronatus, & cruci denique affixus, eam habuit orationem pleniſsimam pietatis Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Cuius aſperſionem ſanguinis, teſtatur Apoſtolus ad Hæbreos 12. melius loquentem quàm Abel.

CONCLVSIO III.

Alterum remediũ ab Eccleſiaſtico cap. 7. propoſitum eſt, vt mortem atque illum iudicij diem recordemur. Memorare (inquit ille) nouiſsima tua & in æternum non peccabis.

Eſt Catech. §. Alterum autem, &c.

Illa enim ſentẽtia eodem ſpectat, ac ſi dicat: Illud ſæpè etiam atque etiam cogita, breui fore, vt mortẽ obeas: proinde quia tali tempore tibi optatiſsimum erit, & maximè neceſſarium, ſummam Dei miſericordiam impetrare, eam tibi ob oculos iam nunc perpetuoque proponas, neceſſe eſt. Ita enim fiet, vt immanis illa vlciſcendi cupiditas tibi exhauriatur, cùm ad miſericordiam Dei implorandam, nullum aptius, maiuſúe remedium inuenias, quàm obliuionem iniuriarum, & amorem in eos, qui te, aut tuos, re, aut oratione, violârint.

Hæc ſufficiunt de quinto præcepto.

CAPI-

CAPITIS VI. ELVCIDATIO.

DE SEXTO PRAECEPTO:

Non Mœchaberis.

ANTE explicationē huius capitis duo cum Catechiſmo notanda ſunt.

Primum rectè atque ordine præceptū de mœchia, ſiue adulterio, quo vxor legitima ab iniuria cóſeruatur, immediatè ſubſequi præceptum de homicidio, quo vita noſtra à cęde vindicatur, quia homo poſt vitam propriam nihil carius habet vxore ſua; ſiquidē viri & vxoris vinculum arctiſsimum eſt, & nihil vtrique in vita iucundius accidere poteſt, quàm intelligere ſe mutuo quodam & ſingulari amore diligi; Contrà nihil moleſtius, quàm ſentire à ſe debitum & legitimum amorem aliò transferri.

Alterum, Parochos & Catechiſtas in hac materia explicanda cautos & prudentes eſſe debere, hocq́ue ſollicitè agere, vt rem tectis verbis commemorent vtpotè quæ moderationem potius, quàm orationis copiam deſideret; verendum eſt enim ne dum ij latè nimis atque copioſè explicare ſtudent, quibus modis homines ab huius legis præſcripto diſcedant, in illarum rerum ſermonem fortè incidant, vnde excitandæ potius libidinis materia, quàm reſtinguēdæ illius ratio emanare ſolet.

QVAESTIO I.
Quæ prohibentur hoc præcepto?

ANTE reſolutionem nota hoc præceptum quatenus negatiuum eſt, prohibere quædam peccata; quatenus verò affirmatiuũ eſt, tacitè præcipere contrarias virtutes.

Primò ergo inquirit quæſtio præſens, quæ ſint illa peccata quæ hoc præcepto prohibẽtur, poſtmodùm quæretur quæ virtutes hic præcipiantur.

Hoc prænotato reſpondetur his concluſionibus.

CONCLVSIO I.

P*Rimò diſertis verbis mœchia, ſiue adulterium vetatur.*

Eſt Catech. §. Eius igitur duplex eſt vis. Et D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 6.

Adulterium eſt legitimi thori iniuria, ſiue alienus, ſiue proprius ille ſit. Etenim ſi maritus cũ muliere ſoluta rem habet, ſuum ipſe thorum violat; Si verò ſolus vir alienam vxorem cognoſcat, adulterij labe thorus alienus inquinatur.

CONCLVSIO II.

D*Einde adulterij interdicto prohibetur omne impuritatis & impudicitiæ genus, quo corpus polluitur.*

Eſt Catech. §. Hoc verò adulterij interdicto.

De varijs libidinum ſpeciebus & formis vide D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 1.

Probatur concluſio, primò auctoritate D. Ambroſij lib. 1. Officiorum cap. 50. & D. Auguſtini q. 57. ſuper Exod. Quibus locis ſic hoc præceptum interpretantur.

Deinde

Deinde ſic accipienda eſſe hæc verba præcepti facilè licet colligere ex ſacris litteris tum noui, tum veteris Teſtamenti. Nam præter adulterium alia libidinis genera apud Moyſen puniuntur. Imprimis Geneſ.c. 38. Eſt Iudæ iudicium in nurũ ſuam. Eſt præclara illa in Deuteronomio Moſis lex, ne de filiabus Iſrael vlla eſſet meretrix. Extat præterea Tobiæ ad filium eiuſmodi adhortatio: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.* Eccleſiaſticus item, *Erubeſcite*, inquit, *à reſpectu mulieris fornicariæ.* In Euangelio etiam Chriſtus Dominus inquit Matthęi 15. *de corde exire adulteria, & fornicationes, quæ coinquinant hominem.* Apoſtolus verò Paulus hoc vitium ſæpè multis grauiſſimiſque verbis deteſtatur: *Hæc eſt* (ait 1. ad Theſſ. 4.) *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione.* Et 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem.* Et 1. Corinth. 5. *Ne cõmiſceamini fornicarijs. Fornicatio autẽ*, inquit, Epheſ 5. *& omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis.* Et 1. Corinth. 6. *Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare ſpeciatim in præcepto facta eſt mentio adulterij, ſi omnis luxuriæ ſpecies hoc loco cenſeri debet prohibita?

Præcipuè ob eam rem adulterium diſertè vetitũ eſt, quia præter turpitudinem, quæ illi cum alijs intemperãtiæ generibus communis eſt, iniuſtitiæ quoque peccatum nõ ſolùm in proximum, ſed etiam in ciuilem ſocietatem adiunctum habet.

Deinde illud eſt certum, qui ſe à libidinũ cæterarum intemperantia non abſtinet, eum ad hanc, quæ adulterij eſt, incontinentiam facilè labi.

CONCLVSIO III.

IMò verò omnis intimi animi libido hoc praecepto vetatur. Eſt Catech. §. Imò vero omnem,&c. Et D. Thom. ſup.

Colligitur ex lege ipſa, quę eſt ſpiritualis,vt ante diximus.

Deinde docet illã ipſe Chriſtus Dominus Matth. 5. illis verbis: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quòd omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.*

DIFICVLTAS VNICA.

Cùm ſub adulterio vetētur tacitè omnes luxuriæ ſpecies, expediétne publicè de illis ſigillatim populum inſt.tui?

Dicendum,non expedire,propter cauſam ſtatim initio huius capitis allatam.

Poterit nihilominus Parochus vnumquemque priuatim in ſacramenti confeſsione, vt temporis & perſonarum ratio poſtulabit, de reliquis luxuriæ ſpeciebus admonere.

QVAESTIO II.

Quæ pœnæ in adulteros,& eos qui ſcorta & pellices alunt à Concilo Trid. decretæ ſunt?

CONCLVSIO VNICA.

RECenſentur Seſſ. 24. can. 8. de reform. his verbis: *Graue peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere; grauiſſimum verò, & in huius magni ſacramenti ſingularem contemptum admiſſum,vxoratos quoque in hoc dãnationis ſtatu viuere, ac audire eas quandoque domi etiam*

cum vxoribus alere & retinere. Quare vt huic tanto malo Synodus oportunis remedijs prouideat, ſtatuit huiuſmodi cōcubinarios, tam ſolutos, quam vxoratos, cuiuſcumq; ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi, poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas nō eiecerint, ſeq; ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excōmunicatione feriendos eſſe; à qua non abſoluantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quòd ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint; contrà eos ab Ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu cōcubinarijs publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extrà oppidum, vel diœceſim, ſi id eiſdem Ordinarijs videbitur, inuocato, ſi opus fuerit brachio ſeculari eijciantur: alijs pœnis contrà adulteros & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.

Inſinuatur à Catechiſmo §. Si tamen ea addantur quæ à ſacra Tridentina Synodo.

QVAESTIO III.

Quæ virtutum officia hoc præcepto, quatenus eſt affirmatiuum, præcipiuntur?

CONCLVSIO I.

P*Racipitur imprimis pudicitia.*

Eſt Catech. §. Docendi igitur ſunt fideles.

Pudicitia moderatur libidinem, quę eſt in oſculis, tactibus, amplexibus.

Conſule D. Thomam 2. 2. q. 143. art. 1. in o.

CONCLVSIO II.

D*Einde præcipitur continentia.*

Eſt Catech. §. Eodem.

Continentia moderatur motum voluntatis commotæ ex impetu paſsionis, ſiue concupiſcentia; ita vt licet homo immoderatas concupiſcentias patiatur, voluntas tamen non vincitur.

Vide D. Thom. ſup.

CONCLVSIO III.

PRæterea præcipitur caſtitas.

Eſt Catech. §. Imprimis autem admonendi ſunt, &c.

Caſtitas moderatur omnem libidinem & delectationem carnalem. Et eſt triplex, Virginalis, Vidualis, coniugalis.

Virginalis propoſitum habet nunquam experiendi libidinem carnalem.

Vidualis non experiendi deinceps.

Coniugalis non experiendi extra limites matrimonij.

Conſule D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 5.

Ex his infertur, quòd quamuis caſtitatis virtus in eorum hominũ genere magis eluceat, qui pulcherrimum illud ac planè diuinum virginitatis propoſitũ, ſanctè & religioſè colunt, tamen ijs etiam conuenire, vel qui cęlibem vitam agunt, vel matrimonio iuncti à vetita libidine ſe puros & integros ſeruant.

QVAESTIO IIII.

Quæ ſunt remedia contrà luxuriam, & ſpeciatim contrà peccatum adulterij?

Ante reſolutionem nota duo cum Catechiſmo.

Primum, plurima eſſe à ſanctis Patribus tradita, quibus docemur domitas habere libidines & coërcere voluptates, quæ oportet populo accuratè exponere, & in eorum tractatione diligentiſsimè verſari.

Alterum, Remedia huiuſmodi eſſe duplicis generis; Quædam enim illorum conſiſtunt in cogitatione, quædam in actione. Quæ explicabuntur ex ordine ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Primum & principale remedium in cogitatione conſiſtens, in eo maximè verſatur, vt intelligamus quanta ſit peccati luxuriæ turpitudo & pernicies.

Eſt Catech. §. Quòd in cogitatione remedium poſitum eſt, &c.

Patebit ex ſequentibus, ex quibus cognoſcetur huius peccati pernicies; illa enim cognita facillima erit eius deteſtandi ratio.

DIFFICVLTAS VNICA.

Ex quibus poterit intelligi quanta ſit peccati luxuriæ pernicies?

Dicendum, pernicioſum ſcelus eſſe, intelligi ex eo poteſſe; quoniã propter hoc peccatum è Dei regno pelluntur, atque exterminantur homines, quod malorum omnium vltimum eſt.

Et hæc quidem calamitas omnium ſcelerum cõmunis eſt: Illud autem peccati proprium, quòd qui fornicantur, in ſua ipſi corpora peccare dicuntur, ex ſententia Apoſtoli ita ſcribentis 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem: omne enim peccatum quodcumque fecerit homo,*

homo,extra corpus eſt:qui autem fornicatur in corpus ſuum, peccat. Hoc ob eam cauſam dictum eſt, quoniá illud iniurioſè tractat, cùm eius violat ſanctitaté. Qua de re ad Theſſalonicenſes 1. epiſtolæ 4. ita D. Paulus: *Hæc eſt*(inquit)*volūtas Dei,ſanctificatio veſtra,vt abſtineatis à fornicatione,vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere;in ſanctificatione & honore,non in paſſione deſiderij,ſicut & gentes quæ ignorant Deum.*

Deinde, id quod ſceleſtius eſt, ſi homo chriſtianus meretrici ſe turpiter dedat,membra,quę chriſti ſunt,ea meretricis facit.Ita enim D. Paulus 1.corint. 6.ait: *Neſcitis quoniam corpora veſtra mēbra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti,faciam mēbra meretricis? abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?*

Eſt prætereà homo chriſtianus, vt idem teſtatur, templū Spiritus ſancti, quod violare nihil aliud eſt, niſi ab eo Spiritum ſanctum eijcere.

Præterea in adulterij ſcelere magna ineſt iniquitas.Si enim,vt vult Apoſtolus,qui matrimonio iuncti ſunt, ita eorum alter alterius poteſtati mācipatus eſt,vt neuter ſui corporis poteſtatem,iuſque habeat, ſed mutuo quodam ſint inter ſe quaſi ſeruitutis vinculo ita deuincti, vt vir ad vxoris voluntatem, contraque vxor ad viri nutum, voluntatemque ſe accómodare debeat;certè ſi alteruter corpus ſuum,quod eſt alieni iuris,ab eo, cui illud aſtrictum eſt, diſiúgit, is admodùm iniquus eſt, & nefarius.

Ad hæc, adulterium hominibus inſignem turpitudinis notam inurit: Nam ſacris litteris ita proditū eſt Pro.6. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiā perdet animam ſuam: turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.*

Item huius ſceleris magnitudo ex ſupplicij ſeueritate facilè perſpici poteſt: Adulteri enim, lege à Domino in veteri Teſtamento præſcripta Leuit.20. obruebantur lapidibus, imò ob vnius libidinem, nō ſolùm qui ſcelus admiſit, ſed vniuerſa interdùm ciuitas, vt de Sichimitis legimus Num. 34. deleta eſt.

Multa diuinæ animaduerſionis exempla in ſacris litteris prodita ſunt, quæ ad deterrendos à nefaria libidine homines parochus colligere poterit, vt Sodomæ & reliquarum finitimarum vrbium interitus Geneſ. 19. Iſraëlitarum, qui fornicati ſunt cum filiabus Moab in deſerto, ſupplicium, Num.25. Beniamitarum deletio, Iud. 20.

Qui mortem effugiunt, intolerabiles tamen dolores, ac pœnarum cruciatus, quibus ſæpè plectūtur, nō effugiunt: Nam mēte cęci, quæ pœna grauiſsima eſt, ita fiunt, vt neque Dei, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum denique, vitæque ſuæ rationem habeant: hocque pacto, adeò nequam & inutiles fiūt, vt nihil graue committi eis debeat, vt ad nullū ferè officij munus idonei ſint. Huius rei exempla à Dauide, & Salomone petere nobis licet: quorū alter poſtquam adulteratus eſt, repentè ſui diſsimillimus, ex mitiſsimo crudelis extitit, vt Vriā optimè de ſe meritum morti obtulerit 2. Reg.11. alter cùm ſe totum in mulierum libidinem profudiſſet, ita à vera Dei religione ſeſe auertit, vt alienos Deos ſequeretur 3. Reg. 11. *Aufert igitur* (vt Oſeas dixit cap. 4.) *hoc peccatum cor hominis*, ſæpeque excęcat.

CONCLVSIO II.

P*Rimum in actione conſiſtens illud eſt, vt otiū maximè fugiamus.*

Eſt Ca-

Eſt Catech. §. Quorum primum illud eſt.

Probatur exemplo: Nã cùm Sodomitæ homines (vt eſt apud Ezechielem cap. 16.) in eo hebeſcerẽt, in ſpurciſimũ illud nefariæ libidinis ſcelus præcipites lapſi ſunt.

CONCLVSIO III.

D*Einde crapula magnoperè eſt vitanda.*

Eſt Catech. §. Eodem.

Saturaui eos (inquit Propheta Hier. 5. cap.) *& mœchati ſunt*: quoniã venter expletus & ſaturatus libidinem parit. Hoc ipſum illis verbis Dñs ſignificauit Lucæ 21. *Attendite vobis ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate*. Hoc item Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.*

CONCLVSIO IIII.

P*Rætereà oculorum aſpectus cuſtodiendus.*

Eſt Catech. §. Sed maximè animus ad libidinem, &c.

Nam maximè animus ad libidinem oculis inflammari ſolet.

Huc pertinet illa Chriſti Dñi ſententia Matth. 5. cap. *Si oculus tuus ſcandalizet te, erue eũ & proijce abs te.*

Prætereà multæ ſunt prophetarum de eadem re voces, vt eſt apud Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*

Denique ſunt multa ac penè innumerabilia exempla malorum quæ ex oculorum aſpectu ortum habuerũt. Sic Dauid 2 Reg. 11. Sic Rex Zichẽ peccauit Geneſ. 34. Hocque item pacto ſenes illi Suſannæ calumniatores deliquerunt, Daniel. 13. cap.

CONCLVSIO V.

I*Tem elegantior ornatus fugiendus eſt.*

Eſt Catech. §. Elegantior item.

Ratio eſt: Cùm enim illo oculorum ſenſus valdè excitetur, occaſionẽ libidini non paruã ſæpè præbet. Ideo Eccleſiaſticus 9. cap. ſic monet, *Auerte faciem tuã à muliere compta.*

Ex hoc infertur, mulieres, quæ in nimio ornatus ſtudio verſantur monendas eſſe & obiurgandas præſertim illis verbis quæ hoc de genere grauiſsimè Apoſtolus Petrus ita protulit 1. epiſt. 3. cap. *Mulierũ non ſit extrinſecus capillatura aut circũdatio auri, aut indumẽti veſtimentorum cultus.* Item D. Paulus 2. ad Timoth. 2. cap. *Non in tortis* (inquit) *crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa*: multę enim auro & margaritis adornatæ ornamenta mentis & corporis perdiderunt.

CONCLVSIO VI.

I*Nſuper vitandi turpes & obſcani ſermones.*

Eſt Catech. §. Alterum ſequitur, &c.

Nam verborum obſcænitate, quaſi face quadam ſubiecta, adoleſcentum animi incenduntur; *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 5.

CONCLVSIO VII.

S*Imiliter cauendi delicatiores ac molliores cantus ac ſaltationes,*

Eſt Catech. §. Hocque ipſum quàm maximè.

Eadem ratione, qua ſupra.

CONCLVSIO III.

I*Tem cauendi libri obſcani & amatoriè ſcripti, & imagines quæ aliquam turpitudinis ſpeciem præ ſe ferunt.*

Eſt Catech. §. Quo in genere.

Et ratio

Et ratio eſt: Nam ad inflammandos adoleſcẽtum animos vis in illis eſt maxima.

De imaginibus multa piè & religioſè è Concilio Trident. Seſſ. 25. in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs ſanctorũ & ſacris imaginibus conſtituta ſunt, quæ poterunt huc adduci.

CONCLVSIO IX.

AD libidinis vim opprimendam maximè valet frequẽs confeſſionis & Euchariſtiæ vſus, necnõ aſſiduæ ac piæ ad Deum preces cum eleẽmoſynis atq; ieiunio coniunctæ.

Eſt Catech. §. Sed ad illius vim opprimendã, &c.

Eſt enim caſtitas donũ Dei quod rectè petẽtibus non denegat, nec patitur nos tentari ſuprà id quod poſſumus.

CONCL. X. ET VLTIMA.

AD comprimẽdam libidinem nõ modò corpus ieiunijs, & ijs præſertim quæ ſancta Eccleſia inſtituit, ſed vigilijs etiam, pijs peregrinationibus, atque alijs afflictionũ generibus exercendum eſt, ſenſuumq; appetitiones reprimẽdæ.

Eſt Catech. §. Corpus autẽ non ieiunijs modò, &c.

Ratio eſt clara; Nam in his atque alijs huiuſmodi rebus maximè cernitur temperantiæ virtus.

In hanc ſententiam 1. ad Corinth. 9. Diuus Paulus ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autẽ incorruptam.* Et paulò poſt: *Caſtigo,* inquit, *corpus meũ, & in ſeruitutem redigo; ne forte cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Et ad Roman, 13. *Carnis curam ne feceritis in deſiderijs.*

Atque ita hæc ſufficiunt pro explicatione capitis ſexti.

CAPI-

CAPITIS VII. ELVCIDATIO.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

INITIO huius capitis duo cũ Catechiſmo notanda ſunt.

Primum, Parochos & Catechiſtas debere hunc locum vrgere, & aſsiduè ac diligenter huius præcepti vim & ſententiam explicare, propter duas præcipuè cauſas.

Prima, propter exemplum Patrum & chriſtianæ diſciplinæ magiſtrorum; veterẽ enim Eccleſiæ morem fuiſſe, vt huius præcepti vis & ratio inculcaretur auditoribus, indicat illa apud Apoſtolũ obiurgatio eorum, qui cæteros ab ijs vitijs maximè deterrerent, quibus ipſi cumulati reperiebantur; *Qui enim* (inquit ad Rom. 2.) *alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?*

Secunda, propter doctrinę vtilitatem; Nam huius doctrinæ bono, & frequens illorum & horum temporum peccatum furti corrigitur, & turbę ac lites ſedantur, aliæque ſimiles malorum cauſæ, quæ furto commoueri ſolent.

Alterum notandum eſt, præceptum hoc rectè ac bono ordine ſubſequi duo præcedentia, *Non occides*, &, *Non mœchaberis*; Nã duobus prioribus Deus quaſi duobus præſidijs vitam corpuſque noſtrum, & famã, exiſtimationemque noſtram tuetur; Hoc verò pręcepto

cepto *Non furtum facies*, tanquam cuſtodiâ quadam externâ res noſtras ac facultates munit ac defendit. In quo licet agnoſcere ac admirari infinitum Dei amorem erga genus humanum.

QVAESTIO I.

Quæ peccata prohibentur hoc præcepto?

NOTANDVM eſt ante reſolutionem, præceptum hoc, quemadmodum ſuperiora diuidi in duas partes; quarum altera, quæ furtum vetat, apertè eſt ennunciata; alterius ſententia & vis, quâ iubemur benigni & liberales eſſe in proximos, in priore occulta eſt & inuoluta.

De priore parte, quâ peccata prohibentur prius agendum eſt, deinde de altera.

CONCLVSIO I.

PRimò vetantur furtum, rapina, peculatus, plagium, ſacrilegium.

Eſt Catech. §. In quo illud animaduertendú eſt. Et D. Thom. 2. 2. q. 123. art. 6. ad 2.

Vt intelligatur concluſio duo animaduertenda ſunt.

Primum, furti nominé in pręcepto non id modò intelligi, cùm occultè ab inuito Domino aliquid aufertur, ſed etiam, cùm aliquid alienum contrà volútatem ſciétis Domini poſsidetur. Quare rapina, quæ per vim & iniuriam fit etiam prohiberi cenſetur. De qua Apoſtolus 1. ad corinth. 6. dicit: *Rapaces regnum Dei non poſsidebunt.*

Alterum, iuiuſtam poſſeſsionem & vſum rerum aliena-

alienarum ex varietate eorum quæ inuitis & in ſcijs Dominis auferuntur varijs nominibus appellari; Nam ſi priuatum quid priuato adimitur *furtum* dicitur; ſi ſurripitur publico, *peculatus* appellatur. *Plagium* vocant, ſi homo liber vel ſeruus alienus in ſeruitutem abducitur: Si verò res ſacra eripitur, nominatur *ſacrilegium*.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm rapina grauius ſint peccatum quàm furtum, quæ nimirùm præter rem, quam alicui adimunt, prætereà vim afferunt, & maiorem imponunt ignominiam: Quare in præcepto potius furtum quàm rapina nominatur?

Dicendum id ſumma ratione factum eſſe, quia furtũ latius patet, & ad plura pertinet, quàm rapinæ, quas tantummodò illi facere poſſunt qui potẽtiâ & viribus præſtant.

Deinde, quia excluſis eiuſdem generis leuioribus peccatis, facilè videre eſt grauiora etiam facinora prohiberi.

CONCLVSIO II.

Præter ipſum furtum, id eſt, externam actionem furandi, etiam animus & voluntas Dei lege prohibetur.

Eſt Catech. §. Sed præter ipſum furtum, &c.

Ratio eſt clara; Nam, ſicut aliquoties iam dictum eſt, lex ſpiritualis eſt, quæ animum fontem cogitationum & conſiliorum inſpicit: *De corde enim* (inquit Dominus apud Sanctum Matthæum 15. cap.) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta falſa teſtimonia.*

QVAESTIO II.

Ex quibus oſtendi poteſt grauitas furti?

cepto *Non furtum facies*, tanquam cuſtodiâ quadam externâ res noſtras ac facultates munit ac defendit. In quo licet agnoſcere ac admirari infinitum Dei amorem ergà genus humanum.

QVÆSTIO I.

Quæ peccata prohibentur hoc præcepto?

NOTANDVM eſt ante reſolutionem, præceptum hoc, quemadmodùm ſuperiora diuidi in duas partes; quarum altera, quæ furtum vetat, apertè eſt ennunciata; alterius ſententia & vis, quâ iubemur benigni & liberales eſſe in proximos, in priore occulta eſt & inuoluta.

De priore parte, quâ peccata prohibentur prius agendum eſt, deinde de altera.

CONCLVSIO I.

Primò vetantur furtum, rapina, peculatus, plagium, ſacrilegium.

Eſt Catech. §. In quo illud animaduertendũ eſt. Et D. Thom. 2. 2. q. 123. art. 6. ad 2.

Vt intelligatur concluſio duo animaduertenda ſunt.

Primum, furti nominé in præcepto non id modò intelligi, cùm occultè ab inuito Domino aliquid aufertur, ſed etiam, cùm aliquid alienum contrà volũtatem ſciẽtis Domini poſsidetur. Quare rapina, quæ per vim & iniuriam fit etiam prohiberi cenſetur. De qua Apoſtolus 1. ad corinth. 6. dicit: *Rapaces regnum Dei non poſsidebunt.*

Alterum, iniuſtam poſſeſsionem & vſum rerum aliena-

alienarum ex varietate eorum quæ inuitis & in ſcijs Dominis auferuntur varijs nominibus appellari; Nam ſi priuatum quid priuato adimitur, *furtum* dicitur; ſi ſurripitur publico, *peculatus* appellatur. *Plagium* vocant, ſi homo liber vel ſeruus alienus in ſeruitutem abducitur: Si verò res ſacra cripitur, nominatur *ſacrilegium*.

DIFFICVLTAS VNICA.

Cùm rapinæ grauius ſint peccatum quàm furtum, quæ nimirùm præter rem, quam alicui adimunt, præterea vim afferunt, & maiorem imponunt ignominiam: Quare in præcepto potius furtum quàm rapina nominatur?

Dicendum id ſumma ratione factum eſſe, quia furtũ latius patet, & ad plura pertinet, quàm rapinæ, quas tantummodò illi facere poſſunt qui potẽtiâ & viribus præſtant.

Deinde, quia excluſis eiuſdem generis leuioribus peccatis, facilè videre eſt grauiora etiam facinora prohiberi.

CONCLVSIO II.

PRæter ipſum furtum, id eſt, externam actionem furandi, etiam animus & voluntas Dei lege prohibetur.

Eſt Catech. §. Sed præter ipſum furtum, &c.

Ratio eſt clara; Nam, ſicut aliquoties iam dictum eſt, lex ſpiritualis eſt, quæ animum fontem cogitationum & conſiliorum inſpicit: *De corde enim* (inquit Dominus apud Sanctum Matthæum 15. cap.) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia.*

QVAESTIO II.

Ex quibus oſtendi poteſt grauitas furti?

CONCLVSIO I.

GRauitas huius peccati oſtenditur primò, ex ipſa natura vi & ratione: Eſt enim iuſtitiæ contrarium, quæ ſuum cuique tribuit.

Eſt Catech. §. Sed quàm graue ſcelus.

Probatur & explicatur. Nam bonorum diſtributiones & aſsignationes iam inde ab initio iure gentiũ conſtitutas, diuinis etiam & humanis legibus conſtitutas, ratas eſſe oportet, vt vnuſquiſque, niſi humanam ſocietatẽ tollere velimus, ea teneat, quæ ei iure obtigerunt. Nam, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. *Neq; fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei poßidebunt.*

CONCLVSIO II.

DEinde ſceleris importunitas & immanitas oſtẽditur ex permultis quæ furtum conſequuntur.

Eſt Catech. §. Etſi huius ſceleris importunitatẽ, &c. Fiunt enim iudicia temerè & inconſultò multa de multis: erumpunt odia, ſuſcitantur inimicitiæ, exiſtunt interdùm acerbiſsimæ innocentium hominũ damnationes.

CONCLVSIO III.

POſtremò oſtenditur ex neceßitate, quæ diuinitus impoſita eſt omnibus ſatisfaciendi ei, cui aliquid ademptũ eſt. Non enim (inquit Auguſtinus epiſtola 54. ad Macedonium) remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum; quæ tamen reſtitutio difficillima eſt, & rariſsima.

Eſt Catech. § Quid docemus de neceſsitate, &c.

Quantam habeat difficultatem reſtitutio apud eos qui aſſueuerunt ex alienis locupletari, præter id quod vnuſquiſque & ex aliorum conſuetudine & de

ſuo ſenſu iudicare poteſt, ex teſtimonio Abacuch Prophetæ licet colligere; Inquit enim cap. 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua, vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Lutum appellat denſum, rerum alienarũ poſſeſſionem, vnde emergere & expedire ſe homines difficile poſſunt.

QVAESTIO III.

Quæ ſunt præcipua furtorum genera? Et: Qui ſunt furum & raptorum nomine appellandi?

CONCLVSIO I.

Multa ſunt furtorũ genera, ſed duo ſunt ex illis præcipua, ad quæ tanquam ad caput reliqua referũtur, videlicet furtum & rapina.

Eſt Catech. §. Furtorum autem tam multa ſunt genera. Et D. Thom. 2. 2. q. 66. per totam.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

In primis furum nomine veniunt appellandi, qui furto ſublatas res emunt, vel aliquo modo inuentas, occupatas, aut ademptas retinent.

Eſt Catech. §. Sunt igitur fures etiam, &c.

Probatur celebrato D. Auguſtini teſtimonio, ſic enim ait lib. 50. Homel. 9. & de verbis Apoſtoli ſer. 19. *Si inueniſti & non reddidiſti, rapuiſti.*

An ſemper ſit peccatum accipere & retinere rem inuentam docet D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2.

DIFICVLTAS VNICA.

Quid faciendum de rebus inuẽtis, ſi rerum Dominus nulla ratione inueniri poteſt?

Dicendum, illa bona eſſe in vſus pauperum conferenda. Si verò quis adduci non poteſt, vt illa pauperibus reſtituat, ea re facilè probat, ſe vndique ablaturum omnia ſi poſſit.

CONCLVSIO III.

FVres quoque dicendi ſunt, qui in emendis vendẽdiſq; rebus fraudes adhibent & vanitatem orationis.

Eſt Catech. §. Eodem ſe alligant ſcelere.

De fraudibus & furtis in emptionibus & vẽditionibus vide D. Thomam 2. 2. q. 77. per totam.

CONCLVSIO IIII.

GRauiores & iniquiores in hoc furtorum genere ſunt ij, qui fallaces & corruptas merces vendunt pro veris & integris; quiue pondere, menſurâ, numero, & regulâ decipiunt emptores.

Eſt Catech. §. Grauiores & iniquiores, &c.

Eſt enim in Deuteronomio cap. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera.* Et in Leuitico cap. 19. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere in menſura, ſtatera iuſta, & æqua ſint põdera, iuſtus modius, æquuſq; ſextarius.* Eſt & alio loco in Prouerb. 20. cap. *Abominatio eſt apud Dominum põdus & pondus, ſtatera doloſa non eſt bona.*

Vide D. Thomam ſup. art. 2. ad 2.

CONCLVSIO V.

FVres etiam aperti ſunt ij operarij & artifices, qui totã & integram mercedem exigunt ab ijs, quibus ipſi iuſtã & debitam operam non dederunt.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Furtum etiam apertum. Et eſt ſatis clara.

CONCLVSIO VI.

Non diſtinguuntur à furibus ſerui dominorũ, rerũq́; cuſtodes iuſidi; quin etiam eò ſunt deteſtabiliores, quàm reliqui fures, qui clauibus excluduntur, quòd furaci ſeruo nihil domi obſignatum aut occluſum eſſe poteſt.

Eſt Catech. §. Nec verò diſtinguuntur. Et eſt ſatis manifeſta.

CONCLVSIO VII.

Fvres præterea eſſe videntur, qui fictis ſimulatisq́; verbis, quiue fallaci mendicitate pecuniam extorquent.

Eſt Catech. §. Furtum præterea facere videntur.

Horum peccatum eò eſt grauius, quòd furtũ mẽdatio cumulant.

CONCLVSIO VIII.

Illi quoque in furum numero reponendi ſunt, qui cùm ad priuatum aliquod, publcumúe officium cõducti ſunt, nullã vel paruam operam nauantes, munus negligunt, mercede tãtùm ac pretio fruuntur.

Eſt Catech. §. Illi quoque in furum, &c.

Hactenus de varijs furum & furtorũ generibus; reliquam furtorum multitudinem à ſolerti auaritia, quæ omnes pecuniæ vias nouit, excogitatã perſequi longum eſſet & difficillimum.

Nunc de rapinis & raptoribus, quod eſt alterum horum ſcelerum caput, ſequentibus concluſionibus dicendum eſt.

CONCLVSIO IX.

Rapaces imprimis illi ſunt, qui debitam operarijs mercedem non perſoluunt.

Eſt Catech. §. Nam qui debitam.

Hos Sanctus Iacobus ad pœnitentiam inuitat 5. cap. ſuæ epiſtolæ his verbis: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenię̄t vobis*: Cuius pœnitentiæ cauſam ſubiungit: *Ecce enim merces operariorū qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*.

Hoc genus rapinarum in Leuitico 19. cap. in Deuteron. 24. & apud Malachiam 3. & apud Tobiam 4. vehementer improbatur.

CONCLVSIO X.

IN *hoc crimine rapacitatis includuntur, qui, quæ Eccleſiæ præſidibus & magiſtratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, & reliqua huius generis non diſſoluunt, vel interuertunt, vel ad ſe transferunt*.

Eſt Catech. §. In hoc crimine.

De decimis conſule D. Thom. 2.2.q.87.

CONCLVSIO XI.

H*Vc etiam referūtur fœneratores in rapinis acerrimi & acerbiſſimi, qui miſeram plebem compilāt ac trucidant vſuris*.

Eſt Catech. §. Huc etiam referuntur, &c.

Vſura, eſt quicquid præter ſortem & caput illud quod datū eſt accipitur, ſiue pecunia ſit, ſiue aliquid aliud quod emi aut æſtimari poſſit pecuniâ.

Vſuram eſſe prohibitā patet; Sic enim apud Ezechielem ſcriptum eſt cap. 18. *Ad vſuram non accommodauerit, & ſuperabundantiam non acceperit*. Et Dominus apud Lucam 6. cap. *Mutuum date, nihil inde ſperātes*.

Grauiſſimum ſemper fuit hoc facinus etiā apud gētes, & maximè odioſum: Hinc illud, *Quid fœnerari? Quid hominem* (inquit) *occidere? Nam qui fœnerantur, bis*

idem

idem vendunt, aut id vendunt quod non eſt. Eſt Catonis Cenſorij ſententia, quam refert M. Tullius Cicero in 2. officiorum.

CONCLVSIO XII.

ITem rapinas faciunt nummarij iudices, qui venialia habent iudicia, & pretio muneribusq́ue deliniti, optimas tenuiorum, & egentium cauſas euertunt.

Eſt Catech. §. Item rapinas faciunt, &c. Et eſt per ſe clara.

CONCLVSIO XIII.

DAmnantur eodem rapinarum crimine fraudatores creditorum, & infitiatores, quiq́ue ſumpto temporis ſpatio ad ſoluendum ſua vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant.

Eſt Catech. §. Fraudatores creditorum, &c.

Horum delictum eò grauius eſt, quòd mercatores illorum deſtitutionis & fraudationis occaſione magno detrimento ciuitatis carius vendunt omnia; In hos illa Dauidis ſententia videtur conuenire Pſalm. 36. *Mutabitur peccator & non ſoluet.*

CONCLVSIO XIIII.

RApaces denique ſunt illi locupletes, qui ab illis, qui ſoluendo non ſunt, quod commodârunt exigunt acerbiùs, & pignora etiam ea auferunt, quæ ad eorum corpus tuendum ſunt neceſſaria.

Eſt Catech. §. Quod de locupletibus dicemus.

Interdixit hoc Deus Exod. 22. vbi ſic inquit: *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimẽtum, ante ſolis occaſum reddas ei: ipſum enim eſt ſolũ quo operitur indumentũ carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum.*

CONCLVSIO XV.

Ex numero eorum qui raptores dicuntur à ſanctis Patribus, ſunt, qui in frugũ inopia comprimũt frumentũ, faciuntq́ue vt ſuâ culpâ carior ac durior ſit annona: Quòd etiã valet in rebus omnibus ad victum & ad vitam neceſſarijs.

Eſt Catech. §. Ex numero eorum.

Ad hos illa Salomonis execratio pertinet Prouerb. 11. cap. *Qui abſcõdit frumenta, maledicetur in populis.*

MONITIO.

Hos parochi ſuorum ſcelerum liberiùs admonere & accuſare debét, ac propoſitas illis peccatis pœnas vberiùs explicare.

Hactenus diximus quæ prohibeantur hoc præcepto: Nunc dicendùm quæ præcipiantur ea parte quâ affirmatiuum præceptum in ſe tacitè comprehendit.

QVAESTIO IIII.

Quæ præcipiuntur hoc præcepto pro ea parte quâ affirmatiuum eſt?

CONCLVSIO I.

Inter ea quæ hoc præcepto iubentur, ſatisfactio vel reſtitutio primum locum habet.

Eſt Catech. §. Nunc ad iuſſa veniamus, &c.

Peccatum enim non dimittitur niſi reſtituatur ablatum, ex D. Auguſtino epiſtola 54. ad Macedonium.

De reſtitutione vide D. Thomam 2. 2. q. 62. per totam.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quoniam non is ſolùm qui furtum fecit ei cui furatus eſt id debet reſtituere, ſed ſubinde etiam plures alij; Quæritur qui ſint illi qui ad hanc ſatiſfaciendi, vel reſtituendi neceſſitatem tenentur?

Dicendum eſſe plura hominum genera.

Primum eſt eorum, qui furari imperant, qui nō modò ipſi ſunt furtorum ſocij & auctores, ſed etiam in illo furum genere deterrimi.

Alterum genus par voluntate primis, poteſtate diſpar, in eodem tamen furum gradu ponendum, eorum, qui cùm iubere non poſſint, ſuaſores ſunt, atque impulſores furtorum.

Tertium genus eſt eorum, qui cum furibus conſentiunt.

Quartum eſt eorum qui participes furtorū, inde ipſi etiam lucrum faciunt, ſi lucrum dicendum eſt; qui niſi reſipuerint, eos addicit æternis cruciatibus. De quibus ſic loquitur Dauid Pſalm. 87. *Si videbas furem, currebas cum eo.*

Quintum genus eſt furum, qui cùm furta poſſint prohibere, tantùm abeſt vt illis occurrant, & obſiſtant, vt eorum licentiam promittant atque cōcedant.

Sextum eſt eorum, qui, cùm & furtum factum, & vbi factum ſit, certò ſciant, non indicant rem, ſed eam ſe ſcire diſsimulant.

Poſtremum eſt, quod omnes complectitur furtorum adiutores, cuſtodes, patronos, quique illis receptaculum præbent ac domicilium: qui omnes & ſatisfacere debēt ijs quibus aliquid detractum eſt, & ad illud neceſſarium officium vehementer cohortandi ſunt.

Nec huius quidem ſceleris omninò ſunt expertes, approbatores furtorum & laudatores.

Nec etiam ab eadem culpa ſunt alieni filij familias, & vxores, qui pecunias à patribus & viris ſurripiunt.

CONCLVSIO II.

Deinde præcipitur miſericordia, quâ pauperũ & inopum miſeremur, eorumq́; difficultates & anguſtias noſtris facultatibus & officijs ſubleuamus.

Eſt Catech. §. Iam verò huic præcepto.

De operibus miſericordię per eleëmoſynas in pauperes, vide D. Thom. 2.2.q.32. per totam; Reperies ferè nihil deeſſe, quod ad hanc materiam quoquomodo pertinere poteſt.

Quia hoc argumentum ſępiſsimè & copioſiſsimè tractandum eſt: Parochi & Catechiſtæ præter D. Thomam ſup. allegatum legere poterunt ſanctiſsimorum etiam virorum Cypriani, Ioannis Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, & aliorum libros, qui de eleemoſyna præclarè ſcripſerunt.

Cùm multa vtiliſsimè dici poſſunt de eleëmoſyna, hæc tamen imprimis tractanda ſunt frequentius.

Primum, quantam habeat eleëmoſyna neceſsitatem, quòd fieri poterit veriſsimo illo argumento, quod ſũmo illo iudicij die deteſtaturus ſit eos Deus, & ſempiternis ignibus addicturus, qui eleëmoſynæ officia prætermiſerint ac neglexerint; Illos autẽ collaudatos in cæleſtem patriam introducturus, qui benignè fecerint indigentibus. Eſt vtraque Chriſti Dñi ore prænunciata ſententia Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum.* Et: *Diſcedite à me maligni in ignem æternum.* Ad idem perſuadendum

valent

valent & hæc ſcripturæ loca; Chriſtus Dñs Lucæ 6. *Date*, inquit, *& dabitur vobis*: Et Marc. 10. *Nemo eſt qui reliquerit*, &c. *qui non accipiet, centies tantùm nunc in tẽpore hoc, & in futuro ſæculo vitam æternam.* Et Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Secundum, eleẽmoſynam fieri non ſolùm noſtra largiendo indigentibus, quò vitam ſuam ſuſtenteut, ſed etiã cõmodando pauperibus, iuxta illud Chriſti præſcriptum Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Huius officij fęlicitatẽ Beatus Dauid expreſsit Pſal. 111. cùm inquit: *Iucundus homo qui miſeretur & cõmodat.*

Tertium, pium eſſe admodùm laborare, & opera & manibus ea quærere, quibus inopum indigentiam leuare poſsimus. Ad id omnes ſuo exẽplo hortatur in epiſtola ad Theſſalon. cap. 3. Apoſtolus illis verbis: *Ipſi enim ſcitis quemadmodùm oporteat imitari nos.* Itẽ ad eoſdem cap. 4. *Operam detis vt quieti ſitis, & vt veſtrũ negotium agatis & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.* Et ad Epheſios 4. *Qui furabatur iã non furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti.*

Poſtremum, quòd eos concernit qui eleẽmoſynã à nobis accipiunt, frugalitati conſulendum parcendumq́ue bonis alienis, ne cæteris graues aut moleſti ſimus. Hæc temperantia elucet in omnibus quidem Apoſtolis, ſed maximè eminet in D. Paulo, cuius illud eſt 2. ad Theſſ. 2. cap. *Memores eſtis fratres laboris noſtri & defatigationis nocte ac die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.* Et idem alio in loco Apoſtolus. *In labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.*

QVAESTIO V.

Quibus argumentis populus à furtis & rapinis deterrẽdus? Et contrà: Quibus rationibus ad eleëmoſynas agẽdas adducendus?

CONCLVSIO I.

Populus deterreri debet à furtis & rapinis, propoſitis illi horribilibus minis, quas Deus paßim in ſacris ſcripturis comminatur illis qui illa ſcelera committunt.

Eſt Catech. §. Sed vt ab vniuerſo genere &c.

Habentur huiuſmodi minæ præſertim apud Prophetas, vt Amos 8. cap. clamat Propheta: *Audite hoc qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quomodo tranſibit menſis & venumdabimus merces & ſabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus mẽſuram & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.* Sunt in eadem ſententia multa apud Prophetam Hieremiam 5. & 21. & 22. & Eſaiam 3. cap. Et Zachariam 7. & Malachiam 3. & in Prouerb. cap. 21. & apud Eccleſiaſticum cap. 10.

Imò non eſt dubitandum quin rapinæ, & huiuſmodi pauperum oppreſsiones, magna ex parte ſunt cauſæ malorum & calamitatum, quibus hæc ætas comprimitur.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Adducetur populus ad largas eleëmoſynas faciendas, & ad proſequendum egentes & mendicos omni libera-

liberalitatis ac benignitatis officio, propoſitis illi maximis præmijs, quæ beneficis & largis, & in hac & in futura vita daturum ſe Deus pollicetur.

Eſt Catech. §. Verùm vt aſſueſcant chriſtiani, &c.

Promiſsiones huiuſmodi paſsim in ſcripturis quilibet facillimè reperiet.

QVAESTIO VI. ET POSTREMA.

An furtum & rapina aliqua ratione excuſari poſſint apud Deũ? Et: Quid reſpondendum eſt quorũdam furũ & raptorum excuſationibus?

CONCLVSIO I.

FVrtum & rapina à peccato excuſari non poſſunt.

Eſt Catech. §. Sed quia non ſunt. Et D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 8.

Et ratio eſt: Quia furtũ & rapina de ſe mala ſunt, neque vlla circumſtãtia bona fieri poſſunt, ſicut nec homicidium nec falſum teſtimonium.

CONCLVSIO II.

FVrtum & rapina non modò excuſationibus nõ minuuntur, ſed mirum in modum augentur.

Eſt Catech. §. Imò verò furtum vt illa purgatione.

Quomodo excuſatio aggrauet peccatum vide, D. Thomam 2. 2. q. 13. art. 3. ad 3.

CON-

CONCLVSIO III. QVA CVM ALIQVOT SEQVENTIBVS reſpondetur alteri parti quæſtionis.

Nobilibus quibuſdam qui culpam extenuare ſibi videntur, ſi ſe affirmârint non cupiditate aut auaritiâ ad detrahendum alteri ſua defēdere, ſed tuēda cauſa amplitudinis familiæ & maiorum ſuorū quorum exiſtimatio & dignitas rueret, niſi rerum alienarum acceſſione fulciretur; reſpondendum eſt, ſimulq́; demonſtrandum vnam eſſe rationem conſeruandi & amplificandi copias, & opes, maiorumq́; gloriam, ſi Dei volūtati paruerint, ſi eius præcepta ſeruârint, quibus contēptis, fundatæ & optimè cōſtitutæ opes euertūtur; reges ex regio ſolio, & ſummo gradu honoris præcipites exturbantur, in quorum locum infimi interdùm homines, & qui ſummo illis in odio fuerunt, diuinitus vocantur.

Eſt Catech. §. Ecce nobilium hominum non ferendæ deliciæ, &c.

Incredibile eſt quantoperè his ſuccenſeat Deus. Cuius rei teſtis eſt Eſaias, apud quē ſunt illa Dei verba cap. 1. *Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligūt munera, ſequuntur retributiones, propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël; Eheu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis, & conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.*

CONCLVSIO IIII.

Illis qui non iam illam afferunt cauſam ſplendoris & gloriæ, ſed victus & vitæ commodiorem facultatem & elegantiam; reſpondendū & oſtēdendum eſt, quàm impia ſit eorum & actio & oratio, qui vllam commoditatem anteferant

Dei

Dei voluntati & gloriæ, quam negligēdo eius præcepta offendimus [illegible] *in modum. Etsi quæ potest esse in furto cōmoditas, quod* [illegible] *incommoda consequantur?*

Eſt Catech. §. Non deſunt qui [illegible].

Furtum multa ſequi incommoda probat Eccleſiaſticus cap. 5. *Super furem enim* [illegible] *confuſio & pœnitētia.* Sed fac eſſe, vt cum illis non agatur [illegible] incommodè: dedecorat fur diuinum nomē: repugnat eius [illegible] voluntati, [illegible] ipſius præcepta [illegible] quo ex fonte omnis error, omnis improbitas, omnis fluit impietas.

CONCLVSIO V.

IIs qui [illegible] *qui detrahunt aliquid* [illegible]*, &* [illegible] *qui ea detractione nihil* [illegible] *quidem, respondendū eſt, miseram* [illegible] *nem: neque enim furtum* [illegible] *furtum, nec* [illegible] *ſuum auctorem æternæ pœnæ reum conſtituit.*

Eſt Catech. §. Quid quòd audire licet, &c. Eſt per ſe ſatis clara.

CONCLVSIO VI.

ILlis qui putant ſuam ſatisfactionem & excuſationem accipi debere, quòd eam furandi cōſuetudinem [illegible]*, vt non facile poſſint ab illa & actione deſiſtere,* [illegible] *eſt, quòd niſi audierint Apoſtolum dicentē ad Epheſ.* [illegible] *Qui furabatur iam non furetur velint nolint etiam* [illegible] *capient æternorum ſupplicorum.*

Eſt Catech. §. Putat alius ſatisfactionem ſuam.

CONCLVSIO VII.

NOnnullis qui excuſant ſe occaſione [illegible] *aliquid* [illegible]*, eſt enim illud tritum* [illegible] *verbum, fures* [illegible] *occaſione, reſpondendū eſt,* [illegible] *eſſe prauis cupiditatibus.*

Eſt Catech. §. Nonnulli ſunt qui excuſant ſe.

Probatur & explicatur. Nam ſi continuò eſt res perficiendum id quod libido perſuaſerit; quis modus, quis finis erit ſcelerum ac flagitiorum? Turpiſſima eſt igitur illa defenſio, & potius intẽperantiæ & iniuſtitiæ cõfeſſio. Nam qui dicit ſe nõ ideò peccare, quia nullã habet peccãdi occaſionem; idẽ propemodùm fatetur ſe ſemper oblata occaſione peccaturũ.

CONCLVSIO VIII.

Illis qui furari ſe dicunt vlciſcendi cauſa, quòd ab alijs eâdem iniuriâ ſint affecti, reſpondendum eſt, primùm nemini licere iniurias perſequi: Deinde, non poſſe quemquam rei ſuæ iudicẽ eſſe: tum multò minus concedi, vt pœnas ab alijs repetant eorum quæ alij in eum peccauerunt.

Eſt Catech. §. Sunt qui furari ſe dicant.

CONCL. IX. ET POSTREMA.

Illis qui ſe illa ratione ſatis defenſos tectoſq; arbitrãtur, quòd cùm ſint ære alieno oppreſſi, aliter eo liberari non poſſint niſi illud furto diſſoluant, reſpondendũ eſt, Nullum eſſe grauius æs alienum, & quo magis prematur humanũ genus, quàm debitum illud cuius in diuina precatione quotidiè meminimus, Dimitte nobis debita noſtra; Quare illud inſaniſſimi hominis eſſe plus velle Deo debere, id eſt, plus peccare, vt, quod debet hominibus, diſſoluat; multoq; praſtare conijci in carcerem, quàm mandari ſupplicijs inferorum ſempiternis. Longè etiam eſſe grauius Dei, quàm hominũ iudicio condemnari. Porrò autem ſupplices ipſos ad Dei opem ac pietatem confugere debere, à quo quid opus ſit, poſſint impetrare.

Eſt Catech. §. Sunt qui ſe furari dicant.

Sunt alia excuſationũ genera, quibus parochi prudẽtes ac ſui officij diligẽtiſsimi, facilè poterũt occurrere, vt aliquãdo habeãt populũ ſectatorẽ bonorum operum. Atque ita etiam ſatis de hoc præcepto.

CAPI-

CAPITIS VIII. ELVCIDATIO.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

INITIO huius capitis, ante illius explicationem, vnum cum Catechiſmo obſeruandum eſt, nimirùm diligentem explicationem huius præcepti, & officij, quod illo præcipitur, admonitionem non ſolùm vtilem eſſe, ſed propemodùm neceſſariam, idque propter duas potiſsimum cauſas.

Prima, quia linguæ vitium, quod hic prohibetur, quàm latiſsimè patet. Docet hoc D. Iacobus cap. 3. illis verbis: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* Quòd etiam illâ Prophetæ ſententiâ confirmatur Pſalm. 15. *Omnis homo mendax*, vt propemodùm vnũ hoc ſit peccatũ, quod ad omnes homines pertinere videatur.

Altera, quia ex hoc vitio innumerabilia ferè mala proficiſcuntur. Teſtatur hoc D. Iacobus ſuæ epiſtolæ cap. 5. illis verbis: *Lingua modicum quidẽ membrũ eſt, & magna exaltat; ecce quantus ignis, quàm magnã ſyluam incendit*, & quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Videmus enim ſępè maledici hominis culpâ, facultates, famam, vitam, animæ ſalutem amitti, vel eius qui læditur, quod contumelias patienter ferre non poſsit, ſed eas impatienti animo perſequatur; vel eius qui

lædit, quòd prauo pudore & falſa cuiuſdam exiſtimationis opinione deterritus, adduci non poſsit, vt illi, qui offenſus ſit, ſatisfaciat.

MONITIO.

Quare hoc loco Parochi & Catechiſtę monere debebunt fideles, vt quantas poſsint maximas Deo gratias agant de hoc ſalutari præcepto non dicendi falſi teſtimonij, quo non ſolum ipſi alijs iniuriam facere vetamur, ſed etiam hac obedientia ab aliorum iniuria prohibemur.

QVAESTIO I.

Quæ peccata prohibentur hoc præcepto quatenus eſt negatiuum?

ANTE reſolutionem animaduertẽdum eſt, in hoc præcepto, ſicut & in præcedentibus duas leges cõtineri; alteram prohibẽtem ne falſum dicatur teſtimoniũ; alterã iubentem, vt ſimulatione fallacijſque ſublatis, dictã & facta noſtra ſimplici veritate metiamur. Huius officij nos admonuit Apoſtolus ad Epheſ. 4. illis verbis: *Veritatem facientes in charitate, in illo creſcamus per omnia.*

Hoc prænotato reſpondetur quæſtioni ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

*Q*Vamuis nomine falſi teſtimonij ſignificetur quicquid in bonam vel in malã partẽ de altero conſtanter dicitur, ſiue in iudicio, ſiue extra iudiciũ, tamẽ præcipuè prohibetur illud teſtimoniũ quod in iudicio falsò dicitur à iurato.*

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Sed prior huius præcepti pars, &c. Et explicatur ſequenti difficultate.

DIFFICVLTAS I.

Quare præcipuè prohibetur falſum teſtimonium in iudicio dictum?

Quia illud maximè periculoſum & nocium eſt proximo; teſtis enim in iudicio per Deum iurare debet, vnde oratio teſtificantis plurimùm fidei & põderis habere ſolet, iuratos enim teſtes, niſi legitimis exceptionibus excludantur, aut eorum aperta ſit improbitas & peruerſitas, ne Iudex quidem ipſe poteſt reijcere, præſertim cùm extet iuſſum diuinæ legis Deut. 19. vt *in ore duorum vel trium ſtet omne verbum.*

DIFFICVLTAS II.

Quid vocabulo proximi intelligi debet in præcepto?

Vocabulo proximi, vt ex Chriſti Domini doctrina colligitur, intelligitur quicumque eget opera noſtra, ſiue ille propinquus ſit, ſiue alienus, ſiue ciuis, ſiue aduena, ſiue amicus, ſiue inimicus. Nefas enim eſt exiſtimare contrà inimicis licere falſum aliquid dicere pro teſtimonio, quos iuſſu Dei ac Domini noſtri diligere iubemur, Matth. 5. cap.

DIFFICVLTAS III.

An etiam ſibi ipſi quis poſſit dici proximus?

Dicendum quod vnuſquiſque quadam ratione ſibi proximus eſt.

DIFFICVLTAS IIII.

An liceat alicui in ſeipſum dicere falſum teſtimonium?

Dicendum, illos peccare contrà hoc præceptum, qui in ſe falſum teſtimonium dicunt. Nam qui hoc committunt, ſibi ipſis notam inurunt ignominiæ, & ſeipſos & eccleſiam lædũt, cuius ſunt membra: Quomodo etiam qui mortem ſibi conſciſcunt nocent

ciuitati. Ita enim eſt apud Auguſtinum lib. 1. de Ciuitate Dei cap.20. *Nec rectè intelligentibus poterat videri non eſſe prohibitum, vt aduerſus ſeipſum quiſque falſus teſtis aſſiſteret, eò quòd in præcepto additum fuit, contrà proximũ tuum. Sed non ideò ſi aduerſus ſeipſum quiſque falſum teſtimoniũ dixerit, ab hoc crimine ſe putet alienum; quandoquidem regulam diligendi proximi à ſe ipſo dilector accepit.*

DIFFICVLTAS V.

An ſaltem liceat falſum teſtimonium loqui pro proximo, vt ei aliquid vtilitatis & commodi conciliemus?

Dicendum, quòd quia in præcepto prohibemur proximũ lædere falſo teſtimonio, nemo propterea contrarium nobis permitti arbitrari debet, quaſi videlicet peierando liceat conciliare ei, qui nobiſcum naturâ ac religione coniunctus, aliquid vtilitatis & commodi. Nemini enim mẽdacio & vanitate, multò minùs periurio ſtudendum eſt. Quare S. Auguſtinus de mendacio ad Creſcentium cap.12. & 13. docet ex Apoſtoli ſententia, mendacium in falſis teſtimonijs numerandum eſſe, etiamſi in cuiuſquam falſa laude dicatur. Nam locum illum tractans 1. ad Corinth.13. *Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, ſi teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit ſi mortui non reſurgent.* Falſum, inquit, *teſtimonium vocat Apoſtolus, ſi quis de Chriſto, & quòd ad eius laudem videtur pertinere, mentiatur.*

Deinde ſępiſsimè cõtingit, vt, qui alteri fauet, obſit alteri. Nã errãdi cauſa affertur Iudici, qui interdũ falſis teſtib⁹ adduct⁹, cõtrà ius ſecũdũ iniuriã ſtatuit, & iudicare cogitur. Nonnunquã etiã fit vt qui ob falsũ alicuius teſtimoniũ cauſam iudicio vicerit, idq; impunè tulerit, exultãs iniquâ victoriâ, aſſueſcat corrũpere, & adhibere falſos teſtes, quorũ opera ſperat ſe

poſſe

ad id, quodcunque cupierit, peruenire. Eſt id & ipſi teſti grauiſsimum, quòd & ab eo, quem iureiurando ſubleuârit, & adiuuerit, falſus & periurus agnoſcitur: & ipſe quòd ei è ſententia ſuccedit ſcelus, quotidiè maiorem exercitationem, & conſuetudinem capit impietatis & audaciæ.

CONCLVSIO II.

NOn ſolùm teſtium mendacia & periuria prohibētur, ſed etiam & accuſatorum, & reorum, & patronorū, & cognitorum, & procuratorum, aduocatorum, & omnium denique qui iudicia conſtituunt.

Eſt Catech. §. Vt igitur teſtium vanitas, &c.

De iniurijs verborum, quæ in iudicijs, & extrà illa committuntur à teſtibus, accuſatoribus, reis, aduocatis, procuratoribus, & quibuſcumque alijs, conſule D. Thom. 2.2. q. 67. vſque ad 77.

CONCLVSIO III.

DEinde vetatur omne teſtimoniū non modò in iudicio, ſed etiam extrà iudicium, quod alteri incommodum aut detrimentum poßit afferre.

Eſt Catech. §. Poſtremò vetat Deus.

Eſt enim in Leuitico cap. 19. quo loco hæc præcepta iterantur his verbis: *Non facies furtum, Non mētiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.*

CONCLVSIO IIII.

PRætereà omne mendacium hoc præcepto condēnatur.

Eſt Catech. §. Vt nemini dubium eſſe poſsit.

Hanc apertiſsimè teſtatur Dauid Pſalm. 5. in hunc modum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Ex hac vlterius ſequitur, non ſolùm mendaciū pernicioſum, ſed & iocoſum hoc loco prohiberi. Etſi

enim in illis nemo damnum vel lucrum fecerit, tamen alium ioco vel officij cauſa fallere omninò indignum eſt. Ita enim nos admonet Apoſt. ad Epheſ. 4. cap. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*: Nam in eis eſt ad frequẽs, grauiuſque mendacium magna procliuitas, & ex iocoſis mendacijs capiunt homines mentiendi conſuetudinem; Vnde veniũt in opinionem non eſſe veraces. Quamobrem vt fidem faciat eorum oratio, neceſſe habent iurare perpetuò.

De mẽdacijs, pernicioſo, officioſo, & iocoſo vide D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. & 4.

CONCLVSIO V.

P*Rohibetur quoque hoc præcepto deteſtabilis libido & conſuetudo detrahendi alteri.*

Eſt Catech. §. Prohibetur autẽ hoc præcepto, &c.

Quàm deteſtabile ſit detractionis vitiũ ex multis oſtendi poteſt.

Primò ex plurimis & grauiſſimis incommodis & malis quæ ex eo naſcuntur.

Secundò ex eo, quod hoc vitium maledicè & cõtumelioſè dicendi occultè in alterum paſſim improbant diuinæ litteræ. Sic enim Propheta Dauid Pſal. 100. *Cum hoc*, ſcilicet detractore *non edebam*: & S. Iacobus cap. 4. ſuæ epiſtolæ: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.*

Tertiò, ex eo, quòd non ſolùm præceptis, ſed etiã propoſitis exemplis ſacræ ſcripturæ huius ſceleris magnitudinem nobis oſtendunt: Nã & Aman, Eſter 13. confictis criminibus adeò incendit in Iudæos Aſſuerium, vt is omnes eius gentis homines imperârit occidi. Referta eſt huiuſmodi exẽplis ſacra ſcriptura, quorum cõmemoratione fideles à rei improbitate facilè deterrebuntur.

Vide

Vide quoque de hac re D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. & 2.

DIFFICVLTAS VNICA.

Qui ſunt in numerum detractorum referendi?

Imprimis detractores cenſentur non ſolùm illi, qui calumniâ hominum exiſtimationem & famam lædunt, ſed qui crimina etiam vera augent & amplificant.

Deinde, qui quod occultius ab aliquo cõmiſſum ſit, quod vbi reſcitum fuerit, graue aut turpe ſit ad famam: eam rem vbi, quando, quibus neceſſe non ſit promulgârit, is obtrectator & maledicus iure dicitur.

Præterea inter obtrectatores nulli ſunt capitaliores, quàm qui catholicæ doctrinæ, eiuſque prædicationibus obtrectant.

Item detractatores ſunt, qui malarum doctrinarum & errorum magiſtros extollunt laudibus.

Inſuper qui detrahentibus & maledicentibus hominibus aures patefaciunt, nec reprehendunt obtrectatores, ſed illis libenter aſſentiuntur. *Detrahere enim vel detrahentem audire*, ſcribunt SS. Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum, & Bernardus lib. 2 de conſideratione ad Eugenium, *vtrum damnabilius ſit non facile conſtat. Non enim eſſent qui detraherent, ſi non adeſſent qui detrahentes audirent.*

Poſtremò detractores ſunt & illi, qui ſuis artificijs diſtrahunt homines, & inter ſe committunt, magnopereque ſerendis diſcordijs delectantur, vt ſummas coniunctiones & ſocietates fictis ſermonibus dirimẽtes, amiciſsimos viros ad immortales inimicitias & ad arma compellunt. Hanc peſtem ſic deteſtatur Dominus Leuit. 19. *Non eris criminator neque ſuſurro in*

populo. Tales erant multi ex conſiliarijs Saülis, qui eius voluntatem à Dauide alienare, & in illum Regē concitare conabantur. Vide lib. 1. Reg. cap. 22. & 24.

CONCLVSIO VI.

P*Rohibetur etiam aſſentatio, quā blandi homines blanditijs & ſimulatis laudibus influunt in aures & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniā, & honores aucupātur.*

Eſt Catech. §. Peccant denique in hanc partē, &c.

Aſſentatores ſunt, qui *dicunt*, vt eſt apud Prophetā Eſaiam 5. cap. *malum bonum & bonum malum*: quos vt arceamus & pellamus à conſuetudine noſtra, monet nos Dauid Pſalm. 140. illa oratione: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

DIFFICVLTAS I.

Quomodo cenſeri poteſt prohibita eſſe hoc loco aſſentatio, cùm aſſentatores proximo minimè maledicant?

Dicendum, quia licet non maledicant, tamen ei maximè nocent, qui vel laudandis eius peccatis, afferunt ipſi cauſam perſeuerādi ſubinde in vitijs quamdiu vixerit.

DIFFICVLTAS II.

Quæ inter aſſentationes ſunt magis pernicioſæ?

Illa aſſentatio deterior eſt, quæ ad proximi calamitatem & perniciem adhibetur: Sic Saül cùm Dauidem furori & ferro Philiſthæorum obijcere cuperet vt occideretur, ei blādiebatur illis verbis, 1. Reg. 18. *Ecce filia mea maior Merob: ipſam dabo tibi in vxorem: tantūmodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* Sic Iudæi inſidioſa oratione ſunt affati Chriſtum Dominū, Matth. 22. *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,*

Longè

Longè pernicioſior eſt oratio amicorũ, affinium, & cognatorum, qua ad eos interdùm vtuntur aſſentatoriè, qui mortifero morbo affecti, iam ſint extremo Spiritu; dum affirmant nullum eſſe tum ei à morte periculum, dum lætum & hilarem eſſe iubẽt, eumque à peccatorum confeſsione, tãquam à triſtiſſima cogitatione deterrent; dum deniq; eius animũ auertunt ab omni cura, & meditatione extremorum periculorum, in quibus maximè verſatur.

CONCLVSIO VII.

Vetantur denique maledicta, probra, contumeliæ, & alia huiuſmodi quæ committuntur libellis, quos famoſos vocant.

Eſt Catech. §. Sed illis etiam maledictis.

CONCLVSIO VIII.

Poſtremò, priore parte huius præcepti quâ negatiuum eſt, prohibetur & repudiatur Simulatio.

Eſt Catech. §. Poſtremò priore parte, &c.

Vt intelligatur concluſio ſciendum eſt, quòd nõ modò quæ ſimulata dicuntur, ſed etiam quæ ita fiũt, cum ſcelere coniuncta ſunt; tam enim verba quàm facta, notæ ac ſigna quædam ſunt eorum quæ ſunt in animo cuiuſque, ob eamque cauſam Dominus ſæpè Phariſæos arguens, vt Matth. 15. & alibi ſæpius, hypocritas appellat.

Et hæc de priore præcepti parte, quæ eſt negatiua & ad prohibendũ ſpectat: Nunc explicandũ eſt quid in altera, quæ eſt affirmatiua præcipiat Dominus.

QVAESTIO II.

Quæ præcipiuntur hoc præcepto quatenus eſt affirmatiuum?

CON-

CONCLVSIO I.

PRimò præcipitur, *vt iuſtè & ex legibus forenſia iudicia exerceantur, néue occupent homines & vſurpent Iudicis officium.*

Eſt Catech. §. Pertinet autẽ hæc præcepti vis, &c. Ratio eſt clara; Non enim fas eſt alienum ſeruum iudicare, vt ſcribit Apoſtolus ad Rom. 14.

Deinde non debent Iudices re & cauſa incognita ſententiam ferre. In hoc vitio fuit ſacerdotũ & ſcribarum conſilium, qui dè ſancto Stephano iudicârũt. Hocitem peccatum fuit Magiſtratus Philippẽſium, de quibus inquit Apoſtolus Act. 16. *Cæſos nos publicè indemnatos, homines Romanos, miſerunt in carcerẽ, & nunc occultè nos eijciunt.*

Præterea non debent condemnare innocẽtes, & nocentes abſoluere.

Item non debent pretio aut gratiâ, aut odio, aut amore moueri, Sic enim Moyſes ſeniores admonet, quos populi iudices conſtituerat Deuteron. 1. cap. *Quod iuſtũ eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audietis vt magnum, nec accipiẽtis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.*

De officijs & peccatis Iudicum vide D. Thom. 2. 2. q. 67. per totam.

CONCLVSIO II.

PRæcipitur *ſecundò vt rei & ſontes verum confiteatur, cùm ex Iudicij formula interrogantur.*

Eſt Catech. §. De reis autem & ſontibus, &c.

Eſt enim teſtimonium ac prædicatio quædam, illa confeſsio laudis & gloriæ Dei, ex Ioſuæ ſentẽtia cap. 7. qui Acham ad veri cõfeſsionẽ adhortatus, inquit: *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël.*

De officijs & peccatis reorum conſule D. Thom. 2.2.q.69. per totam.

Quod iuridicè interrogati mentiri non poſsint, habes art. 2.

CONCLVSIO III.

P*Racipitur deinde vt teſtes verum teſtimonium ferant.* Eſt Catech. §. Sed quoniam hoc præceptum teſtes, &c.

Nota diligenter, maximè eſſe in humanis rebus vſum veri teſtimonij; Nam ſunt res innumerabiles quas à nobis ignorari neceſſe ſit, niſi eas ex teſtium fide cognoſcamus: Quare nihil tam neceſſarium eſt quàm teſtimoniorum veritas in ijs rebus, quas nec ipſi ſcimus, neque tamen licet ignorare. De quo extat illa ſancti Auguſtini vel Iſidori ſententia lib. 3. de ſermo bono cap. 59. *Qui* (inquit) *veritatem occultat, & qui dicit mendacium, vterque reus eſt; Ille quia prodeſſe non vult, hic quia nocere deſiderat.*

DIFFICVLTAS VNICA.

An ergo nullo caſu liceat verum tacere?

Dicendum, licere interdùm verum tacere, ſed extrà iudicium; Nam in iudicio vbi teſtis legitimè interrogatur à Iudice, vera omnia patefacienda ſunt. Quo loco tamen cauendum eſt teſtibus, ne ſuæ memoriæ nimium cōfiſi, quod exploratum non habet, id pro certo affirment.

De officijs & peccatis teſtium conſule D. Thom. 2. 2. q. 70. per totam.

CONCLVSIO IIII.

P*Racipitur quoque patronis cauſarum, aduocatis, actoribus & petitoribus, vt opera ac patrocinio ſuo non deſint neceſſarijs hominum téporibus, & egentibus benignè ſubueniãt, tum inia-*

tum iniuſtas cauſas defendendas non ſuſcipiant: *Neque calumniâ lites protrahant, neque alant auaritiâ.*

Eſt Catech.§ Reliqui ſunt patroni,&c.

Quòd ad mercedem attinet laboris & operæ ſuæ, illa iure & æquo metientur.

Vide D.Thom. 2.2.q. 71.art.4.

De officijs aduocatorũ & eorum peccatis tractat D.Thomas diligenter 2.2.tota quæſt.iam allegata.

CONCLVSIO V.

PRæcipitur etiam petitoribus & accuſatoribus, ne cuiuſquam amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent.

Eſt Catech.§. Petitores verò ac accuſatores monendi,&c.

De officijs accuſatorum & eorum peccatis, vide D.Thom. 2.2.q. 68.pet totam.

CONCLVSIO VI.

POſtremò præcipitur pijs omnibus vt in congregationibus & collegijs verè ſemper atque ex animo loquantur, nihil dicant quod alterius exiſtimationi poſſit officere, ne de illis quidem à quibus lædi ſe & exagitari intelligunt.

Eſt Catech.§.Iuſſum hoc denique diuinitus.

Huius ratio eſt; Nam omnes fideles propoſitum hoc habere debent, ſibi cum alijs etiam inimicis eam neceſſitudinem & ſocietatem intercedere, vt mẽbra ſint eiuſdem corporis.

QVAESTIO III.

Quæ ſunt præcipua remedia aduerſus mendacium, & huiuſce generis crimina?

CON-

CONCLVSIO I.

Primum remedium eſt, proponere ſibi ſummam huius ſceleris miſeriam, ac turpitudinem.

Eſt Catech. §. Vt autem libentius.

Turpitudo & miſeria huius peccati ex eo patet, quòd in ſacris litteris mendacij pater Dæmõ dicitur; quòd enim Dęmon in veritate non ſtetit, mẽdax eſt, & mendacij parens, Ioann. 8.

CONCLVSIO II.

Secundum eſt, proponere ſibi ob oculos ea mala quæ mẽdacium conſequuntur; & quoniam ea innumerabilia ſunt, ſaltẽ ſecum animo reuoluere fontes & capita incõmodorum & calamitatum, quæ inde conſequuntur.

Eſt Catech. §. Adiunget ad eijciendum, &c.

Primum caput incommodorum eſt, quòd homo vanus & mendax cadit in odium & offenſionẽ Dei. Declaratur hoc auctoritate Salomonis Prouerb. 6. c. vbi ſic ait: *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinãs cogitationes peſſimas, veloces pedes ad currendum in malum, proferẽtem mendacia, teſtẽ fallacem,* & quæ ſequuntur. Quis enim ei præſtet incolumitatem, qui inſigni in odio ſit apud Deũ, quò minus grauiſsimis afficiatur ſupplicijs?

Secundum, quòd nihil impurius aut fœdius (vt inquit Iacobus 3. cap. ſuæ epiſtolæ) quàm in eadẽ lingua quâ benedicimus Deum & patrem, maledicere homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt, ita vt fons de eodem foramine emanet dulcem & amaram aquam; quæ enim lingua prius laudẽ & gloriam Deo tribuebat, poſteà quantũ in ea eſt, eũ ignominiâ afficit ac dedecore mentiendo.

Tertium,

Tertium, quòd à cęleſtis beatitudinis poſſeſsione mendaces excluduntur. Cùm enim in hunc modum quæreret à Deo Dauid Pſalm. 14 *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Reſpondit Spiritus ſanctus: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.*

Quartum & maximum illud in mēdacio incommodū eſt, quòd ferè inſanabilis eſt is animi morbus. Cùm enim peccatum, quod, in ferēdo falſo crimine, aut proximi famæ, aut exiſtimationi obtrectando, commiſſum ſit non remittatur, niſi calumniator ei, quem criminatus fuerit, ſatisfaciat iniuriarum, id autem difficile fiat ab hominibus: primò, vt anteà monuimus, pudore, & inani quadā dignitatis opinione deterritis: qui in eo peccato ſit, hunc addictum eſſe æternis inferorum pœnis, dubitare non poſſumus. Neque enim quiſquam ſperet, ſe calumniarū, vel obtrectationis veniam cōſequi poſſe, niſi prius ei ſatiſfaciat, de cuius dignitate & fama, aut publicè in iudicio, aut etiam in priuatis & familiaribus cōgreſsibus, aliquid detraxerit.

Quintum & poſtremum eſt, quod latiſsimè patet hoc detrimentum, & in cæteros diffunditur, quia vanitate ac mendacio fides ac veritas tolluntur, arctiſſima vincula ſocietatis humanæ: quibus ſublatis ſequitur ſumma vitæ confuſio, vt homines à Dæmonibus nihil differre videantur.

CONCLVSIO III.

Tertium & poſtremum remedium eſt, vitare loquacitatem.

Eſt Catech. §. Docebit porrò vitandam eſſe loquacitatem.

Ratio

Ratio eſt clara; Nam illius vitatione & reliqua peccata fugiuntur; & eſt magna cautio mendacij, à quo vitio loquaces ſibi haud facilè tẽperare poſſunt.

QVAESTIO IIII. ET POSTREMA.

An mendacium aliqua ratione excuſari poſſit? Et: Quid reſpondendum eſt vanis quorundam hominũ mendacium excuſationibus?

CONCLVSIO I.

Mendacium nulla ratione à peccato excuſari poteſt.

Eſt Catech. §. Poſtremò ijs illum errorem eripiet, &c.

Fundamentalem huius rationem habes apud D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA II. PARTI QVAESTIONIS.

Illis qui ſua mendacia excuſant & defendunt prudẽtium exemplo, quorum eſſe aiunt mentiri in tempore, reſpondendum eſt id quod veriſſimum eſt, prudentiam carnis mortẽ eſſe, teſte D. Paulo ad Roman. 8. Hortandi potius ſunt omnes fideles, vt in difficultatibus & anguſtijs Deo confidant, neque ad artificium mentiendi confugiant; Nam illo qui vtuntur perfugio, facilè declarant ſe ſuâ magis niti prudentiâ, quàm in Dei prouidentia ſpem ponere.

Eſt Catech. §. Poſtremò ijs illum, &c.

CONCLVSIO III.

Illis qui cauſã mendacij ſui conferũt in eos, à quibus ſunt mendacio decepti, reſpondendũ eſt, non licere hominibus

ſe ipſos vlciſci, neque malum malo compenſandum eſſe, ſed potius vincendum in bono malũ: Quòd ſi etiam fas eſſet hanc referre gratiã, nemini tamẽ vtile eſt ſe ſuo vlciſci detrimẽto; Eſt autem id grauiſſimum detrimentum, quod mendacio dicendo facimus.

Eſt Catech.§. Qui cauſam ſui mẽdacij, &c.

CONCLVSIO IIII.

ILlis qui aſſerunt humanæ naturæ imbecillitatem & fragilitatem; reſpondendum & tradendum erit hoc officij præceptum, vt diuinum auxilium implorent, nec infirmitati humanitatis obtemperent.

Eſt Catech.§. His qui afferunt, &c.

CONCLVSIO V.

ILlis qui conſuetudinem opponunt; reſpondendũ, ſi mentiri conſueuerunt, vt dent operam vt contrariam conſuetudinem capiant verè loquendi, præſertim cùm qui vſu & conſuetudine peccant, grauius delinquant, quàm cæteri.

Eſt Catech.§. Qui conſuetudinem opponunt.

CONCLVSIO VI.

ILlis qui ſe tegunt excuſatione cæterorũ hominũ quos paſſim mentiri & peierare contendunt; reſpondendũ eſt, nõ eſſe imitandos malos, ſed reprehendendos & corrigendos. Cùm autẽ ipſi mentimur, minus auctoritatis in reprehenſione & correctione alterius noſtram habere orationem.

Eſt Catech.§. Et quoniam non deſunt, &c.

CONCLVSIO VII.

ILlis qui ſe ita defendũt, quòd ſæpè vera dicẽdo incõmodè ſint affecti; reſpondendũ eſt, eã eſſe accuſationem, non defenſionem, cùm ſit officiũ chriſtiani hominis quamuis potius facere iacturam, quàm mentiri.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Alios ſe ita defendentes.

CONCLVSIO VIII.

Illis qui dicunt ſe ioci cauſa mentiri; reſpondendum eſt, vſum mentiendi magnam in eo genere peccandi conſuetudinem augere; deinde inculcandum, omnis otioſi verbi reddendam eſſe rationem, Matth. 12.

Eſt Catech. §. Reſtant duo genera, &c.

CONCL. IX. ET VLTIMA.

Illis qui ſe mentiri dicunt vtilitatis gratiâ; reſpondēdum illis verbis, nō tam excuſationem, quàm grauiorē accuſationem adferre, quippe qui præ ſe ferant ſe minimè illis Dei verbis fidem & auctoritatem tribuere, quæ Chriſtus Dominus habet Matth, 5. Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Eſt Catech. §. Proximos etiam hos, &c.

Et hæc ſufficiunt pro explicatione octaui præcepti.

CAPITIS IX ELVCIDATIO.

DE NONO, ET DECIMO PRAECEPTO.

Non concupiſces domum proximi tui; Nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

ANTE explicationem horũ præceptorum, quinque cum Catechiſmo animaduertenda ſunt;

Primum, his duobus præceptis rationẽ aſsignari, qua cætera præcepta ſeruentur; Nam quod his verbis preſcriptùmeſt, eò ſpectat, vt ſi quis ſtudet ſuperiora decalogi precepta ſeruare, hoc maximè faciat, ne concupiſcat: quoniam qui non concupiſcet, ſuis contentus aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo immortali gloriã tribuet, gratias eidem maximas aget, ſabbathum colet, id eſt, quiete perpetua fruetur, maioreſque venerabitur, neminẽ denique neque re, neq; verbis, neque vllo alio modo lædet; Nam ſtirps ac ſemen omnium malorum eſt praua concupiſcentia.

Secundum, quòd quamuis propter ſimilitudinem argumenti ſimul explicentur hæc duo præcepta, aliquam tamen eſſe inter illa differentiam, ſicut & inter duas concupiſcentias, quæ illis prohibentur; Nam ex duabus his concupiſcentijs altera ſolùm ſpectat

quid

quid vtile ſit, quid fructuoſum; Alteri propoſitæ ſunt libidines & voluptates: Si quis enim fundum, aut domum concupiſcit, is lucrum potius & quod vtile eſt conſectatur, quàm voluptatem: Si verò alienam vxorem appetit, non vtilitatis, ſed voluptatis cupiditate ardet.

Tradũt hanc differentiã D. Auguſtinus lib. quæſt. in Exod. quæſt. 77. D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 3. & 4.

Tertium, quod horum duorum præceptorũ duplex eſt neceſsitas,

Vna, vt ſexti, ſeptimique præcepti ſententia explicaretur. Nam etſi quodam naturæ lumine intellectum eſt, alienæ vxoris potiundæ cupiditatem prohiberi, vetito adulterio; nam ſi concupiſcere liceret, fas item eſſet potiri: tamen pleriq; ex Iudæis peccato obcęcati, in eam opinionem adduci non poterant, vt crederent, id à Deo prohibitum eſſe: imò vero lata, & cognita hac Dei lege, multi, qui ſe legis eſſe interpretes profitebantur, in eo errore verſati ſunt: Id quod animaduertere licet ex illo Domini ſermone apud Sanctum Matthæum cap. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis; Ego autem dico vobis*, & quę ſequuntur.

Altera eſt horum præceptorum neceſsitas, quòd aliqua diſtinctè, explicateque vetantur, quæ ſexto & ſeptimo explicatè non prohibebãtur. Nam exempli cauſa, ſeptimum præceptũ prohibuit, ne quis iniuſtè concupiſcat aliena, aut eripere conetur: Hoc autem vetat, ne vllo modo quis concupiſcat, etſi iure, legeq; aſſequi id poſsit, ex cuius adeptione proximo damnum importari videat.

Quartum, nos his duobus pręceptis non ſolùm ad id inſtitui vt cupiditates noſtras cohibeamus, ſed etiã

Dei ergà nos pietatem, quæ immenſa eſt, cognoſcamus. Nam cùm ſuperioribus præceptis, nos quibuſdã quaſi præſidijs muniuiſſet, ne quis nos ipſos, aut noſtra violaret; hoc adiuncto præcepto, hoc maximè prouidere voluit, ne appetitionibus noſtris noſipſi læderemus: quòd facilè futurũ fuit, ſi omnia cupere, atque optare liberum nobis atque integrum eſſet. Hac igitur non concupiſcendi lege præſcripta, illud à Deo prouiſum eſt, vt cupiditatum aculei, quibus ad pernicioſa quæque incitari ſolemus, huius legis vi quodammodò excuſſi, nos minus vrgeant; maiuſq; propterea temporis ſpatium nos, moleſta illa cupiditatum ſollicitudine liberati, ad eã præſtãda pietatis, & religionis officia habeamus, quę Deo multa, maximeque debemus.

Quintum, his duobus poſtremis præceptis docemur legem Dei eſſe ſpiritualem, id eſt, eiuſmodi quę non externis ſolùm munerum functionibus, ſed etiã intimo animi ſenſu ſeruanda ſit.

Ex hoc apparet, hoc inter diuinas & humanas leges intereſſe, quòd hę rebus tantùm externis contẽtę ſint; illæ verò, quoniam animum Deus intuetur, ipſius animi puram ſinceramque caſtitatem, atque integritatem requirunt.

Eſt igitur diuina lex, quaſi ſpeculum quoddam, in quo naturę noſtræ vitia intuemur. Quamobrẽ dicit Apoſtolus ad Rom. 7. *Concupiſcentiam neſciebã, niſi lex diceret, Non concupiſces.* Cùm enim concupiſcentia, id eſt, peccati fomes, qui ex peccato originem habuit perpetuò nobis infixus inhęreat; ex quo agnoſcimus in peccato nos naſci: quapropter ſupplices ad eum confugimus, qui ſolus poteſt peccati ſordes eluere.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quæ prohibētur his duobus præceptis quatenus ſunt negatiua?

ANTE reſolutionem quæſtionis notandum eſt, hęc duo pręcepta hoc habere cum cæteris cōmune, vt partim aliquid prohibeant quatenus ſunt negatiua, & partim aliquid præcipiant quatenus implicitè cōtinent aliquid affirmatiuum.

Hoc præſuppoſito reſpondetur quęſtioni ſequētibus concluſionibus.

CONCLVSIO I.

Non prohibetur ipſa concupiſcendi vis, quâ tum ad bonum, tum ad malum vti licet.

Eſt Catech. §. Itaque hoc interdicto non ipſa concupiſcendi vis, &c.

Vt pleniùs intelligatur concluſio ſciendum eſt, concupiſcentiam eſſe commotionem quandam ac vim animi, quâ impulſi homines, quas non habent res iucundas apetunt. Hac appetunt cibum, potum cùm fament, & cùm frigent caleſcere cupiunt, & cōtrà cùm calent cupiunt frigeſcere.

. Non ergo ipſa vis concupiſcendi mala eſt, ſed potius recta, & Deo auctore à natura nobis inſita eſt, quanquam primorum parentum noſtrorū peccato factum eſt, vt illa naturæ fines tranſiliens vſqueadeò deprauata ſit, vt ad ea concupiſcenda ſæpè excitetur, quæ ſpiritui ac rationi repugnant.

Quinetiam hæc vis, ſi moderata eſt, ſuiſq; finibus cōtinetur, ſæpè etiā nō mediocres vtilitates prębet.

Nam illud primùm efficit, vt aſsiduis precibus Deum oremus, ſuppliceſque ab eo petamus, quæ maximè cupimus: Oratio enim cupiditatis noſtræ interpres eſt. Quòd ſi recta hæc concupiſcendi vis abeſſet, nó tam multæ preces eſſent in eccleſia Dei. Efficit præterea, vt chariora ſint nobis Dei munera; quò enim vehementiori alicuius rei cupiditate flagramus, eò charior illa nobis res eſt atque iucundior, cùm eam adepti ſumus: tum verò delectatio ipſa, quam ex re cupita ſentimus, facit vt maiore pietate gratias Deo agamus. Itaque ſi cócupiſcere aliquando licet, fateamur neceſſe eſt, non omnem cócupiſcendi vim prohibitam eſſe.

Cùm D. Paulus concupiſcentiam peccatum eſſe dixit; id in eam ſententiam accipiédum eſt, in quam Moyſes locutus eſt, Exod. 20. cuius ille teſtimonium affert, quod ipſius Apoſtoli oratio declarat. Nam illá carnis concupiſcentiam vocat in epiſtola ad Galatas cap. 5. *Spiritu*, inquit, *ambulate, & deſideria carnis non perficietis.*

De hac materia conſule D. Thom. 1.2. q.30. art.1

CONCLVSIO II.

Minus prohibetur cócupiſcendi vis cùm eſt moderata, & fines rationis non egreditur; multoq; minùs ſpiritua is illa recta mentis cupiditas, quá ad eorum imitationem imitamur, quæ carni repugnát.

Eſt Catech. §. Naturalis igitur illa cupiditatis vis.

Ratio prioris partis, patet ex iam dictis. Poſterioris ratio eſt: Nam ad hanc concupiſcentiam ſacræ litteræ nos adhortantur, vt Sapient. 6. *Concupiſcite ſermones meos.* Et Eccleſ. 24. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.*

CON-

CONCLVSIO III.

PRohibetur ergo non ipſa concupiſcendi vis, neque vſus moderatus concupiſcentiæ, ſed vſus prauus & immoderatus, qui carnis concupiſcentia & peccati fomes vocatur: ac, ſi animi aſſentionem adiunctam habeat, ſemper in vitijs numeranda eſt.

Eſt Catech. §. Itaque hoc interdicto, &c. Et explicatur ſequenti difficultate.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quibus indicijs agnoſcere licebit motum concupiſcentiæ prauum eſſe, & prohibitum?

Dicendum, quòd ex his tribus potiſsimum;

Primò, ſi illa quæ appetuntur in ſe mala ſint, veluti adulteria, ebrietates, homicidia, & alia eiuſmodi nefaria ſcelera. De quibus ita Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Non ſimus* (inquit) *concupiſcentes malorũ, quemadmodùm & illi concupierunt.*

Secundò, quia etſi res natura ſua malæ non ſunt, cauſa tamen aliunde extat, quare illas concupiſcere nefas ſit, quo in genere ſunt ea, quæ ne poſsideamus, Deus, aut eccleſia prohibet; Non enim ea appetere nobis licet, quæ poſsidere omninò nefas ſit, qualia olim in veteri lege fuerunt, aurum & argentum ex quibus idola conflata erant, quæ Dñs in Deuter. cap. 7. vetuit, ne quis concupiſceret.

Tertiò, ſi quæ appetuntur, aliena ſunt, vt domus, ſeruus, ancilla, ager, vxor, bos, aſinus, & alia multa, quæ cùm aliena ſint, ea cõcupiſcere vetat diuina lex.

Vnùm hoc loco diligenter cum Catechiſmo notandum, Concupiſcentiæ motum & vſùm tum demùm peccatum eſſe, cùm accedit voluntatis conſenſus, vel certè non repugnat. Docet hoc D. Iacobus

1.cap. ſuæ epiſtolæ, vbi peccati originem & progreſſionem oſtendit, illis verbis: *Vnuſquiſque tentatur, à cõcupiſcentia ſua abſtractus & illectus: Deinde concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

CONCLVSIO .IIII.

PArticulatim prohibetur ne diuitias auidè expetamus, neque alienis opibus, potentiæ, nobilitati inuideamus, ſed ſtatu noſtro, qualis ille ſit, ſiue humilis, ſiue excelſus contenti ſimus.

Eſt Catech. §. Quare Parochus docebit domus vocabulo.

Hoc enim vult præceptum, cùm dicit: *Non concupiſces domum proximi tui.* Domus enim vocabulo non locum modò quem incolimus, ſed vniuerſam hæreditatem ſignificari ex diuinorum ſcriptorum vſu conſuetudineq; agnoſcitur. Sic in Exod.cap.1.ſcriptum eſt: *Obſtetricibus à Domino domus eſſe ædificatas*: Horum enim verborum ſentẽtia eò ſpectat, vt illarum facultates ab eo auctas eſſe atque amplificatas interpretemur.

DIFFICVLTAS I.

Poſt vetitam prauam cõcupiſcentiam domus, id eſt, totius hæreditatis proximi, quid neceſſe fuit ſubijcere, Non bouem, non aſinum, &c?

Dicendum Deum ſignificare voluiſſe non ſolùm quæ magna ſunt vt domus, nobilitas, & gloria, nobis concupiſcere non licere, ſed etiam parua, qualia illa ſint, ſiue animata, ſiue inanimata.

DIFFICVLTAS II.

Quid inſuper fuit opus ſubijcere; Non ſeruum, non ancillam?

Dicendum

Dicendum vt nobis ſignificaretur, ſeruos, cuiuſcumque generis illi ſint, ſicut & cætera alterius bona concupiſcere non licere; Ergo nec liberos homines, qui voluntate ſeruiunt & mercede conducti, vel amore, obſeruantiaque impulſi, nullo modo, neque verbis, neque ſpe, neque pollicitationibus, neque præmijs corrumpere aut ſollicitare debemus vt eos deſerant, quibus ſe ipſi ſponte addixerũt; Imò verò, ſi ante id tempus, quo ſe in illorum famulatu fore promiſerunt, ab illis receſſerint, huius præcepti auctoritate admonere debemus, vt ad eos ipſos omninò reuertantur.

DIFFICVLTAS III.

Quare in præcepto ſit mentio proximi?

Dicendum, vt hominum vitium demonſtretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem eiuſmodi, quæ ſecum continens ſit, appetere ſolent. Vicinitas enim, quæ in parte amicitiæ ponitur, ab amore ad odium, cupiditatis vitio traducitur.

DIFFICVL. IIII. ET POSTREMA.

An hoc præceptum violent qui res proximi emere cupiũt?

Dicendum, minimè violare: ij enim non modò proximum non lædunt, ſed valdè adiuuant, cùm ei pecunia maiore commodo vſuque futura ſit, quàm res illæ quas ipſe venditat.

Et hactenus quidem oſtendimus quæ concupiſcentiæ prohibeantur, quatenus concupiſcentia reſpicit bonum vtile & fructuoſum;

Nunc oſtendendum eſt quæ concupiſcentiæ prohibeantur, quatenus reſpicit bonum delectabile.

CON-

CONCLVSIO V.

Lege quâ prohibemur non concupiſcere vxorẽ alienam, non ſolùm ea libido prohibetur, quâ adulter alterius vxorem appetit, ſed etiam quâ affectus aliquis alterius vxorẽ in matrimonium ducere concupiſcit.

Eſt Catech. §. Hanc de re aliena non concupiſcenda &c.

Probatur & explicatur. Nam eo tempore quo repudij permittebatur libellus, illud facilè euenire poterat, vt quæ ab vno repudiata eſſet, eam alter vxorẽ acciperet: At hoc Dominus vetuit, ne aut mariti ad vxores relinquendas ſollicitarentur, aut vxores maritis difficiles ſe ac moroſas ita præberent, vt eam ob cauſam, quaſi quædam neceſsitas viris imponeretur illas repudiãdi. Nunc vero grauius eſt peccatum, cùm mulierem, etiamſi à viro repudiata ſit, alteri in matrimoniũ ducere non liceat, niſi marito mortuo. Ita qui alterius vxorem concupiſcet, facilè ex vna in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium committere cupiet,

CONCLVSIO VI.

Prohibetur quoque ea concupiſcentia & libido, quâ quis concupiſcit mulierem alteri deſponſatam.

Eſt Catech. §. Atque hoc idem de ijs mulieribus dicitur, &c.

Neque enim has concupiſcere licet, cùm ij qui hęc pacta reſcindere ſtudent, violent ſanctiſsimum fidei fœdus.

CONCLVSIO VII.

Prohibetur inſuper concupiſcentia illa, quâ mulier, ad

Dei

Dei cultum & religionem conſecrata, in vxorem, vel aliter appetitur.

Eſt Catech. §. Et quemadmodùm, &c.

DIFICVLTAS VNICA.

An peccet contrà hoc præceptum, qui mulierem quæ nupta eſt cùm eam innuptam eſſe opinetur, vxorem ſibi dari concupiſcit, neque ſi in matrimoniũ alteri collocatam intelligeret, eam ſibi nuptam dari cuperet?

Dicendum, eum qui eo eſt animo, non peccare contrà hanc legem. Hic caſus accidit Pharaoni, & Abimelech, vt legimus Geneſ. 12. & 20. qui Saram in matrimonium habere concupierunt, cùm eam minimè nuptam, Abrahæque ſororem, non vxorem arbitrarentur.

QVAESTIO II.

Quæ præcipiuntur nono præcepto quatenus continet præceptum affirmatiuum?

ANTE reſolutionem, nota Catechiſmũ hoc loco ſolùm tradere actus virtutũ qui præcipiuntur tacitè & implicitè in nono pręcepto, quia ſub præcepto, *Non mœchaberis*, explicati fuerũt actus virtutũ qui tacitè & implicitè præcipiuntur decimo.

CONCLVSIO I.

PRimò præcipitur, vt ſi diuitiæ affluant, cor non apponamus, eaſq; pietatis & diuinarum rerum ſtudio abijcere paratiſſimus, & in ſubleuandas pauperum miſerias libenter pecuniam erogemus: ſi deſint facultates, egeſtatē æquo animo & hilari feramus.

Eſt Cate-

Eſt Catech.§. Explicare alterã prçcepti rationem debet, &c.

De paupertatis laudibus, diuitiarumq́ue deſpicientia in ſacris litteris, & apud ſanctos Patres facilè erit Parochis & Catechiſtis multa colligere,& fidelibus tradere.

CONCLVSIO II.

Item præcipitur vt ardenti ſtudio ſummaq́ cupiditate optemus id potiſsimum effici,non quòd nos concupiſcimus, ſed quòd Deus vult.

Eſt Catech. §. Hac item lege præcipitur,&c.

Vt huic præcepto ſatisfacere poſsimus,petimus in oratione Dominica, *Fiat voluntas tua.*

Voluntas Dei in eo maximè eſt, vt ſingulari nos quodam modo ſancti efficiamur, animumq́ue noſtrum ſyncerum, atque ab omni labe purum, integrumq́ue conſeruemus,& exerceamus nos in ijs mẽtis, ac ſpiritus officijs,quæ corporis repugnant ſenſibus; Horumq́ue edomitis appetitionibus, ratione, ac ſpiritu duce,rectum vitæ curſum teneamus;quiúe præterea ſenſus materiam cupiditatibus noſtris, libidiniq́; prębent,eorum vim maximè reprimamus.

QVAESTIO III.

Quæ ſunt remedia ad tollendum hoc cupiditatis vitium accommodata?

CONCLVSIO I.

Primum remediũ eſt,explicare diligenter,& quantum fieri poteſt perſuadere,illa duo quæ præcedẽti quæſtione diximus his legibus præcipi.

Eſt Cate-

Eſt Catech. §. Sed vt parochus remedia patefaciat.

CONCLVSIO II.

AD hunc cupiditatum ardorē reſtinguendū plurimum etiam hoc poteſt, ſi quæ incommoda ex illis accidūt, ea nobis ob oculos proponamus.

Eſt Catech. §. Sed ad hunc cupiditatum, &c.

Incommoda huiuſmodi ſunt.

Primum, quod quoniam eiuſmodi cupiditatibus paremus, in anima noſtra regnat ſumma peccati vis ac poteſtas. Quamobrē monuit Apoſtolus ad Rom. 6. *Non regnet peccatū in veſtro mortali corpore, vt obediatis cōcupiſcentijs eius.* Nam quemadmodùm ſi cupiditatibus reſiſtimus, peccati vires concident; Ita ſi ijs ſuccumbimus, Dominum à regno ſuo expellimus, & in eius locum peccatum introducimus.

Alterum prætereà incommodum eſt, quod ab hac concupiſcendi vi veluti fonte quodā omnia peccata manant, vt D. Iacobus docet cap. 1. D. item Ioannes cap. 2. *Omne* (inquit) *quod eſt in mundo, cōcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Tertium incommodum in eo eſt, quoniam rectū animi iudicium his cupiditatibus obſcuratur. Homines enim ij, cupiditatum tenebris obcæcati, honeſta & præclara putánt omnia, quæcumque ipſi concupiſcunt.

Quartum & poſtremū, opprimitur concupiſcēdi vi verbum Dei, quod in animis noſtris à magno illo agricola Deo inſitū eſt: ſic enim apud D. Marcū ſcriptum eſt cap. 4. *Alij ſunt qui in ſpinis ſeminātur, hi ſunt qui verbū audiūt, & ærūnæ ſaculi, & deceptio diuitiarū, & circa reliqua concupiſcentiæ introëuntes, ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.*

QVÆ-

QVAESTIO IIII. ET VLTIMA

Qui ſunt præ cæteris qui hoc cupiditatis vitio laborant, & ad colendum hoc præceptum diligentiùs cohortari debent?

CONCLVSIO I.

PRimùm illi ſunt, qui luſionibus non honeſtis delectãtur, aut qui ludis immoderatè abutuntur.

Eſt Catech. §. Iam verò qui præ cæteris, &c.

Qui ludi ſint liciti, & quæ in ijs cauenda, docet pulchrè D. Thom. 2.2.q.168.art1. & 2.

CONCLVSIO II.

ITem mercatores, qui rerum penuriã, annonaq́; charitatem expetũt, atque id egrè ferũt, vt alij prater ipſos ſint, qui vẽdant, aut emant, quò carius vendere, aut vilius emere ipſi poßint; Qua in re item peccant qui alios egere cupiunt, vt aut vendendo, aut emendo ipſi lucrentur.

Eſt Catech. §. Mercatoreſque item.

De peccatis mercatorum circa venditiones & emptiones, conſule D. Thom. 2. 2. q. 77. & 78.

CONCLVSIO III

PEccant etiam milites, qui bellum expetunt vt furari ipſis liceat.

Eſt Catech. §. Peccant etiam, &c.

De bello & peccatis militum vide D. Thomam 2. 2. q. 66.

Quo pacto peccẽt qui principaliter propter prædam militant habes, apud eundem ſup. art. 8. ad 1.

CON-

CONCLVSIO IIII.

Medici item qui morbos deſiderant.
Eſt Catech. §. Medici item, &c.
De peccatis medicorum vide D. Thom. 2.2.q.71.

CONCLVSIO V.

Iuriſconſulti quoque qui cauſarum litiumq́ vim copiamq́ concupiſcunt.
Eſt Catech. § Iuriſconſulti, &c.
De peccatis eorum ſup. diximus.

CONCLVSIO VI.

Tum artifices, qui quæſtus auidi, omniū quæ ad victum cultumq́ pertinent penuriam exoptant, vt inde plurimum lucri faciant.
Eſt Catech. §. Tum artifices.

CONCLVSIO VII.

In hoc praetereà genere grauiter ij peccant, qui alienæ laudis gloriæq́ auidi, atque expetentes ſunt, non ſine aliqua famæ alterius obtrectatione, idq́ præſertim ſi qui illam appetunt, ignaui, nulliusq́ pretij homines ſunt.
Eſt Catech. §. In hoc prætereà.
Et ratio eſt clara; Fama enim & gloria virtutis atque induſtriæ, non ig[illegible]iæ, aut inertiæ præmiū eſt.
An nunquam liceat gloriam appetere, & quid ſit vana gloria, docet D. Thom. 2.2. q. 132. art. 1.

Et hæc pro explicatione duorum poſtremorū præceptorum pro inſtituto noſtro, ſufficiunt.

QVARTAE ET POSTREMAE PARTIS CATECHISMI ROMANI,

QVAE EST DE ORATIONE DOMINICA, Elucidatio ſcholaſtica.

PRÆFATIONIS ELVCIDATIO.

De Oratione in genere.

HVIVS partis, ſicut & trium præcedentium præfatio continet plures quæſtiones de Oratione in genere; Quas omnes conſueta methodo explicabimus, ſi prius cum Catechiſmo tria notauerimus;

Primum inter munera Paſtorũ & Catechiſtarum illud eſſe ex primis, docere fideles, & quid à Deo, & quomodo orare debeant. Niſi enim pia & fideli paſtorum diligentia hoc tradatur, neceſſe erit multos non ſine detrimento ſalutis illud ignorare.

Secundum, omnes neceſſariæ orationis numeros continere diuinam illam formulam, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis, & per illos eorumque ſucceſſores, omnibus deinceps, qui chriſtianam religionẽ ſuſciperent, notam eſſe voluit, eiuſque ſententias & verba ſic eorum animo ac memoriâ impreſſa, vt ſemper in promptu illam habeant.

Poſtremum, vt Parochis & Catechiſtis ſuppetat facultas docendi fideles de hoc neceſſario officio orādi. Catechiſmū ex ſacris ſcriptoribus collegiſſe ea, quæ maximè ad eam rem opportuna videtur, ex quibus, ſi opus fuerit, ipſi Parochi reliqua haurire poterunt.

Præcipui auctores qui de Oratione Dominica ex profeſſo ſcripſerūt, ſunt, Tertullianus in lib. de oratione, Cyprianus in expoſitione orationis dominicæ, Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 5. Chryſoſtomus Homelia de oratione Dominica, Gregorius Nyſſenus in Homelijs quinque de eadē, Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 5. & ſequenti, Caſsianus collat. 9. cap. 18. & ſeq. Chryſologus ſerm. 67. & ſeq.

QVAESTIO I.

An Oratio ſit ad ſalutem neceſſaria?

CONCLVSIO VNICA.

P*Receptum orationis non ſolùm conſilij cauſa traditum eſt; ſed etiam neceſſarij iuſsi vim habet.*

Eſt Catech. §. Primùm igitur docendum eſt. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2.

Declaratur à Chriſto Domino his verbis, *Oportet ſemper orare.*

Et ab Eccleſia, illo dominicæ precationis proœmio: *Præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati audemus dicere, Pater noſter, &c.*

Confirmatur etiam ex eo, quod Chriſtus Dñs rogatur tam diligenter ab Apoſtolis: *Doce nos orare*, & ille eis formam orandi præſcribit.

Deinde

Deinde ex eo, quod Chriſtus Dominus aſsiduè vſus eſt oratione, & in ea pernoctare ſolet.

Prætereà ex eo, quod Apoſtoli ijs qui ſe ad Ieſu Chriſti fidem conuertebát, præcepta orandi tradere non deſiſterent; Nam Sancti Petrus 1. epiſt. 3. & Ioannes 1. epiſtolæ 3. de ea re diligétiſsimè pios admonent, & eius rationis memor Apoſtolus pluribus locis hortatur chriſtianos ad ſalutarem orandi neceſſitatem: vt 1. Theſſ. 5. Phil. 4. Coloſ. 4.

Demùm probatur rationibus theologicis euidentiſsimis; Multis enim indigemus bonis & commodis ad animum corpuſque tuendum neceſſarijs; Deus autem nihil cuiquam debet; Reliquum ergo eſt vt quæ nobis opus ſũt, ab eo precibus expetamus, quas preces tanquam inſtrumentum neceſſariũ nobis dedit ad id quod optaremus conſequendum.

Et confirmatur. Nam conſtat eſſe quædam, quæ niſi eius adiumento non licet impetrare; Eſt enim quoddam Dæmoniorum genus, quod non eijcitur niſi ieiunio & oratione, Matth. 17, & eleganter Sanctus Hieronymus inquit ſuper 7. cap. Matthæi: *Scriptum eſt, omni petenti datur, ergo ſi tibi non datur, ob id non datur quia non petis: Petite ergo & accipietis.*

MONITIO.

Ex quibus apparet eos magnam ſibi adimere facultatem ſingularium donorum, qui hanc conſuetudinem exercitationemque non adhibent piè ac diligenter orandi; petitione enim non ſolùm honeſta, ſed etiam aſsidua opus eſt ad impetrandum quod concupiſcas.

De hac re poſtea ſuo loco fuſiùs.

QVAESTIO II.

Quare Deus liberaliſſimus voluit nobis imponere neceſſitatem orandi?

CONCLVSIO I.

Habet hæc neceſſitas orãdi iucundiſſimam vtilitatem, vtpote quæ fructus ex ſe edit vberrimos.

Eſt Catech. §. Habet autem hæc neceſsitas. Et D.Thom. ſup. art. 2. ad 3.

Explicatur ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO II.

Primus fructus quem inde capimus eſt is, quod orantes Deo honorem habemus.

Eſt Catech. §. Primus autẽ fructus. Et D.Thom. ſup.

Siquidem eſt quoddam religionis argumentum oratio, quæ in diuinis litteris thymiamati comparatur. *Dirigatur* enim, inquit Propheta Pſalm. 140. *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Quare nos hac ratione Deo ſubiectos eſſe profitemur, quem bonorũ omnium auctorem agnoſcimus, & prædicamus; in quem ſolum ſpectamus; quod vnum incolumitatis, ſalutiſque præſidium, atque perfugium habemus. Huius fructus illis etiam verbis admonemur Pſalm. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.*

CONCLVSIO III.

Secundus fructus ampliſſimus & iucundiſſimus orationis eſt, cùm à Deo preces audiuntur.

Eſt Catech. §. Sequitur fructus ampliſsimus, &c.

Eſt

Eſt enim, ex D. Auguſtini ſententia ſermone 226. de tempore, *cæli clauis oratio; Nam aſcẽdit*(inquit)*precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Licet alta ſit terra, altum cælum: audit tamen Deus hominis linguam.*

Preces à Deo audiri multa comprobant diuinæ ſcripturæ teſtimonia, quæ quia ſunt in promptu, illa ſolũmodò apud Iſaiam cap. 58. exempli cauſa attingemus. *Tunc enim*(inquit)*inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis & dicet, Ecce adſum.* Et rurſus cap. 65. *Eritq́ue antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.*

Poſſet hoc ipſum confirmari exemplis eorum qui Deum exorauerunt; verùm quia propemodùm ſunt infinita & poſita ante oculos, omittimus.

Ampliſsimum eſſe fructum orationis patet; Nam eâ impetramus nobis ducem & adiutorem Spiritum Sanctum & fidei aſſequimur conſeruationem, & incolumitatem, & vitationem pœnarum, & diuinum patrocinium in tentationibus, & ex Diabolo victoriam.

Iucundum quoque eſſe orationis fructum docet Chriſtus Dominus Ioannis 16. cùm inquit: *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

Non obſtat ijs quæ diximus, quod ſubinde fit, vt quæ petimus à Deo non impetremus; tunc enim maximè proſpicit vtilitati noſtræ Deus, vel quòd alia maiora, vel ampliora bona nobis impertitur; vel quòd nec neceſſarium nobis eſt, nec vtile quod petimus; imò verò fortaſſe ſuperuacaneum futurum ſit, ſi dederit, atque peſtiferum. *Quædam enim*, inquit ſanctus Auguſtinus, ſerm. 53. de verbis Domini, *negat propitius Deus, quæ concedit iratus.* Nonnunquam etiam fit, vt adeò remiſsè, ac negligenter oremus, vt ne ipſi

quidem, quod dicimus, attendamus: Cùm autem ſit oratio mentis aſcenſus ad Deum, ſi in orãdo animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque ſtudio, nulla adhibita pietate, temerè precationis verba fundũtur, quomodo inanem huius orationis ſonitum, chriſtianam precationem eſſe dicemus? Quare minimè mirum eſt, ſi Deus noſtræ non obſequitur voluntati; cùm vel ipſi nolle id nos, quod petimus, penè probemus noſtræ negligentiâ & ignoratione precationis; vel poſtulemus ea quæ nobis ſunt obfutura. Scienter verò ac diligenter petentibus multò plus tribuitur, quã à Deo poſtulauerint. Hoc Apoſtolus teſtatur in epiſtola ad Epheſios cap. 3. & illa prodigi filij ſimilitudine declaratur Luc. 15. qui præclarè ſecum actum eſſe exiſtimaturus fuit, ſi in loco mercenarij famuli habuiſſet eum pater: etſi rectè cogitantibus, non ſolùm poſtulantibus nobis cumulat gratiam ſuam Deus, non modò munerum copiâ, ſed etiam celeritate tribuendi. Quòd oſtendunt diuinæ litteræ, cùm illa vtuntur loquendi formula, Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*: Intimis enim & tacitis egẽtium ſtudijs, ne expectata quidem eorum voce Deus occurrit.

CONCLVSIO IIII.

Tertius fructus eſt ille, quòd orando animi virtutes & exercemus & augemus, maximè verò fidem, charitatem, humilitatem, & ſimiles.

Eſt Catech. §. Accedit eò etiam ille fructus.

Augeri fidem oratione patet; Vt enim illi ritè nõ orant qui fidem non habent. (*Quomodo enim*, inquit, Apoſtolus ad Rom. 10. *inuocabunt, in quem non crediderunt?*) ſic fideles, quò ſtudioſiùs orant, eò maiorem

ac cer-

ac certiorem fidem habent diuinæ curæ, & prouidentiæ? quæ potiſsimùm id requirit de nobis, vt ad ſe de ijs, quæ nobis opus ſunt, referentes, omnia poſtulemus.

Augeri ſpem, ſic declaratur; Poſſet Deus non petentibus, ne cogitantibus quidem, abundè nobis omnia dilargiri, quomodo & animantibus rationis expertibus cuncta ſuppeditat ad vſus vitæ neceſſarios: ſed beneficentiſsimus parens vult à filijs inuocari: vult nos quotidie ritè petendo, petere fidentiùs: vult impetratis ijs, quæ poſtulamus, in dies magis teſtificari, ac prædicare ſuam in nos ipſos benignitatem.

Augeri quoq; charitatem probatur; Nam Deum auctorem agnoſcentes omnium bonorum vtilitatũque noſtrarum, quanta eum poſſumus maxima charitate amplectimur; &, vt amantes colloquio, & cõgreſſu magis ad amorem incendimur; ſic pij homines, quò ſępius Deo facientes preces, & eius implorantes benignitatem, quaſi cum ipſo colloquuntur, eò maiori in ſingulas preces affecti lætitiâ ad eũ amandum, & colendum incitantur ardentiùs.

Augeri quoque humilitatem ſic oſtenditur: Nam oratione vult Deus id quod eſt nos intelligere, ac præ nobis ferre, ſi cæleſtis gratiæ auxilio deſeramur, noſtrâ operâ nihil cõſequi poſſe, propterea que toto animo ad orandum incumbere.

Augeri & exerceri alias virtutes patet: Nám primò exercitatione precationis fit, vt flagrantes petẽdi ſtudio quod optamus, tantùm ea aſsiduitate & cupiditate proficiamus, vt digni ſimus, in quos illa conferãtur beneficia, quæ anteà ieiunus & anguſtus noſter animus capere non poterat. Deinde fimus fortiores contrà hoſtes noſtros. Valent enim hæc tanquam

orationis arma contrà naturæ noſtræ hoſtes acerrimos; Inquit enim S. Hylarius in Pſalm. 63. *Aduerſus Diabolum armaq́; eius, orationum noſtrarum ſonitu certandum eſt.*

CONCLVSIO V.

QVartus fructus orationis eſt, quòd cũ procliues ſimus ad malum, & ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitæ, patitur Deus ſe noſtris cogitationibus concipi, vt dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatẽ, & ab omni labe delictorum omnium amputatione purgemus.

Eſt Catech. §. Præclarum prætereà illum.

CONCLVSIO VI.

POſtremus orationis fructus eſt, quòd per illam diuinæ iræ reſiſtimus.

Eſt Catech. §. Poſtremò ex Sancti Hieronymi.

Ita docet D. Hieronymus in cap. 7. Hierem. ſuper illud *Non obſiſtas mihi.*

Patet ſecundò ex ijs quæ ait Dominus ad Moyſen Exod. 32. *Dimitte me*, cùm pœnas eum ab illo populo petere volentem, precibus impediret: Nihil enim eſt quòd æquè Deum leniat iratum, aut etiam paratum ad plagas ſceleratis inferendas æquè retardet & reuocet à furore, ac preces piorum hominum.

QVAESTIO III.

Quibus partibus cõſtat oratio? Et: Qui ſunt illius gradus? hoc eſt, An vna ſit alia perfectior?

CON-

CONCLVSIO I.

QVatuor ſunt partes orationis, quas Apoſtolus in epiſtola 1. ad Timoth. 2. cap. cohortans ad piè ſanctéq́; orandum, enumerat; Obſecro, inquit, primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

Eſt Catech. §. Expoſita neceſsitate, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 17.

Differentia harum partium eſt valde ſubtilis, & non ita fortè huic inſtituto accommodata: Si tamen paſtor aut Catechiſta prudens eius explicationem auditoribus ſuis conducere exiſtimabit, conſulet inter cæteros S. Hylarium in Pſalm. 140. ad verſ. *Dirigatur oratio mea*, & D. Auguſtinum in epiſtola 59. ad Paul. in ſol. q. 5. & Caſsianum collat. 9. cap. 9. & ſequentibus, & D. Thomam ſupra.

CONCLVSIO II.

DVæ ſunt præcipuæ partes orationis, poſtulatio, & gratiarum actio, à quibus tanquam à capite reliquæ manant.

Eſt Catech. §. Sed quoniam duæ ſunt, &c.

Nam ad Deum accedimus, vt cultum ei ac venerationem adhibentes, vel ab eo aliquid impetremus, vel ipſi de beneficijs quibus aſsiduè ab eius benignitate ornamur & augemur, gratias agamus.

Deinde vtramque hanc maximè neceſſariam partem orationis Deus ipſe pronunciat ore Dauidis Pſalm. 49. illis verbis: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.*

Et confirmatur ex ſumma egeſtate & miſeria humana, & cótrà ex maxima & aſsidua Dei in homines

libera-

liberalitate; quantum enim egeamus diuinæ bonitatis ac liberalitatis nemo ignorat, qui ſummam hominum egeſtatem & miſeriam intuetur. Quàm verò ſit propenſa Dei voluntas in genus humanum, quàm effuſa in nos benignitas, omnes intelligunt, qui ſenſu oculorum & mẽtis prediti ſunt. Nam quocumq; oculos conijcimus, quocumque nos cogitatione conuertimus, nobis admirabilis lux diuinę beneficentię, ac benignitatis oboritur. Quid enim habent homines, quòd à Dei largitatẽ profectum nõ ſit? Et ſi omnia ſunt eius dona ac munera bonitatis, quid eſt quod non omnes pro viribus beneficentiſsimum Deum laudibus celebrent, & gratiarum actione proſequantur?

De duabus his præcipuis orationis partibus, vide D. Baſilium conſtitutionum monaſticarum cap. 2.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Multi ſunt orationis gradus, quorum alius eſt alio altior atque perfectior.

Eit Catech. §. Sed vtriuſque officij, &c.

Explicatur ſequentibus concluſionibus.

CONCLVSIO IIII.

Optimus orandi modus & ſummus precationis gradus eſt is, quo pij & iuſti homines vtuntur, qui freti vera fidei ſtabili fundamẽto, quibuſdam optimæ mẽtis orationisq; gradibus in illum locum perueniunt, ex quo infinitam Dei potentiam, immenſamq; benignitatem, ac ſapientiam contemplari poſſunt: vbi etiam in ſpem certiſſimam veniunt, ſe & quicquid petierint in præſentia, & illam inexplicabilium bonorum

bonorum vim conſecuturos eſſe, quæ pollicitus eſt Deus largiturum ſe ijs, qui diuinum auxilium piè & ex animo implorârint. His quaſi duabus alis elata in cœlum anima, ardēti ſtudio peruenit ad Deum, quem cum gratiarum, & laudũ honore proſequitur, quòd ſummis ab eo beneficijs affecta ſit; tũ verò ſingulari adhibita pietate, ac veneratione, quaſi vnicus filius chariſſimo parenti; quid ſibi ſit opus, non dubitanter exponit.

Eſt Catech. §. Sed quoniam eſt optimus.

Hic gradus orationis exprimitur in ſacris litteris voce *effundendi.* Inquit enim Propheta Pſalm. 141. *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meã ante eum pronũcio.* Hæc enim vox eã vim habet, vt nihil reticeat, nihil occultet, ſed effundat omnia is qui ad orandum venit, fidens, confugiens in ſinum amantiſsimi Patris Dei. Ad hunc orandi modum doctrina cœleſtis Pſalm. 61. nos hortatur, illis ijſdem verbis: *Effundite coram illo corda veſtra.* A D. Auguſtino Enchridij cap. 7. hic precationis gradus ſignificatur cùm inquit: *Quod fides credit, ſpes & charitas orat.*

CONCLVSIO V.

Alius gradus eſt eorũ, qui mortiferis peccatis oppreſſi, fide tamen ea, quæ mortua dicitur, nituntur ſeſe erigere, & ad Deum aſcēdere, ſed propter intermortuas vires, ſummamq; fidei imbecillitatem, ſe altiùs à terra tollere non poſſunt: verumtamen ſua peccata recognoſcentes, & eorum conſcientiâ, ac dolore cruciati, humiliter, ac demiſſè, ex illo maximè longinquo loco pœnitentes, ſcelerum à Deo veniam & pacem implorant.

Eſt Catech. §. Alius eorũ gradus.

Huiuſmodi oratio ſuum obtinet locũ apud deũ.

Nam preces eorum qui in eo ſtatu orant, à Deo audiuntur: Imò verò huiuſmodi homines liberaliſsimè miſericors Deus inuitat Matth. 11. *Venite* (inquit) *ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex horum hominum fuit numero Publicanus, Luc. 18. qui cùm oculos ad cælum tollere non auderet, exijt tamen, inquit, de templo, magis iuſtificatus, quàm Phariſæus.

CONCLVSIO VI.

EST præterea alius gradus eorũ qui nõdum fidei lucem acceperunt, verumtamen diuina benignitate exiguum illorũ naturæ lumen accendente, vehementer excitantur ad ſtudium cupiditatemq́; veritatis, quam vt doceãtur, ſummis precibus petunt.

Eſt Catech. §. Eſt præterea eorum, &c.

Habet quoque & hæc oratio ſummum locum apud Deum; Nam ſi huiuſmodi homines maneant in ea voluntate, à Dei clementia eorum ſtudium non repudiabitur.

Comprobatur exemplo Cornelij Centurionis Act. 10. Nemini enim id ex animo petẽti clauſæ ſunt fores diuinæ benignitatis.

CONCL. VII. ET POSTREMA.

POſtremus gradus orationis eſt eorum, quos non modò facinorum & flagitiorũ non pœnitentes, ſed ſceleribus ſcelera cumulantes, tamen non pudet ſæpè à Deo petere peccatorum veniam, in quibus volunt perſeuerare.

Eſt Catech. §. Poſtremus eſt gradus, &c.

Horum oratio à Deo non auditur: Sic enim de Antiocho ſcriptum eſt Machabæorum 9. cap. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.*

MONITIO.

Ex hac cõcluſione infertur, vehementer hortari oportere eos qui in graui illa miſeria verſãtur, vt abiecta peccandi voluntate, verè, & ex animo ſe conuertant ad Deum.

QVAESTIO IIII.

Quænam licet petere à Deo?

ANte reſolutionem nota quæſtionẽ hoc loco proponi de ijs quę peti poſſunt in genere; non autem in particulari. Nam poſtea in ſingulis petitionibus orationis dominicę ſuo loco dicetur, quid ſigillatim poſtulandũ, & quid non.

CONCLVSIO I.

IN vniuerſum licet omnia petere quæ iuſta & honeſta ſunt.

Eſt Catech. §. Satis hoc erit fideles, &c.

MONITIO.

Quare monendi ſæpè ſunt fideles, vt non alia à Deo petant; ne ſi contrà quàm deceat poſtulàrint, illo reſponſo repellantur, Matth. 20. *Neſcitis quid petatis.*

CONCLVSIO II.

LIcet quoque ea omnia petere à Deo, quæ rectè optari & deſiderari poſſunt.

Eſt Catech. §. Quicquid autem rectè.

Teſtantur hoc illa vberrima Dñi promiſſa Ioan. 14. 15. & 16. *Quodcumq; volueritis, petetis, & fiet vobis.*

Ex hoc infertur. Primò non ſolū licere, ſed etiam oportere primum optatum ac deſiderium noſtrum ad eam regulam dirigere, vt ad Deum, qui ſummum eſt bonum referatur.

Secundò oportere noſtrum deſiderium & orationem in ea bona dirigere quę nos Deo ſummo bono maximè coniungunt; ab ijs verò quæ nos inde ſeiūgunt, aut cauſam aliquā afferunt diſiunctionis, oportere omni ſtudio noſtra deſideria remouere.

DIFFICVLTAS I.

An liceat à Deo petere bona corporis, ſiue externa quæ vocant, vt ſunt ſanitas, robur, pulchritudo, diuitiæ, honores, gloria?

Dicendum, quòd ex ijs quæ iam dicta ſunt nō obſcurè colligere licet qualiter huiuſmodi bona, & alia quæcumque à Deo optanda ſint & poſtulanda. Nam cùm prædicta bona facultatem ac materiam ſæpè dent peccato, quo à Deo ſummo bono ſeiungimur, erit illorum petitio his præſcribenda finibus, vt hæc vitæ commoda poſtulentur neceſsitatis cauſa; quæ precandi ratio refertur ad Deum; Licet enim nobis precibus ea petere, quæ Iacob Geneſ. 28. & Salomō Prouerb. 30. poſtulârunt: Ille enim in hūc modum orauit: *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum*: Salomon verò, his verbis: *Tribue tantùm victui meo neceſſaria.*

MONITIO.

Tacitè hic monemur qualiter huiuſmodi bonis, quando illa nobis à Dei benignitate ſuppeditantur, vti debeamus; nimirùm par eſt nos illius Apoſtoli cohortationis recordari 1. ad Corinth. 7. *Qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mūdo, tāquam non vtan-*

non vtantur: præterit enim figura huius mũdi. Item Pſalm. 61. *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Quarum fructum tantummodò & vſum noſtrum eſſe, ſed ita vt cum cæteris communicemus, ab ipſo doctore Deo didicimus: ſi valemus, ſi reliquis externis, & corporis bonis abundamus, eò illa nobis tributa eſſe meminerimus, vt & faciliùs Deo inſeruire poſsimus, & proximo omnia eius generis commodare.

DIFFICVLTAS II.

An etiam liceat à Deo petere ingenij bona & ornamenta; cuius generis ſunt artes atque doctrinæ?

Dicendum licere etiam petere, ſed ea tantùm cõditione, ſi nobis ad Dei gloriam & ad ſalutem profutura ſunt.

DIFFICVLTAS III.

Quæ eſt differentia inter petitionem quâ ſummum bonum petimus, & illa quæ nos illi coniũgunt, vt ſunt fides, timor Dei, amor, & petitionem illorum bonorum, de quibus duabus ſuperioribus difficultatibus diximus?

Dicendum eſſe maximam; Nam ſummũ bonum & Dei gloria, & deinceps omnia bona quæ ſummo illi bono nos coniungunt, ſine adiunctione vlla aut conditione petere poſsumus & debemus; Reliqua nõ niſi ſub conditione iſta: Si nobis ad Dei gloriam & ſalutem profutura ſunt.

QVAESTIO V.

Pro quibus orare debemus?

ANTE reſolutionem, nota orationem continere petitionẽ, & gratiarũ actionem. De petitione ergo prius dicendũ, pro quibus videlicet petendum & orandũ: Poſtmodũ

de gratiarum actione, pro quibus potiſsimùm agendæ Deo gratiæ.

Hoc prænotato reſpondetur ſequentibus concluſionibns.

CONCLVSIO I.

ORandum eſt pro omnibus, ſine vlla exceptione, vel inimicitiarum, vel religionis, vel gentis.

Eſt Catech. §. His autem cognitis, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 7. & 8.

Ratio eſt clara; Nam ſiue hoſtis ſit, ſiue alienus, ſiue infidelis, proximus eſt; quem quia Dei iuſſu amare debemus, ſequitur vt preces quoque, quòd amoris officium eſt, pro eo facere oporteat.

Docet idem Apoſtoli cohortatio 1. ad Timoth. 2. cùm ait: *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus.*

CONCLVSIO II.

DEbemus hoc precationis officium primùm paſtoribus animarum tribuere.

Eſt Catech. §. Debemus autem, &c.

Sic docemur ab Apoſtolo ſuo exemplo; ſcribit enim is ad Coloſſenſes 4. vt orent pro ſe, vt ſibi Deus aperiat oſtium ſermonis. Quod item facit ad Theſſalonicenſes. Eſt prætereà in Actis Apoſtolorũ cap. 4. *Oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſsione pro Petro.* Cuius etiam officij à D. Baſilio in libris de moribus cap. 5. admonemur: Pro ijs enim orandum eſſe inquit, qui præſunt verbo veritatis.

CONCLVSIO III.

SEcundo loco pro Principibus nos precari oportet.

Eſt Catech. §. Secundo loco, &c.

Patet

Patet ex eiuſdem Apoſtoli ſententia 1. ad Timotheum 2.

Neceſsitas pro Principibus orandi, ſumma eſt & maxima; quãto enim publico bono Principibus pijs & iuſtis vtamur nemo ignorat; Itaque rogandus eſt Deus vt tales ſint, quales eſſe oportet, qui reliquis hominibus præſint.

CONCLVSIO IIII.

P*Ro bonis etiam pijs q́; deprecari debemus.*

Eſt Catech. §. Extant exempla Sanctorum. Et D. Thom. ſup. art. 7. ad 3.

Sunt enim exempla Sanctorum hominũ quibus monemur vt pro illis oremus: Egent enim & illi precibus aliorum, vt in iuſtitia proficiant & perſeuerent. Quod diuinitus factum eſt, ne ſuperbiâ efferantur, dum intelligunt ſe inferiorum ſuffragijs indigere.

CONCLVSIO V.

D*Ebemus quoque precari pro perſequentibus & calumniantibus nos.*

Eſt Catech. §. Iuſsit præterea, &c. Et D. Thom. ſup. art. 8.

Sic enim iuſsit Chriſtus Dominus, Matth. 5.

CONCLVSIO VI.

P*Ræterea preces & vota facere debemus pro ijs qui ab Eccleſia ſunt alieni, vt infidelibus donetur fides; vt idolorum cultores ab impietatis errore liberentur; vt Iudæi diſcuſſa animorum caligine lucem veritatis accipiant; vt hæretici redeũtes ad ſanitatem catholicæ doctrinæ præceptis erudiãtur; vt ſchiſmatici, à qua deſciuerunt ſanctiſsimæ parentis*

Eccleſiæ communione, cum ea iterum veræ charitatis nodo iuncti copulentur.

Eſt Catech. §. Illud etiam ſanctus. Et D.Thom. ſupra.

Probatur Sancti Auguſtini auctoritate epiſtola 107. ad Vitalem; ex D. Cypriano de oratione Dominica, & Cæleſt. Papa epiſt. 1. ex quo hæc penè ad verbum ſumpta ſunt.

Quantam vim habeant preces pro huiuſmodi hominibus factæ ex animo, conſtat multis exemplis omnis hominum generis, quos quotidie ereptos ex poteſtate tenebrarum transfert Deus in regnum filij dilectionis ſuæ, & ex vaſis iræ, facit vaſa miſericordiæ: In quo plurimùm valere piorum obſecrationem, nemo, qui rectè ſentiat, dubitare poteſt.

CONCLVSIO VII.

Debemus etiam preces pro mortuis facere, vt ab igne purgatorij liberentur.

Eſt Catech. §. Preces autem, &c.

Conſtat ex doctrina Apoſtolorum.

De hac re ſatis dictum eſt cùm de ſacrificio miſſæ ageremus.

CONCLVSIO VIII.

Chriſtianæ etiam charitatis eſt precari pro illis, qui in ſcriptura 1. Ioannis 5. dicũtur peccare ad mortem & lachrymis cõtendere, an ijs poſſint reddere placatum Deum.

Eſt Catech. §. In ijs autem, &c.

Verum eſt tamen pro talibus vix quicquam precibus votiſque profici.

DIFFICVLTAS VNICA.

Si pro impijs & inimicis noſtris orandum eſt, quomodo ergo in-

ergo intelligendæ ſunt execrationes ſanctorum hominum, quibus, teſte ſcriptura, contrà impios vtuntur?

Dicendum, ex patrum ſententia conſtare, huiuſmodi execrationes intelligi debere, vt ſint vel prædictiones eorum quæ illis euentura ſunt, vel adhibitas contrà peccatum, vt ſaluis hominibus, peccati vis intereat.

QVÆSTIO VI.

Pro quibus agendæ ſunt Deo gratiæ? Et: Quæ inter omnes gratiarũ actiones eſt præſtantiſſima?

CONCLVSIO I.

Maximas Deo gratias agere debemus, pro diuinis eius, immortalibusq́ue beneficijs, quibus & ſemper affecit, & quotidiè afficit humanum genus.

Eſt Catech. §. In altera autem parte, &c. Eſt per ſe ſatis clara.

CONCLVSIO II.

Maximè fungimur hoc munere gratiarum actionis, ſanctorum omnium cauſa, quo in officio ſingulares Deo laudes tribuimus, & eorum victoriæ & triumphi, quem de omnibus & intimis, & externis hoſtibus eius benignitate deportârunt.

Eſt Catech. §. Maximè autem.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Inter omnes gratiarum actiones facilè primum locum tenet Angelica ſalutatio, Luc. 1. Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

 Eſt Ca-

Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, vt noſtri patrocinium ſuſcipiant, vt nobis à Deo impetrent ea quibus indigemus.

Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes: Ad Deum enim propriè dicimus, Miſerere nobis, Audi nos: Ad Sanctum, Ora pro nobis.

Quanquam etiam licet alia quadam ratione petere, vt Sácti noſtri miſereantur: ſunt enim maximè miſericordes; Itaq; poſſumus precari eos vt cõditionis noſtræ miſeriâ permoti, ſuâ nos apud Deum gratiâ ac deprecatione iuuent.

Vnum hoc loco tantùm obſeruãdum & cauendũ eſt, ne quod Dei proprium eſt, cuiquam prætereà tribuatur.

DIFFICVLTAS I.

Quo ſenſu quis orationem Dominicam ante imaginem alicuius Sancti pronunciare poteſt?

Cùm ad imaginem alicuius Sancti quis Dominicam orationem pronunciat, ita tum ſentiat, ſe ab illo petere vt ſecum oret, ſibique poſtulet ea, quæ Dominicæ orationis formulâ continentur; & ſui denique ſit interpres & deprecator ad Deum: nam eos hoc fungi officio docuit Sanctus Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi cap. 8.

QVAESTIO VIII.

An ſit præparandus animus ad orationem, & quibus maximè virtutibus?

CONCLVSIO I.

Oportet animum ad orationem præparare.

Eſt Catech. 5. Eſt in diuinis litteris, &c. enim Eccleſiaſt. 18. cap. habetur; *Ante orationẽ prepara*

præpara animā tuā, & noli eſſe quaſi homo qui tentet Deum. Tentat enim Deum is, qui cùm benè orat, malè agit, & cùm loquatur cum Deo, à precibus animus eius aberrat.

De tentatione Dei vide D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 4. ad 1. & q. 97. art. 7.

CONCLVSIO II.

P*Ræparatur animus primò humilitate.*

Eſt Catech. §. Primus igitur gradus, &c.

Huius præparationis ſæpiſsimè faciunt mentionem diuinæ litteræ, quæ & illud loquuntur, Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Item Eccleſiaſt. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.*

Occurrent Paſtoribus & Catechiſtis loci ſcripturarum innumerabiles, qui in eam ſententiam conueniunt; quamobrem plurium non neceſſaria cōmemoratione ſuperſedemus; tantùm verò, quæ aliàs attigimus, ne in hac quidem parte, quia ſunt appoſita ad hanc rationē, duo illa exempla prætermittemus: Publicanus eſt ille notiſsimus, Lucę 18. qui longè cōſiſtens, oculos humo tollere non audebat. Eſt etiam mulier illa peccatrix, Lucæ 7. quæ dolore permota lachrymis pedes Chriſti Domini perfudit. Vterque quantum afferat orationi pōdus humilitas chriſtiana, declarauit.

Ex his patet, quòd primus gradus ad bonam orationem eſt, verè humilis ac demiſſus animus, ſcelerūque recognitio, quibus ſceleribus intelligat qui ad Deum accedit, ſe non modò dignum non eſſe qui quicquam impetret à Deo, ſed qui ne in eius quidem conſpectum veniat oraturus.

Eſt imprimis ipſa Dei in nos perfecta voluntas ac benignitas, cùm iubet nos ſe Patrē appellare, vt eius nos eſſe filios intelligamus.

Eſt deinde propè infinitus numerus eorum qui Deum exorauerunt.

Eſt prætereà ſummus ille deprecator, qui nobis ſemper præſto eſt Chriſtus Dominus; de quo ſic eſt apud Sanctum Ioannem, 1. epiſt. 2. cap. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Item Paulus Apoſtolus ad Roman. 3. *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Item ad Timoth. 1. epiſtolæ 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Tum ad Hæbreos 2. cap. *Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pōtifex ad Deum.* Quare etſi nos indigni ſumus qui impetremus, tamen optimi dignitate interpretis, & deprecatoris Ieſu Chriſti, ſperare, & magnoperè confidere debemus, nobis omnia, quę per illum ritè petierimus, conceſſurum Deum.

Eſt quoque Spiritus ſanctus qui eſt auctor precationis noſtrę, quo duce preces noſtras audiri neceſſe eſt: *Accepimus enim* (inquit Apoſtolus ad Rom. 8. cap.) *Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba, pater;* qui quidem Spiritus infirmitatem, & inſcitiam noſtram adiuuat in hoc orandi munere: Imo verò, inquit ibidem, *Ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Eſt poſtremò ex parte noſtri conformitas volūtatis noſtræ ad voluntatem & legem Dei. Tum enim maximè & fide & ſpe vigentes omnia à Deo optata cōſequemur, cùm ad ipſius Dei legē & voluntatem,

omnem mentem, actionem, & orationem noſtram conformabimus: *Si manſeritis enim* (inquit Chriſtus Dominus Ioannis 15.) *in me & verba mea in vobis manſerint, quæcumque volueritis, petetis & fiet vobis.*

DIFFICVLTAS II.

Quid facient qui titubāt interdùm nec ſe ſatis eſſe firmos in fide ſentiunt?

Vtantur illa voce Apoſtolorum Luc. 17. *Domine adauge nobis fidem:* Et cæci illius, Marc. 9. *Adiuua incredulitatem meam.*

QVAESTIO IX.

Quæ eſt optima ratio orandi?

Ante reſolutionem, nota maximè referre quem modum & rationem adhibeamus in orādo. Etſi enim oratio bonum ſit ſalutare, tamen niſi rectè adhibeatur, minimè prodeſt: quod enim petimus, ſæpè non aſſequimur, vt inquit S. Iacobus cap. 4. ob eam cauſam, quia malè petimus.

CONCLVSIO I.

Optima orandi ratio poſtulat, Primò, vt oratio fiat in ſpiritu & veritate.

Eſt Catech. § Eſt igitur orandum in ſpiritu, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. & 13.

Nam cæleſtis Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu & veritate, vt teſtatur Ioann. 4. cap.

Orat in ſpiritu & veritate, qui intimum ac flagrās animi ſtudium adhibet.

Huiuſmodi orationem Deus, cui patent occultæ hominum cogitationes, audit, etiamſi ore nō proferantur. Sic 1. Reg. 1. audiuit Annæ, eius quæ mater fuit

fuit Samuelis, intimas preces, de qua illud legimus ibidem cap. 13. Flentem oraſſe, & tantùm labia mouētem. Orauit hoc modo Dauid: Inquit enim Pſalm. 16. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.* Huiuſmodi exempla in diuinis libris paſsim legentibus occurrunt.

DIFFICVLTAS I.

An oratio quæ fit voce adhibita, ſit mala?

Dicendum non eſſe malam; neque enim à ſpirituali precandi oratione vocalem excludimus, ſed principatum tribui illi orationi, quæ à vehementi animo proficiſcitur.

DIFFICVLTAS II.

An ſit interdum vtile, vel etiam neceſſarium orare voce?

Dicendum quod vocalis oratio propriam habet vtilitatem & neceſsitatem.

Vtilitatem; Nam incendit animi ſtudium, & religionem orantis inflammat; quòd ad Probam Sanctus Auguſtinus epiſtola 121. ſcripſit hoc modo, *Nonnunquam verbis & alijs ſignis ad augendum deſiderium ſanctum nos ipſos acriùs excitamus.*

Neceſsitatem; Nam cogimur interdùm vehemēti animi cupiditate & pietate verbis efferre ſententiam. Siquidem exultante animo lætitiâ, par etiam eſt linguam exultare: vt decet nos verè cumulatum illud ſacrificium facere, & animæ & corporis. Hunc Apoſtolorum orandi morem fuiſſe ex Actis, & ex Apoſtolo multis locis cognoſcimus, 1. ad Corinth. 14. ad Epheſ. 5. & ad Coloſſ. 3. & alibi.

Vtilitas & neceſsitas orationis vocalis oſtendi poteſt & hoc modo.

Duplex eſt precandi ratio, priuata, & publica: Priuatæ orationis pronunciatione vtimur propter pri-

uatam vtilitatem, vt intimum ſtudium ac pietatem adiuuet: In publica, cùm ad incitãdam fidelis populi religionem inſtituta ſit, certis ſtatiſque temporibus linguæ officio ſuperſederi nullo modo poteſt.

DIFFICVLTAS III.

Qui cenſendi ſunt malè orare, quia non orant in ſpiritu & veritate?

Primùm infideles, de quibus ita licet Chriſtum Dominum loquentem audire, Matth. 6. *Orantes, nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt: putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur; Nolite ergo aſſimulari eis: ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.*

Hoc vnum diligenter hic notandum eſt, quod licet Chriſtus Dominus loquacitatem prohibeat, longas tamen preces, quæ à vehementi ac diuturno animi ſtudio proficiſcuntur, tantùm abeſt vt reijciat, vt etiam ſuo exemplo nos ad eam rationem cohortetur, qui non modò noctes in precatione cõſumpſit Lucæ 6. ſed ter eundem ſermonem repetijt, Matth. 26. Tantùm igitur ſtatuendum eſt inani verborum ſono minimè exorari Deum, ſicut opinabãtur falsò Gentiles.

Secundò, defectu huius conditionis peccant hypocritæ, qui ex animo non orant, à quorum conſuetudine nos deterret Chriſtus Dominus in hanc ſententiam, Matth. 6. *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amãt in ſynagogis, & in angulis platearũ ſtantes, orare, vt videantur ab hominibus; Amen dico vobis, receperũt mercedẽ ſuam: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcõdito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri poteſt: quod non ſatis eſt ingredi, ſed præterea oc-

tereà occludi oportet, ne quid erumpat, vel influat in animas extrinſecùs, quò precationis integritas violari poſsit; tum enim cæleſtis Pater, qui omniū mentes & occultas cogitationes maximè perſpicit, orantis poſtulationi concedit.

CONCLVSIO II.

SEcundò poſtulat, vt fiat cum aſsiduitate.

Eſt Catech. §. Requirit prætereà oratio, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 14.

Quantam vim habeat aſsiduitas in orādo, Iudicis illius exēplo Dei filius oſtēdit, Luc. 18. qui cùm nec timeret Deum, nec hominem revereretur, victus aſsiduitate, ac diligentiâ viduæ, eius poſtulationi conceſsit.

MONITIO.

Itaque aſsiduæ Deo preces faciendę ſunt; nec imitandi illi, qui ſemel aut iterùm orantes, niſi quod petunt, impetrârint, in oratione defatigantur. Nulla enim officij huius laſsitudo eſſe debet: quod nos Chriſti Domini, & Apoſtoli docet auctoritas. Quòd ſi interdùm in eo voluntas defecerit, precibus à Deo petamus perſeuerandi vim.

CONCLVSIO III.

TErtiò requirit, vt oratio fiat in nomine Ieſu Chriſti.

Eſt Catech. §. Vult etiam Dei filius.

Deprecatio nomine Ieſu Chriſti facta, eius merito & gratiâ id pondus aſſequitur, vt à cæleſti Patre audiatur. Eſt enim eius illa vox apud Sanctum Ioannem cap. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis: vſque modò nō petijſtis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis; vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

plenum. Et iterum cap. 14. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

CONCLVSIO IIII.

Q Vartò poſtulat, vt fiat cum ardẽti animi ſtudio, quale ſancti homines in orando adhibebant.

Eſt Catech. §. Imitemur ardẽs ſanctorũ, &c.

CONCLVSIO V.

Q Vintò requirit, vt fiat cum gratiarum actione.

Eſt Catech. §. Gratiarum autem actionem. Patet exemplo Apoſtolorum, qui hanc cõſuetudinem perpetuò ſeruauerunt; quemadmodùm apud Apoſtolum videre licet, 1. ad Corinth. 14. Ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 3. & alibi ſæpius.

CONCLVSIO VI.

S Extò, vt orationi ieiunium ſocietur.

Eſt Catech. §. Ieiunium certè maximè, &c. Nam qui potu & cibo ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt, ſic vt neque Deum intueri, neque quid ſibi velit oratio cogitare poſſunt.

CONCLVSIO VII.

S Eptimò, vt orationi quoque eleëmoſyna iungatur.

Eſt Catech. §. Sequitur eleëmoſyna, &c. Magnã enim & eleëmoſyna cum oratione ſocietatẽ habet. Quis enim, cui facultas ſit benefaciendi ei qui alienâ miſericordiâ viuat, nec opituletur proximo, & fratri ſuo, ſe charitate prẽditũ dicere audeat? aut quo ore is, qui expers ſit charitatis, Dei auxilium

tereà occludi oportet, ne quid erumpat, vel influat in animas extrínſecùs; quò precationis integritas violari poſsit; tum enim cæleſtis Pater, qui omniũ mentes & occultas cogitationes maximè perſpicit, orantis poſtulationi concedit.

CONCLVSIO II.

SEcundò poſtulat, vt fiat cum aſsiduitate.

Eſt Catech. §. Requirit prætereà oratio, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 14.

Quantam vim habeat aſsiduitas in orãdo, Iudicis illius exẽplo Dei filius oſtẽdit, Luc. 18. qui cùm nec timeret Deum, nec hominem reuereretur, victus aſsiduitate, ac diligentiâ viduæ, eius poſtulationi conceſsit.

MONITIO.

Itaque aſsiduæ Deo preces faciendę ſunt; nec imitandi illi, qui ſemel aut iterùm orantes, niſi quod petunt, impetrârint, in oratione defatigantur. Nulla enim officij huius laſsitudo eſſe debet: quod nos Chriſti Domini, & Apoſtoli docet auctoritas. Quòd ſi interdùm in eo voluntas defecerit, precibus à Deo petamus perſeuerandi vim.

CONCLVSIO III.

TErtiò requirit, vt oratio fiat in nomine Ieſu Chriſti.

Eſt Catech. §. Vult etiam Dei filius.

Deprecatio nomine Ieſu Chriſti facta, eius merito & gratiâ id pondus aſſequitur, vt à cæleſti Patre audiatur. Eſt enim eius illa vox apud Sanctum Ioannem cap. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis: vſque modò nõ petÿſtis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis; vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

plenum. Et iterum cap. 14. *Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

CONCLVSIO IIII.

Q*Vartò poſtulat, vt fiat cum ardẽti animi ſtudio, quale ſancti homines in orando adhibebant.*
Eſt Catech. §. Imitemur ardẽs ſanctorũ, &c.

CONCLVSIO V.

Q*Vintò requirit, vt fiat cum gratiarum actione.*
Eſt Catech. §. Gratiarum autem actionem. Patet exemplo Apoſtolorum, qui hanc cõſuetudinem perpetuò ſeruauerunt; quemadmodùm apud Apoſtolum videre licet, 1. ad Corinth. 14. Ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 3. & alibi ſæpius.

CONCLVSIO VI.

S*Extò, vt orationi ieiunium ſocietur.*
Eſt Catech. §. Ieiunium certè maximè, &c. Nam qui potu & cibo ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt, ſic vt neque Deum intueri, neque quid ſibi velit oratio cogitare poſſunt.

CONCLVSIO VII.

S*Eptimò, vt orationi quoque eleëmoſyna iungatur.*
Eſt Catech. §. Sequitur eleëmoſyna, &c. Magnã enim & eleëmoſyna cum oratione ſocietatẽ habet. Quis enim, cui facultas ſit benefaciendi ei qui alienâ miſericordiâ viuat, nec opituletur proximo, & fratri ſuo, ſe charitate prẽditũ dicere audeat? aut quo ore is, qui expers ſit charitatis, Dei auxilium

Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, vt noſtri patrocinium ſuſcipiant, vt nobis à Deo impetrent ea quibus indigemus.

Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes: Ad Deum enim propriè dicimus, Miſerere nobis, Audi nos: Ad Sanctum, Ora pro nobis.

Quanquam etiam licet alia quadam ratione petere, vt Sácti noſtri miſereantur: ſunt enim maximè miſericordes; Itaq; poſſumus precari eos vt côditionis noſtræ miſeriâ permoti, ſuâ nos apud Deum gratiâ ac deprecatione iuuent.

Vnum hoc loco tantùm obſeruãdum & cauendũ eſt, ne quod Dei proprium eſt, cuiquam prætereà tribuatur.

DIFFICVLTAS I.

Quo ſenſu quis orationem Dominicam ante imaginem alicuius Sancti pronunciare poteſt?

Cùm ad imaginem alicuius Sancti quis Dominicam orationem pronunciat, ita tum ſentiat, ſe ab illo petere vt ſecum oret, ſibique poſtulet ea, quæ Dominicæ orationis formulâ continentur; & ſui denique ſit interpres & deprecator ad Deum: nam eos hoc fungi officio docuit Sanctus Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi cap. 8.

QVAESTIO VIII.

An ſit præparandus animus ad orationem, & quibus maximè virtutibus?

CONCLVSIO I.

Oportet animum ad orationem præparare.

Eſt Catech. §. Eſt in diuinis litteris, &c. enim Eccleſiaſt. 18. cap. habetur; *Ante orationẽ præpara*

præpara animã tuã, & noli eſſe quaſi homo qui tentet Deum. Tentat enim Deum is, qui cùm benè orat, malè agit, & cùm loquatur cum Deo, à precibus animus eius aberrat.

De tentatione Dei vide D. Thom. 2. 2. q. 53. art, 4. ad 1. & q. 97. art. 7.

CONCLVSIO II.

P*Ræparatur animus primò humilitate.*

Eſt Catech. §. Primus igitur gradus, &c.

Huius præparationis ſæpiſsimè faciunt mentionem diuinæ litteræ, quæ & illud loquuntur, Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Item Eccleſiaſt. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.*

Occurrent Paſtoribus & Catechiſtis loci ſcripturarum innumerabiles, qui in eam ſententiam conueniunt; quamobrem plurium non neceſſaria cõmemoratione ſuperſedemus; tántùm verò, quæ aliàs attigimus, ne in hac quidem parte, quia ſunt appoſita ad hanc rationẽ, duo illa exempla prætermittemus: Publicanus eſt ille notiſsimus, Lucę 18. qui longè cõſiſtens, oculos humo tollere non audebat. Eſt etiam mulier illa peccatrix, Lucæ 7. quæ dolore permota lachrymis pedes Chriſti Domini perfudit. Vterque quantum afferat orationi põdus humilitas chriſtiana, declarauit.

Ex his patet, quòd primus gradus ad bonam orationem eſt, verè humilis ac demiſſus animus, ſcelerũque recognitio, quibus ſceleribus intelligat qui ad Deum accedit, ſe non modò dignum non eſſe qui quicquam impetret à Deo, ſed qui nę in eius quidem conſpectum veniat oraturus.

CONCLVSIO III.

PReparatur quoque contritione, ſiue angore quodam in recordatione delictorum, vel ſaltem aliquo doloris ſenſu ob eam cauſam quòd dolere non poßimus.

Eſt Catech. §. Sequitur angor, &c.

Niſi enim vtrumque, vel certè alterum à pœnitente adhibeatur, venia impetrari non poteſt.

CONCLVSIO IIII.

DEinde fuga præſertim quorundā ſcelerū quæ maximè obſtant quò minus in precatione Deus poſtulationi noſtræ concedat; vt ſunt homicidiū, ira, implacabilitas, immiſericordia, ſuperbia, contemptus verbi Dei.

Eſt Catech. §. Sed quia ſunt quædam ſcelera, &c.

De homicidio ſic loquitur Deus ore Iſaiæ cap. 1. *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiā; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*

De ira ſic loquitur Apoſtolus 2. Timoth. 2. cap. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.*

De implacabilitate, ſic Chriſtus Dominus Marci 11. *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis*: Et Matth. 6. *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

De immiſericordia ſic loquitur, Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur.*

De ſuperbia, quantoperè Deum offendat teſtis eſt illa vox Iacob. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autē dat gratiam.*

De contemptione diuinorum oraculorum extat

illud Salomonis Prouerb. 28. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

Nota tamen hoc loco concluſionem ſic eſſe intelligendã, vt non excludatur deprecatio factæ iniurię, cœdis, iracundię, illiberalitatis in pauperes, ſuperbię, deſpiciẽtiæ, diuinæ orationis, & reliquorum ſcelerũ, ſi ignoſcendi venia petatur.

CONCLVSIO V.

AD *hanc præparationem eſt quoque neceſſaria fides.* Eſt Catech. 5. Eſt verò ad hanc.

Ratio eſt. Si enim fides deſit, neque de ſummi Patris omnipotẽtia, neque de illius miſericordia (vnde tamen orantis fiducia oritur) habetur cognitio, quẽadmodùm docuit ipſe Chriſtus Dominus, Matthæi 21. cùm ait: *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.* De huiuſmodi fide ſcribit Sanctus Auguſtinus de verbis Domini, ſerm. 36. *Si fides deficit, oratio perijt.*

Caput igitur eſt ad ritè orandum, quod iam dictum eſt, vt fide firmi, ac fixi ſimus: quòd Apoſtolus ad Roman. 10. ex contrario oſtendit his verbis: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* In hanc etiam ſententiam S. Ignatius epiſtola 10. ad Heronem hortabatur eos, qui ad Deum adirent oraturi: *Noli dubio eſſe animo in oratione, Beatus eſt qui non dubitauerit.*

Quare ad impetrandum quod velimus à Deo, maximum pondus affert fides, & certa ſpes impetrãdi: quòd monet Sanctus Iacobus cap. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.*

DIFFICVLTAS I.

Quæ ſunt quæ gignunt in nobis certam fidem & ſpem impetrandi quæ petimus à Deo?

Eſt im-

Eſt imprimis ipſa Dei in nos perfecta voluntas ac benignitas, cùm iubet nos ſe Patrẽ appellare, vt eius nos eſſe filios intelligamus.

Eſt deinde propè infinitus numerus eorum qui Deum exorauerunt.

Eſt prætereà ſummus ille deprecator, qui nobis ſemper præſto eſt Chriſtus Dominus; de quo ſic eſt apud Sanctum Ioannem, 1. epiſt. 2. cap. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Item Paulus Apoſtolus ad Roman. 3. *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Item ad Timoth. 1. epiſtolæ 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Tum ad Hebreos 2. cap. *Vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Quare etſi nos indigni ſumus qui impetremus, tamen optimi dignitate interpretis, & deprecatoris Ieſu Chriſti, ſperare, & magnoperè confidere debemus, nobis omnia, quę per illum ritè petierimus, conceſſurum Deum.

Eſt quoque Spiritus ſanctus qui eſt auctor precationis noſtrę, quo duce preces noſtras audiri neceſſe eſt: *Accepimus enim* (inquit Apoſtolus ad Rom. 8. cap.) *Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba, pater*; qui quidem Spiritus infirmitatem, & inſcitiam noſtram adiuuat in hoc orandi munere: Imo verò, inquit ibidem, *Ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Eſt poſtremò ex parte noſtri conformitas volũtatis noſtræ ad voluntatem & legem Dei. Tum enim maximè & fide & ſpe vigentes omnia à Deo optata cõſequemur, cùm ad ipſius Dei legẽ & voluntatem,

omnem

omnem mentem, actionem, & orationem noſtram conformabimus: *Si manſeritis enim* (inquit Chriſtus Dominus Ioannis 15.) *in me & verba mea in vobis manſerint, quæcumque volueritis, petetis & fiet vobis.*

DIFFICVLTAS II.

Quid facient qui titubāt interdùm nec ſe ſatis eſſe firmos in fide ſentiunt?

Vtantur illa voce Apoſtolorum Luc. 17. *Domine adauge nobis fidem*: Et cæci illius, Marc. 9. *Adiuua incredulitatem meam.*

QVAESTIO IX.

Quæ eſt optima ratio orandi?

ANte reſolutionem, nota maximè referre quem modum & rationem adhibeamus in orādo. Etſi enim oratio bonum ſit ſalutare, tamen niſi rectè adhibeatur, minimè prodeſt: quod enim petimus, ſæpè non aſſequimur, vt inquit S. Iacobus cap. 4. ob eam cauſam, quia malè petimus.

CONCLVSIO I.

OPtima orandi ratio poſtulat, Primò, vt oratio fiat in ſpiritu & veritate.

Eſt Catech. § Eſt igitur orandum in ſpiritu, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. & 13.

Nam cæleſtis Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu & veritate, vt teſtatur Ioann 4. cap.

Orat in ſpiritu & veritate, qui intimum ac flagrās animi ſtudium adhibet.

Huiuſmodi orationem Deus, cui patent occultæ hominum cogitationes, audit, etiamſi ore nō profe-rantur. Sic 1. Reg. 1. audiuit Annæ, eius quæ mater

fuit

fuit Samuelis, intimas preces, de qua illud legimus ibidem cap. 13. Flentem orâſſe, & tantùm labia mouêtem. Orauit hoc modo Dauid: Inquit enim Pſalm. 16. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.* Huiuſmodi exempla in diuinis libris paſsim legentibus occurrunt.

DIFFICVLTAS I.

An oratio quæ fit voce adhibita, ſit mala?

Dicendum non eſſe malam; neque enim à ſpirituali precandi oratione vocalem excludimus, ſed principatum tribui illi orationi, quæ à vehementi animo proficiſcitur.

DIFFICVLTAS II.

An ſit interdum vtile, vel etiam neceſſarium orare voce?

Dicendum quod vocalis oratio propriam habet vtilitatem & neceſsitatem.

Vtilitatem; Nam incendit animi ſtudium, & religionem orantis inflammat; quòd ad Probam Sanctus Auguſtinus epiſtola 121. ſcripſit hoc modo, *Nonnunquam verbis & alijs ſignis ad augendum deſiderium ſanctum nos ipſos acriùs excitamus.*

Neceſsitatem; Nam cogimur interdùm vehemẽti animi cupiditate & pietate verbis efferre ſentẽtiam. Siquidem exultante animo lætitiâ, par etiam eſt linguam exultare: vt decet nos verè cumulatum illud ſacrificium facere, & animæ & corporis. Hunc Apoſtolorum orandi morem fuiſſe ex Actis, & ex Apoſtolo multis locis cognoſcimus, 1. ad Corinth. 14. ad Epheſ. 5. & ad Coloſſ. 3. & alibi.

Vtilitas & neceſsitas orationis vocalis oſtendi poteſt & hoc modo.

Duplex eſt precandi ratio, priuata, & publica: Priuatæ orationis pronunciatione vtimur propter priuatam

uatam vtilitatem, vt intimum ſtudium ac pietatem adiuuet: In publica, cùm ad incitãdam fidelis populi religionem inſtituta ſit, certis ſtatiſque temporibus linguæ officio ſuperſederi nullo modo poteſt.

DIFFICVLTAS III.

Qui cenſendi ſunt malè orare, quia non orant in ſpiritu & veritate?

Primùm infideles, de quibus ita licet Chriſtum Dominum loquentem audire, Matth. 6. *Orantes, nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt: putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur; Nolite ergo aſſimulari eis: ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.*

Hoc vnum diligenter hic notandum eſt, quod licet Chriſtus Dominus loquacitatem prohibeat, longas tamen preces, quæ à vehementi ac diuturno animi ſtudio proficiſcuntur, tantùm abeſt vt reijciat, vt etiam ſuo exemplo nos ad eam rationem cohortetur, qui non modò noctes in precatione cõſumpſit Lucæ 6. ſed ter eundem ſermonem repetijt, Matth. 26. Tantùm igitur ſtatuendum eſt inani verborum ſono minimè exorari Deum, ſicut opinabãtur falsò Gentiles.

Secundò, defectu huius conditionis peccant hypocritæ, qui ex animo non orant, à quorum conſuetudine nos deterret Chriſtus Dominus in hanc ſententiam, Matth. 6. *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amãt in ſynagogis, & in angulis platearũ ſtantes, orare, vt videantur ab hominibus; Amen dico vobis, receperũt mercedẽ ſuam: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcõdito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri poteſt: quod non ſatis eſt ingredi, ſed prætereà oc-

tereà occludi oportet, ne quid erumpat, vel influat in animas extrīſecùs, quò precationis integritas violari poſsit; tum enim cæleſtis Pater, qui omniū mentes & occultas cogitationes maximè perſpicit, orantis poſtulationi concedit.

CONCLVSIO II.

SEcundò poſtulat, vt fiat cum aſsiduitate.

Eſt Catech. §. Requirit præterea oratio, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 14.

Quantam vim habeat aſsiduitas in orādo, Iudicis illius exēplo Dei filius oſtēdit, Luc. 18. qui cùm nec timeret Deum, nec hominem revereretur, victus aſsiduitate, ac diligentiâ viduæ, eius poſtulationi conceſsit.

MONITIO.

Itaque aſsiduæ Deo preces faciendę ſunt; nec imitandi illi, qui ſemel aut iterùm orantes, niſi quod petunt, impetrârint, in oratione defatigantur. Nulla enim officij huius laſsitudo eſſe debet: quod nos Chriſti Domini, & Apoſtoli docet auctoritas. Quòd ſi interdùm in eo voluntas defecerit, precibus à Deo petamus perſeuerandi vim.

CONCLVSIO III.

TErtiò requirit, vt oratio fiat in nomine Ieſu Chriſti.

Eſt Catech. §. Vult etiam Dei filius.

Deprecatio nomine Ieſu Chriſti facta, eius merito & gratiâ id pondus aſſequitur, vt à cæleſti Patre audiatur. Eſt enim eius illa vox apud Sanctum Ioannem cap. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis: vſque modò nō petiſtis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis; vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

plenum. Et iterum cap. 14. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

CONCLVSIO IIII.

Q Vartò poſtulat, vt fiat cum ardēti animi ſtudio, quale ſancti homines in orando adhibebant.

Eſt Catech. §. Imitemur ardēs ſanctorū, &c.

CONCLVSIO V.

Q Vintò requirit, vt fiat cum gratiarum actione.

Eſt Catech. §. Gratiarum autem actionem. Patet exemplo Apoſtolorum, qui hanc cōſuetudinem perpetuò ſeruauerunt; quemadmodùm apud Apoſtolum videre licet, 1. ad Corinth. 14. Ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 3. & alibi ſæpius.

CONCLVSIO VI.

S Extò, vt orationi ieiunium ſocietur.

Eſt Catech. §. Ieiunium certè maximè, &c. Nam qui potu & cibo ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt, ſic vt neque Deum intueri, neque quid ſibi velit oratio cogitare poſſunt.

CONCLVSIO VII.

S Eptimò, vt orationi quoque eleëmoſyna iungatur.

Eſt Catech. §. Sequitur eleëmoſyna, &c. Magnā enim & eleëmoſyna cum oratione ſocietatē habet. Quis enim, cui facultas ſit benefaciendi ei qui alienâ miſericordiâ viuat, nec opituletur proximo, & fratri ſuo, ſe charitate prēditū dicere audeat? aut quo ore is, qui expers ſit charitatis, Dei auxilium

implorabit, niſi cùm peccati veniã precatur ſimul & à Deo ſuppliciter poſtulat charitatem?

Ex duabus poſtremis concluſionibus infertur orationem, ieiunium & eleëmoſynam conuenienter à Deo inſtituta eſſe veluti remedia maximè homini ſalutaria. Cùm enim peccando vel offendimus Deũ, vel proximos violemus, vel noſipſos lædamus, ſacris precibus placatum reddimus Deum, eleemoſynâ redimimus hominum offenſiones, ieiunio proprias vitæ ſordes eluimus.

Conſule D. Thom. 1. 2. q. 108. art. 3. ad 4.

Hactenus de oratione in genere: Sequitur de Oratione Dominica.

CAPI-

CAPITIS I.
ELVCIDATIO.

DE ORATIONIS DOMINICAE PROEMIO.

Pater noſter qui es in cælis.

QVAESTIO I.

Quare Chriſtus Dominus antequam ad preces poſtulationeſq́; veniamus, certis his verbis loco proœmij nos vti voluit, *Pater noſter qui es in cælis?* Et: Quare hanc diuinam orationem inchoari voluit à nomine Patris, nō Creatoris aut Domini, aut alio ſimili, quod plus maieſtatis haberet? Et: Quibus de cauſis homines Deum, Patrem ſuum appellare poſſunt?

CONCLVSIO I. RESPONSIVA PRIMAE PARTI QVAESTIONIS.

Chriſtus Dominus antequam aliquid peteremus certis his verbis nos vti voluit, vt piè ad Deum accedentes, fidentiùs etiam id facere poſſemus.

Eſt Catech. §. Cùm hæc formula, &c. Et clarior fit per ſequentem couclusionem.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA SECVNDAE PARTI.

ETſi Saluator noſter diuinam hanc orationem prætexere potuit aliquo verbo quod plus maieſtatis haberet, exempli cauſa, Creatoris, aut Domini; tamen hæc omiſit, quæ timorem ſimul nobis afferre poſſent; Illud autem adhibuit, quod orantibus, & aliquid à Deo petentibus amorem, fiduciamq́; conciliat.

Eſt Catech. §. Nam etſi Saluator, &c.

Ratio eſt euidentiſsima; Quid enim iucundius eſt Patris nomine, quod indulgentiam ſonat & charitatem?

CONCLVSIO III. QVAE CVM ALIQVOT SEQVENTIBVS reſpondet tertiæ parti.

HOmines Deum Patrem ſuum meritò appellare poſſũt, primò ratione creationis.

Eſt Catech. § Quibus autem rationibus, &c.

Nam cùm Deus creauerit hominem ad imaginẽ ſuam, nec illam cæteris animantibus impertiuerit, ex hoc ſingulari munere, quo hominem ornauit, iure omnium hominum, nec fidelium modò, ſed etiam infidelium pater in diuinis ſcripturis appellatur.

CONCLVSIO IIII.

SEcundò, ratione gubernationis.

Eſt Catech. §. A gubernatione verò.

Nam Deus proſpiciendo, & conſulendo vtilitati hominum, præcipuo quodam curæ & prouidentiæ modo nobis præſtat patriam charitatem.

DIFFICVLTAS I.

Vnde paterna Dei cura & prouidentia circà homines fàcilius agnoſci poteſt?

Ex cuſtodia Angelorum, in quorum tutela Dei ordinatione ſunt homines; Eſt enim Dei prouidentia datum hoc negotium, vt ſingulis hominibus prꝗſto ſint ſpiritus illi cꝗleſtes, ne grauius aliquod detrimentum accipiant. Nam vt parentes, ſi infeſtâ & periculosâ viâ filijs iter faciendum ſit, cuſtodes adhibent, & periculorum adiutores; Sic cæleſtis parens in hoc itinere, quo ad cæleſtem patriā contendimus, ſingulis nobis prꝗpoſuit Angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hoſtibus laqueos vitaremus, & factos in nos horribiles impetus repelleremus, ijsque ducibus rectum iter teneremus, ne obiectus aliquis error à fallaci aduerſario, nos de viâ poſſet deducere quæ ducit in cælum.

De cuſtodia Angelorum conſule D. Thom. 2. 2, q. 113.

DIFFICVLTAS II.

Quid vtilitatis adfert hominibus cuſtodia Angelica?

Patet exemplis, quorum copiam ſuppeditant diuinæ litteræ, quæ teſtantur ſæpè Dei benignitate factum eſſe, vt inſpectantibus hominibus, Angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur innumerabilia eius generis, quæ ſub oculos non caderent, à cuſtodibus noſtræ ſalutis Angelis effici vtiliter ac ſalubriter. Præclarum exemplum eſt Tob. 5. 6. & 12, Raphaël Angelus Tobiæ comes, & dux itineris diuinitus adiunctus, illum duxit, & reduxit incolumem; Cui & adiumento fuit, ne ab immani piſce deuoraretur; & quanta eſſet in eius piſcis iecore, felle, &

corde, vis demonſtrauit: Ille dęmonium expulit, eiusque impedita & colligata poteſtate, ne Tobiæ noceret, effecit: Ille verum, & legitimum matrimonij ius, & vſum adoleſcentem edocuit: Ille Tobiæ patri oculis capto, lumina reſtituit. Item Act. 12. Angelus ille Principis Apoſtolorum liberator, vberem præbebit materiam ad erudiẽdum piũm gregẽm de admirabili fructu curę, cuſtodiæque Angelorum, cùm demonſtrabunt Parochi & Catechiſtæ Angelũ carceris tenebras illuſtrantem; & Petrum tacto eius latere ex ſomno excitantem, ſoluentem catenas, dirũpentẽ vincula, monentem vt ſurgeret, ſeque ſumptis caligis, & reliquo veſtitu ſequeretur: cùm docebunt ab eodẽ Angelo Petrum per cuſtodias liberè eductũ è carcere, & apertâ deniq; ianuâ in tuto collocatum.

DIFFICVLTAS III.

An ergo Angeli certa aliqua & priuata de re ad vnumquemque noſtrum à Deo mittantur?

Dicendum, Angelos non ſolùm certa aliqua & priuata de re ad nos mitti, ſed quoſdam à primo ortu noſtræ curæ à Deo præpoſitos & in ſingulorum hominum præſidio collocatos eſſe.

Ita quoque docet D. Thom. ſup. art. 5.

DIFFICVLTAS IIII.

Vnde præterea paterna Dei cura & prouidẽtia circa homines agnoſci poteſt?

Ex charitate quam erga humanum genus gerit; Nam cùm eum à primo parente noſtri generis, & peccati vſque ad hanodiem offenderimus flagitijs, ac ſceleribus innumerabilibus, retinet tamẽ in nos charitatem, neque precipuam illam de nobis curam deponit; ſi quis eum exiſtimat hominum obliuiſci, amens eſt, & in Deũ iacit indigniſsimã contumeliam.

Iraſcitur

Iraſcitur Iſraëli Deus propter eius gentis blaſphemiam, quæ ſe arbitrabatur cæleſti ope deſertam eſſe: Eſt enim in Exodo 17. cap. *Tentauerunt Dominum dicentes, Eſtne Deus in nobis, an non?* Et apud Ezechielem cap. 8. ſuccenſet eidem populo Deus, quod dixerat: *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus Deus terram.* Ergo fideles his auctoritatibus, à nefaria illa opinione deterrendi ſunt, fieri poſſe, vt Deum capiat hominum obliuio. In hanc ſententiam audire licet cõquerentem de Deo apud Iſaiam cap. 49. Iſraeliticum populum, contraque, Deum ſtultam eius querimoniã benigna ſimilitudine refellentem; Eſt enim ibi: *Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Deus oblitus eſt mei. Cui Deus, Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.*

His locis quãquam id quod iam diximus liquidò confirmatur; tamen vt nobis penitus perſuadeatur nullum poſſe tempus accidere, quo deponat Deus hominũ memoriã, quo eis non tribuat patriæ charitatis officia; id primorũ hominum exemplo vlterius cõprbari poteſt: hos enim poſt neglectum, violatumq; Dei iuſſum, cùm acerbiùs accuſatos, & horribili illa ſententia cõdemnatos legimus Gen. 3. cap. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cũctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & cõmedes herbas terræ:* cùm vidimus è paradyſo expulſos, vt omnis reditus ſpes adimeretur; cùm in aditu paradyſi collocatum legimus Cherubin, flammeum tenentem & verſatilem gladium: cùm ab vlciſcente ſuã iniuriam Deo illos intimis, & externis moleſtijs conflictatos intelligimus; an nõ actũ de homine putaremus? an nõ crederemus nõ modò diuino illũ auxilio

nudatum,ſed etiam cuiuis iniuriæ propoſitum? Veruntamen in tantis diuinæ iræ & vltionis iudicijs,oborta eſt lux quædam Dei in eos charitatis: *Fecit enim* (inquit) *Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas; & induit eos.* Quod maximum fuit argumentum hominibus nullo vnquam tempore defuturum Deum.

Huius etiam ſententiæ vim,non exhauriri Dei amorem vllâ hominnm iniuria, Dauid expreſsit illis verbis,Pſalm. 76.*Nunquid continebit Deus in ira ſua,miſericordias ſuas?*Hanc Abacuc,Deum affatus,expoſuit, dum inquit,cap. 5. *Cùm iratus fueris,miſericordiæ recordaberis.* Hanc ſic Michæas aperuit cap. 7. *Quis Deus ſimilis tui? qui aufers iniquitatem,& transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ: non immittet vltrà furorē ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt.*

Omninò ergo res ita ſe habet, cùm perditos nos maximè, & Dei præſidio ſpoliatos arbitramur, tum maximè pro immenſa ſua bonitate nos quærit & curat Deus; ſuſtinet enim in ira gladium iuſtitiæ, nec ceſſat effundere inexhauſtos miſericordię theſauros.

CONCLVSIO V.

Tertiò,homines Deum Patrem ſuū meritò vocare poſſunt ratione redemptionis.

Eſt Catech.§. Quare tradet ſpiritualibus filijs parochus, &c.

Nam merito huius redemptionis & Spiritum Sāctum accipimus & Dei gratia digni ſumus, quo munere filij Dei adoptamur, quemadmodùm ad Rom. 8. ſcripſit Apoſtolus. *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterùm in timore,ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus,Abba pater.*

Huius adoptionis vim & efficaciam explanat Sanctus

Sanctus Ioãnes 1. ſuæ epiſt. cap. 3. ad hunc modum. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.*

Hinc baptiſmus, quod primùm redemptionis pignus & monumentum eſt, ſacramentum regenerationis appellatur. Inde enim naſcimur filij Dei. Nam inquit ipſe Dominus Ioan. 3. *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, & oportet vos naſci denuò.* Item Petrus Apoſtolus 1. epiſtolæ 1. cap. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui.*

MONITIONES.

Ad finem huius quęſtionis Parochi & Catechiſtę cum Catechiſmo de tribus monebunt fideles.

Primò, quid ipſi viciſsim debeant amantiſsimo patri Deo, vt intelligant quem amorem ac pietatem, quam obedientiam ac venerationem Creatori, gubernatori, ac redemptori præſtare, quâ ſpe ac fiduciâ inuocare illum oporteat.

Secundò, cauendum eſſe ab inſcitia & ſententiæ peruerſitate eorum, qui tantummodò ſecundas res & proſperum vitæ curſum argumẽto eſſe exiſtimãt, Deum conſeruare nobis amorem ſuum, rebus autẽ aduerſis & calamitatibus cùm à Deo exercemur, id eſſe ſignum hoſtilis in nos animi & prorſus abalienatæ à nobis diuinæ voluntatis; ſed è contrario certò ſibi perſuadendum eſſe, cùm tangit nos manus Dñi, minimè id hoſtiliter facere Dominum, verùm percutiendo ſanare, & plagam à Deo venientem eſſe medicinam. Caſtigat enim peccantes, vt ea diſciplina meliores faciat, & præſenti animaduerſione redimat ab exitio ſempiterno. Nam viſitat quidem in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra;

miſericordiam autem nó aufert à nobis. Quare monendi ſunt fideles, vt in eiuſmodi caſtigatione patriā Dei charitatem agnoſcant, & illud apud patientiſsimum Iob cap. 5. in memoria & in ore habeant: *Ipſe vulnerat & medetur, percutit & manꝰ eius ſanabūt:* vt illud vſurpét, quod ſub perſona populi Iſraëlitici ſcripſit Hieremias cap. 31. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus; Conuerte me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus:* Vt Tobiæ exemplum ſibi proponāt cap. 11. qui cùm in illa plaga cæcitatis paternam Dei manum cędentem ſenſiſſet, clamauit: *Benedico te Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me.*

Tertiò, cauendum quoque fidelibus, ne etiamſi quouis incōmodo affecti, quauis calamitate afflicti ſint, Deum id ignorare exiſtiment: Ait enim ipſe, Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit*: Imo verò ſe ipſi illo diuini oraculi ſolatio conſolentur, quo in Apocalypſi dictum eſt cap. 3. *Ego quos amo, arguo, & caſtigo.* Conquieſcant in Apoſtoli cohortatione ad Hæbreos 12. cap. *Fili mi, noli negligere diſciplinā Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus, caſtigat: Flagellat autem filium quem recipit. quòd ſi extra diſciplinam eſtis, adulterini eſtis, & non filij; Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos; non multò magis obtemperabimus patri ſpirituū, & viuemus?*

QVAESTIO II.

Cùm ſinguli Patrem inuocamus, cur noſtrum, pluralitatis vocabulo appellare iubemur?

CONCLVSIO I.

PRimùm, vt doceamur ex dono ac iure diuinæ adoptionis conſequi neceſſariò, vt fratres ſint fideles omnes, & inter ſe fraternè amare debeant.

Eſt Catech. §. Cùm patrẽ inuocamus ſinguli, &c. *Omnes enim* (inquit Chriſtus Dominus, Matth. 23.) *vos fratres eſtis, vnus enim eſt pater veſter qui in cælis eſt:* Et Apoſtoli in epiſtolis fideles oẽs fratres appellant.

Ex quo item conficitur illa conſecutio neceſſaria, vt eâdem adoptione Dei, non ſolùm inter ſe fideles vniuerſi fraterna neceſsitudine coniungantur; Sed quia homo eſt vnigenitus Dei filius, fratres etiã eius & nominentur & ſint. Nam in epiſtola ad Hæbreos cùm de filio Dei loqueretur, ſcripſit Apoſtolus cap. 2. *Non confunditur fratres eos vocare, dicens. Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Ipſe etiam Chriſtus ſic apud Euangeliſtam cap. 28. loquitur ad mulieres: *Ite nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Quòd tum ab eo dictum eſſe conſtat, cùm iam excitatus à mortuis, immortalitatem conſecutus eſſet, ne quis exiſtimet fraternam hãc cognationem, eius reſurrectione, & in cælum aſcenſu diſſolutã eſſe. Tantùm enim abeſt, vt hanc coniunctionem, & charitatẽ Chriſti reſurrectio dirimerit, vt ex illa maieſtatis, & gloriæ ſede, tum cùm de omnibus omnis memoriæ hominibus iudicabit fidelium minimos ab eo, fratrum nomine appellandos acceperimus: Qui autẽ fieri poteſt, vt Chriſti fratres non ſimus, cuius cohæredes dicimur? Eſt enim primogenitus ipſe, conſtitutus hæres vniuerſorum; nos vero ſecũdo loco geniti cohæredes eius pro modo cæleſtium donorum; pro ratione charitatis, qua præbuerimus nos miniſtros, &

ſtros, & coadiutores Spiritus ſancti; quo auctore ad virtutem, ſalutareſque actiones impellimur & incẽdimur, vt eius freti gratia, in certamẽ ſalutis fortiter deſcendamus, quo ſapienter conſtanterq́ue cõfecto decurſoq́; huius vitæ ſpatio iuſtum coronæ præmiũ capimus à cæleſti parẽte, omnibus, qui eundem curſum tenuerint conſtitutum: *Non enim* (vt ait Apoſtolus ad Hæb. 6.) *iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis noſtri, & dilectionis.*

CONCLVSIO II.

Secundò, vt doceamur Deum ex S. Chryſoſtomi ſententia Hom. 14. op. imperf. in Matthæũ, libenter chriſtianũ audire, non ſolum pro ſe, ſed pro altero deprecãtem, quod pro ſe orare naturæ eſt, pro altero gratiæ, pro ſe neceſſitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur. Quibus illa ſubiungit; Iucundior eſt Deo oratio quàm fraterna charitas cõmendat, quàm ea, quam neceſſitas rei pronunciat.

Eſt Catech. §. Quàm verò hanc, &c.

CONCLVSIO III.

Tertiò, vt doceamur omnes cuiuſcumque ætatis, generis, ordinis ſimus, nos communis huius fraternæ neceſſitudinis memores debere comiter & modeſtè gerere, neque aliјs præferre inſolentius.

Eſt Catech. § In hac tanta materia, &c.

Nam etſi in Eccleſia Dei diuerſi ſunt officiorum gradus; tamen illa varietas graduum & munerum fraternæ coniunctionis neceſsitudinem minimè tollit; quemadmodùm in hominis corpore varius vſus, & functio diuerſa membrorum nihil agit, quamobrem, hæc, vel illa corporis pars membri munus, & nomen amittat.

Explicatur

Explicatur exemplo. Propone tibi eum qui regia ſit poteſtate: an is igitur, ſi fidelis eſt, frater non eſt omnium, qui chriſtianæ fidei communione continentur? Maximè. quid ita? quia non eſt Deus alius is, ex quo diuites & Reges nati ſunt, ab eo, à quo pauperes, & qui in Regum poteſtate ſunt, extiterunt: ſed vnus Deus, & parens, & Dominus omnium. Itaque vna ſpiritualis ortus omniũ nobilitas, vna dignitas, vnus ſplendor generis; cùm omnes ex eodem ſpiritu, ex eodem fidei ſacramento nati ſimus filij Dei, & eiuſdem hęreditatis cohæredes: Nec alium Chriſtum Deum habent copioſi, & potentes homines, alium tenuiores, & infimi; non alijs ſacramentis ſunt initiati, nec aliam hęreditatem regni cęleſtis expectant. Fratres ſumus oẽs, &, vt inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 5. *Membra ſumus corporis Chriſti, de carne eius & de oſſibus eius.* Quod item in epiſtola ad Galatas cap. 3. ſignificat Apoſtolus: *Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu: Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus neque fœmina; Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.*

MONITIO.

Hæc accuratè verſanda res eſt paſtoribus animarum, & ſcienter illis in hac ſententia commorãdum: Eſt enim accommodatus locus non minus ad confirmandos & excitãdos inopes, & abiectos homines, quàm ad coercendam, comprimendamque arrogãtiam locupletum, atque potentum. Cui hominum incommodo, vti mederetur, vrgebat Apoſtolus fraternam hanc charitatem, & inculcabat fidelium auribus.

CON-

CONCLVSIO IIII.

QVartò, vt inſtruamur, cùm precationem ordimur, nos non vt ſeruos ad Dominum adire inuitos, ac timidos, ſed vt ad Patrem filios voluntarios, ſecuroſq; confugere.

Eſt Catech. §. Cùm igitur has Dei preces. Et eſt ſatis per ſe clara.

CONCLVSIO V.

QVintò & poſtremò, vt diſcamus dandam nobis eſſe operam, vt nos tales præbeamus, quales decet eſſe Dei filios: id eſt, vt orationes & actiones noſtræ indignæ non ſint diuino genere quo nos dignari voluit beneficentiſſimus Deus.

Eſt Catech. §. Deinde enim tibi eſt opera Ad hanc officij rationem cohortatur nos Apoſtolus cùm ait, ad Epheſ. 5. cap. *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi*; vt verè de nobis dici poſſit quod ipſe Apoſtolus ſcripſit 1. ad Theſſal. 5. cap. *Oẽs vos filij lucis eſtis & filij Dei.*

QVAESTIO III.

An Deus ſit vbique? Et: Quare Chriſtus Dominus vult nos dicere, Qui es in cælis, potius quàm, qui es vbique?

CONCLVSIO I.

COnſtat inter omnes, qui de Deo rectè ſentiunt, vbiq; locorum & gentium eſſe Deum.

Eſt Catech. §. Conſtat inter omnes, &c. Et D. Thom. p. 1. q. 8. art. 2.

Hæc concluſio non ita intelligenda eſt, quaſi ipſe diſtributus in partes, vna parte locum vnũ, alia aliũ occupet ac tueatur; Nam Deus ſpiritus eſt, omnis expers diuiſionis. Quis enim audeat Deum, tãquam in veſtigio poſitum, loci alicuius finibus circumſcribere, cùm ipſe de ſe dicat Hierem. 13. *Nunquid non cælum & terram ego impleo?*

Quod ſic accipiendum eſt, Deum cælum ac terrã, quæq; cælo ac terrâ comprehenſa ſunt, vi ſúa, ac virtute complecti; non autẽ ipſum vllo loco contineri. Adeſt enim omnibus rebus Deus, vel creans ipſas; vel conſeruans creatas; nulla regione, nullis finibus vel circumſcriptus, vel ita definitus, quò minùs & naturam, & poteſtatem ſuam præſens vbique cõſtituat. Quòd B. Dauid expreſsit illis verbis Pſalm. 138. *Si aſcendero in cælum tu illic es* &c.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

ETſi Deus ſit in locis & rebus omnibus, nullis terminis definitus, nihilominùs in diuinis ſcripturis frequentiùs dicit ſe habitare in cælis; Primò, vt excitet animos hominum ad contemplandam infinitam ſuam poteſtatem ac maieſtatẽ, quæ maximè elucet in opere cælorum.

Eſt Catech. §. Verùm etſi præſens adſit Deus, &c.

Explicatur. Cæli enim, quos ſuſpicimus, ſunt nobiliſsima mundi pars, ijdemque manent incorrupti, præſtantes vi, magnitudine, ac pulchritudine cæteris corporibus, certisque ac ſtabilibus motibus præditi.

CONCLVSIO III.

SEcundò dicit Deus ſe habitare in cælis, vt declaret nullam eſſe mun-

eſſe mundi partem, quæ non præſenti Dei natura ac poteſtate comprehenſa ſit.

Eſt Catech. §. Sæpè etiam quòd res eſt, &c.

CONCLVSIO IIII.

T*Ertiò dicit ſe habitare in cælis, vt fideles non ſolùm communis omnium parentis imaginem ſibi proponãt, ſed etiam in cælo regnantis Dei; vt oraturi meminerint, mentem, animumq́; referendum eſſe ad cælum; quãtumq́; ſpei ac fiduciæ affert eis patris nomen, tantum chriſtianæ humilitatis ac pietatis adiungat præſtans illa natura ac diuina maieſtas patris noſtri qui eſt in cælis.*

Eſt Catech. §. Quanquam in hac cogitatione, &c.

CONCLVSIO V.

Q*Vartò dicit ſe habitare in cælis, vt tacitè orantibus ſe præfiniat quid ab eo petendum ſit.*

Eſt Catech. §. Quæ verba præfiniunt etiam orantibus, &c.

Omnis enim poſtulatio noſtra, quæ ad huius vitę vſum ac neceſſitatem pertinet, niſi cum cæleſtibus ſit coniuncta bonis, & ad illum finẽ dirigatur, inanis eſt & indigna chriſtiano. Quarè benè monet Apoſtolus ad Coloſſ. 3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſursũ ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.*

CAPI-

CAPITIS II. ELVCIDATIO.

DE PRIMA PETITIONE ORATIONIS DOMINICAE.

Sanctificetur nomen tuum.

QVAESTIO I.

Quare petitio de ſanctificatione diuini nominis ponitur primo loco inter petitiones orationis Dominicæ? Et: An inter illas petitiones ſit aliquis ordo?

CONCLVSIO I.

VT ordine procederet oratio, Saluator petitionem hanc de ſummo bono Principem & caput conſtituit petitionum reliquarum, docens nos, priusquàm ea, quæ nobis, aut proximo cuique opus ſunt, poſtulemus, quæ propria ſunt Dei gloriæ petere debere, ipſiq; Deo ſtudium & deſiderium eius rei noſtrum exponere.

Eſt Catech. §. Quare vt ordine procederet.

Ratio eſt; Requirit enim vera charitas, totum vt animum ac ſtudium conferamus in Deum, qui quoniam ſolus eſt in ſeipſo ſummum bonum, iure eſt præcipuo quodam, ac ſingulari amore diligendus. Nec verò ex animo & vnicè poteſt amari Deus, niſi rebus omnibus ac naturis, eius honor & gloria præponatur: bona enim & noſtra & aliena, & omninò omnia, quæcumque boni vocabulo nominantur, ab illo profecta, ſummo ipſi bono cedunt.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

INter petitiones orationis Dominicæ hic ordo à Chriſto ſapienter eſt conſtitutus,vt tribus prioribus petamus quæ Deo cupiamus, reliquis quæ nobis optemus.

Eſt Catech. §. Quò facto manebimus, &c.

Ratio huius cognoſci poteſt ex officio charitatis, quâ,vt ſtatim dictum eſt,docemur & plus Deũ quàm nos ipſos diligere, & primùm petere quæ Deo cupiamus, deinde quæ nobis optemus.

DIFFICVLTAS I.

Deſiderium & oratio ſunt earum rerum quibus caremus; Deus verò nulla re caret: neque enim augeri poteſt vlla re diuina ſubſtantia, quæ inexplicabilem in modum eſt omni perfectione cumulata; quomodo ergo dicimus nos Deo aliqua cupere & petere?

Dicendum,nos nihil petere Deo intrinſecùs accedere,quod anteà non habuerit, ũ ſit perfectiſsimus: ſed exteriùs aliquid fieri, quò eius gloria innoteſcat ad hominum vtilitatem. Cupimus enim & petimus vt Dei nomen notius ſit gentibus: vt eius regnum amplificetur: vt plures quotidiè obediãt diuino numini; quæ tria nomen, regnum, obedientia, non in illo ſunt intimo Dei bono; ſed aſſumuntur extrinſecùs.

DIFFICVLTAS II.

An benè dicatur à quibuſdam verba illa, Sicut in cælo, & in terra, quæ in tertia petitione ponuntur, pertinere quoq; ad primam & ſecundam petitionem?

Dicendũ eſt, ex ſententia D. Chryſoſtomi Hom. 14. operis imperfecti in Matthæum, verba illa: *Sicut in cælo*

in cælo & in terra, ad ſingulas referri poſſe ſingularum primarum poſtulationum, hoc pacto: *Sanctificetur nomen tuum ſicut in cælo & in terra*: Item, *Adueniat regnũ tuũ ſicut in cælo & in terra*: Similiter, *Fiat volũtas tua, ſicut in cælo & in terra*. Sicut ſtatim clariùs explicabimus.

Conſule D. Thom. 2.2. q. 83. art 9. ad 1.

QVAESTIO II.

An nomen Dei ſanctum poſſit à nobis ſanctificari? Et: Quæ petimus, cùm dicimus, Sanctificetur nomẽ tuum?

CONCLVSIO I.

ETſi diuinũ nomẽ per ſe ſanctificatione nõ egeat, cùm ſanctum & terribile ſit, quẽadmodùm ipſe Deus ſua pte natura ſanctus eſt, neque ei vlla ſanctitas, quâ ab omni æternitate præditus non fuerit, poſſit accedere; tamẽ quia in terris longè minori honore afficitur, quàm par eſt, nonnunquam etiam maledictis & nefarijs vocibus violatur, poteſt ſanctificari nomen Dei in hominibus, tũ ab eis qui eum inhonorarũt, tum ab eis qui minus honorarunt.

Eſt Catech. §. Etſi veriſsimum illud eſt. Et ex ſequentibus fiet manifeſta.

DIFFICVLTAS VNICA.

An nomen Dei poſſit ab hominibus in terris ſanctificari, ſicut ſanctificatur à cœlitibus in cælo?

Dicendum, quòd etſi fieri non poſsit vt ſanctificatio terreſtris cæleſtem exæquet; poteſt tamen & debet illam imitari, vt nimirum ex charitate, ex intimo animi ſtudio aſpiret ad ſanctificationẽ illam cæleſtem; *Sicut*, ergo non ſignificat æqualitatem, ſed ſimilitudinem & imitationem.

CONCLVSIO II. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

PRimò cupimus ac petimus, vt diuinum nomen laudibus, honore, gloriâ celebretur, ad exemplum laudũ, honoris & gloriæ, quæ illi in cælo tribuuntur; id eſt, vt ſic honor & cultus in mente, in animo, in ore verſetur, vt omni veneratione & intima & externa proſequamur; omni celebritate excelſum, purum, & glorioſum Deum, ad imitationem ſuperiorum & cæleſtium ciuium, complectamur.

Eſt Catech. §. Propterea cupimus ac petimus, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9.

Explicatur concluſio; Vt enim cælites, ſumma conſenſione, gloria, & prædicatione efferunt Deum; ſic precamur, vt idem contingat orbi terrarum, vt omnes Deum cognoſcant, colant & venerentur; vt nulli planè mortales reperiantur, qui non & ſuſcipiãt chriſtianam religionem, & ſe totos Deo dicantes, credant ex eo omnis ſanctitatis fontem exiſtere, neque quicquam eſſe purum aut ſanctum, quod non à ſanctitate diuini nominis oriatur. Teſtatur enim Apoſtolus ad Epheſ. 5. cap. mundatam eſſe Eccleſiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Significat autem verbum vitæ, nomen Patris & Filij, & Spiritus Sancti, in quo baptizamur & ſanctificamur.

CONCLVSIO III.

SEcundò cupimus ac petimus, vt quoniã nulla cuiuſquam expiatio, nulla munditia & integritas eſſe poteſt, ſuper quo non ſit inuocatum diuinum nomen, omne hominum genus, relictis impuræ infidelitatis tenebris, ac radijs diuini luminis illuſtratũ, huius vim nominis agnoſcat, ſic vt in eo verã quærat

quærat ſanctitatem, & in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis baptiſmi ſacramentum ſuſcipiens, ipſius Dei dexterâ perfectam vim ſanctitatis conſequatur.

Eſt Catech. §. Itaque quoniam nulla cuiuſquam.

CONCLVSIO IIII

TErtiò optamus quoque & precamur à Deo, vt & in ijs qui flagitijs & ſceleribus puram baptiſmi integritatem, & innocentiæ ſtolam amiſerunt, nomen Dei ſanctificetur; vt ad cor & ſanitatem redeuntes, ſacramento pœnitentiæ redimant priſtinam ſanitatem, ſeq; ipſos purum ac ſanctũ Deo templum ac domicilium præbeant.

Eſt Catech. §. Pertinet verò optatum.

CONCLVSIO V.

QVartò denique oramus, lumẽ vt ſuum Deus præferat omnium mẽtibus, quo videre poſſint omne datum optimum & omne donum perfectum, deſcendens à Patre luminum, ad nos diuinitus eſſe delatũ, quo temperantiam, iuſtitiam, vitam, ſalutem, omnia deniq; animi, corporis externa, vitalia, ac ſalutaria bona illi accepta referant.

Eſt Catech. §. Oramus denique lumen, &c.

Ratio eſt; A Deo enim, quemadmodùm prædicat Eccleſia, bona cuncta procedunt: Si quid luce ſua ſol, ſi quid reliqua ſydera motu, & curſu proſunt hominum generi; ſi circumfuſo hoc alimur ſpiritu; ſi terra frugum, & fructuum vbertate vitam ſuſtinet omnium; ſi operâ magiſtratuum, quiete & trãquillitate fruimur: & hæc, & huius generis bona innumerabilia nobis ſuppeditat immẽſa Dei benignitas. Quin etiã, quas Philoſophi ſecũdas cauſas appellant, interpretari debemus, mirabiliter effectas quaſdam, & ad vsũ noſtrũ accõmodatas, Dei manus, quibus nobis ſua bona diſtribuit, ac lõgè lateq; diffũdit.

CAPITIS III. ELVCIDATIO.

DE SECVNDA PETITIONE.

Aduenìat regnum tuum.

EXPLICATIONI huius petitionis, quatuor cum Catechiſmo præmittenda ſunt; Primum, Parochos & Catechiſtas diligenter debere tractare hanc petitionem, vt omnes intelligant quanta ſit in ea vis & neceſsitas. Regnum enim cæleſte, quod hac petitione poſtulamus, eiuſmodi eſt, vt eò referatur ac terminetur omnis Euangelij prædicatio. Nam Sanctus Ioannes Baptiſta inde exorſus eſt hortari ad pœnitentiam, dum inquit Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et Saluator humani generis inde quoque fecit ſuæ prædicationis initium. Et in illo ſalutari ſermone, quo beatitudinis vias diſcipulis in monte monſtrauit, tãquam propoſito orationis argumento principium duxit à regno cęlorum. Inquit enim Matth. 5. cap. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnum cælorum.* Præterea cùm quidam eum retinere cuperent Luc. 4. attulit illam cauſam neceſſariæ profectionis: *Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò miſſus ſum.* Hoc idem poſteà regnum prædicare iuſsit Apoſtolis Matth. 10. Et illi, qui ſe ire ad ſepeliẽdum fratrem ſuum velle dixerat, Luc. 9. reſpondit: *Tu vade, annuncia regnum Dei.*

Secundum, quòd etſi hæc petitio coniuncta ſit cum reliquis omnibus; eam tamen ſeparatim etiam

adhiberi iuſſerit à cæteris, vt quod per eam petimus, ſummo ſtudio & vehementer petere diſcamus. Inquit enim Chriſtus Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* In hac ſiquidem regni Dei petitione comprehẽſa ſunt omnia, quibuſcumque in hac peregrinatione vel potius exilio indigemus; Ideo enim ſtatim ſubiungit: *Et hæc omnia adijcientur vobis.* Si enim homines ſunt de regni ſui incolumitate ſoliciti; quantâ Regem omnium curâ & prouidentiâ tueri credendum eſt & vitam & ſalutem hominum?

Tertium, minimè ſatis eſſe diſtinctè & vehementer petere Dei regnum, niſi ad petitionem noſtram adhibeantur omnia tanquam inſtrumenta, quibus illud quæritur & inuenitur. Nam & quinque fatuæ virgines Matth. 25. ſtudioſè quidem illæ petierunt ad hunc modum, *Domine Domine aperi nobis*: veruntamen quod illius poſtulationis pręſidia non haberẽt, excluſæ ſunt: nec iniuria; eſt enim illa Dei ore pronunciata ſententia Matth. 7. cap. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.*

Quartum & poſtremum, plurimum conducere ad excitandum in nobis deſiderium regni cęlorum, agnoſcere calamitoſam ſtatus noſtri conditionem: Exules enim ſumus, & planè eius loci incolæ, in quo habitant dæmones: quorum odium in nos nulla ratione mitigari poteſt: nam ſunt infeſtiſsimi & implacabiles in genus humanum. Quid domeſtica, inteſtinaque prælia, quę inter ſe corpus & anima, caro & ſpiritus aſsiduè gerunt? quibus perpetuò timendum eſt, ne concidamus; timendum autem? imò ſtatim

conciderEmus, niſi propugnaculo diuinæ dexteræ defenderemur. Quam vim miſeriarum cùm ſentiret Apoſtolus ad Roman. 5. *Infelix* (inquit) *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Hæc infelicitas noſtri generis, quanquam per ſe cognoſcitur; tamen ex contentione reliquarum naturarum, & creatarũ rerum faciliùs intelligi poteſt. In illis, ſiue rationis, ſiue etiã ſenſus expertibus, rarò fieri videmus, vt aliqua natura à proprijs actionibus, à ſenſu, vel motu inſito declinet, ſic vt à propoſito & conſtituto fine deflectat. Hoc apparet in beſtijs agreſtibus, natantibus, volucribus, vt res declaratione nõ egeat. Quòd ſi cælum ſuſpexeris, nónne veriſsimum id eſſe intelligis, quod à Dauide dictum eſt Pſalm. 118. *In æternum, Domine, verbum tuum manet in cælo.* Nempe illud continente motu & perpetua conuerſione fertur, vt ne minimum quidem à præfinita diuinitus lege diſcedat. Si terram & reliquam vniuerſitatem cõſideres, facilè videas aut nulla, aut exigua ex parte deficere. At miſerrimum hominum genus ſæpiſsimè labitur: rarò, quæ rectè ſunt cogitata, perſequitur: plerumque ſuſceptas bonas actiones abijcit, atque contemnit: quæ modo placuerat optima ſentẽtia, ſubitò diſplicet; & illâ reiectâ, ad turpia conſilia, ſibique pernicioſa dilabitur. Quænam igitur eſt huius incõſtantiæ miſeriæque cauſa? Contemptio planè diuini afflatus; Claudimus enim aures Dei monitis: oculos tollere nolumus ad ea, quæ nobis lumina diuinitus præferuntur, nec cæleſtem Patrem ſalutariter præcipientem audimus.

MONI-

MONITIO.

Quare huc incumbendum erit Parochis & Catechiſtis, vt & miſerias oculis ſubijciant fidelis populi, & commemorēt cauſas miſeriarum, & remediorum vim oſtendant: quorum omnium illis facultas non deerit, comparata ex ſanctiſsimis viris Ioanne Chryſoſtomo, & Auguſtino, maximè verò ex ijs, quæ in ſymboli expoſitione poſuimus. Nam illis cognitis, quis erit è facinoroſorum hominum numero, quin adiumento Dei gratiæ præeuntis, euāgelico illo prodigi filij exemplo conetur exurgere & erigere ſe, atque in cæleſtis Regis, patriſque conſpectum viuere?

QVAESTIO I.

Quid ſignificatur vocabulo, Regni, in ſacris ſcripturis?

CONCLVSIO I.

Communis quædam regni Dei ſignificatio, quæ frequēs eſt in diuinis litteris, eſt, non ſolùm eius poteſtatis quā habet in omnem hominem, rerumq; vniuerſitatem, ſed etiam prouidentiæ, quâ cuncta regit ac moderatur.

Eſt Catech. § Communis igitur, &c.

In manu enim eius (inquit Propheta Pſalm. 49.) *ſunt omnes fines terræ.* Quibus finibus etiam intelliguntur, quæ occulta ſunt & abdita in intimis terræ, ac rerum omnium partibus. In hanc ſententiā Mardochæus loquebatur illis verbis, Eſt. 13. *Domine Deus, Rex omnipotens in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tua poßit reſiſtere voluntati. Dominus omniū es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.*

CON-

CONCLVSIO II.

Item Dei regno declaratur præcipua illa ac ſingularis prouidentiæ ratio, quâ Deus pios & ſanctos homines in hac vita tuetur & curat.

Eſt Catech. §. Item Dei regno, &c.

De hac propriâ & eximiâ quadam Dei curâ dictũ eſt illud à Dauide Pſalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

Hoc regnum à Doctoribus Schol. vocatur *regnum gratiæ*, & pertinet ad vitam præſentem.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo ergo Chriſtus dixit Pilato, Regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo?

Dicendum, Chriſtum ſignificâſſe regnum ſuum minime ex hoc mundo, qui & conditus eſt & interiturus, ortum habere; Nam eo modo dominãtur Imperatores, Reges, Reſpublicæ, Duces, omneſq; ij, qui vel expetiti vel dilecti ab hominibus præſunt ciuitatibus atque prouincijs, vel per vim & iniuriam dominatum acceperunt. Chriſtus autem Dominus cõſtitutus eſt Rex à Deo, vt ait Propheta Pſalm 2. *Cuius regnum* ex Apoſtoli ſententia *iuſtitia eſt:* Inquit enim ad Roman. 14. *Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudiũ in ſpiritu ſancto.*

DIFFICVLTAS II.

Quomodo Chriſtus in pijs & Sanctis hominibus regnat?

Dicendum, quòd per virtutes intimas, fidem, ſpẽ, charitatem; quibus virtutibus regni quodammodò partes efficiuntur, & Deo peculiari quadam ratione ſubiecti, ad eius cultum & venerationem conſecrantur, vt, quemadmodùm dixit Apoſtolus ad Galatas 2. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*; ita illis

dicere liceat, Regno ego iam non ego, regnat verò in me Chriſtus. Nam etſi Ieſus Chriſtus per fidẽ regnet in omnibus, qui gremio ac ſinu ſanctiſsimæ matris Eccleſiæ continentur; præcipuo tamen modo regit eos qui pręſtanti fide, ſpe, & charitate præditi, ſe tanquam pura quædam & viua membra Deo præbent.

DIFFICVLTAS II.

Quo ſenſu hoc Chriſti regnum ab Apoſtolo ſupra vocatur iuſtitia?

Ideo regnũ iuſtitia dicitur, quia Chriſti Domini iuſtitiâ conſtitutum eſt.

De hoc regno ſic loquitur apud Lucã Dñs cap. 17. *Regnum Dei intrà vos eſt.*

CONCLVSIO III.

P*Rætereà vocabulo Regni ſignificatur Regnum gloriæ Dei.*

Eſt Catech. §. Eſt verò etiam Dei gloriæ, &c.

De hoc Regno loquitur Chriſtus Dominus apud Sanctum Matthæum cap. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratũ vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Hoc idem ab eo regnum, apud Sanctum Lucam cap. 23. latro admirabiliter ſua ſcelera recognoſcẽs, expetebat in hunc modum: *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Sanctus etiam Ioannes cap. 3. meminit huius regni: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Meminit item Apoſtolus ad Epheſios cap. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt Idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regño Chriſti & Dei.* Eodem pertinent aliquot ſimilitudines Chriſti Domini loquentis de regno cælorum, Matthæi 13.

DIFFICVLTAS I.

Quid eſt gratia, & quid gloria?

Gratia, ex ſententia ipſiuſmet Saluatoris Ioan. 4. *Eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Gloriam autem quid eſſe dicemus, niſi gratiam quandam perfectam & abſolutam? Quamdiu enim fragili hoc & mortali corpore veſtiti ſumus, dum in hac cæca peregrinatione, & exilio vagi, & imbecilles abſumus à Dño, ſæpè labimur & cadimus, abiecto regni gratiæ adminiculo, quo nitebamur: cùm autẽ regni gloriæ, quod perfectum eſt, nobis illuxerit, firmi ac ſtabiles perpetuò conſiſtemus. Omne enim & vitium, & incommodum exhaurietur: omnis infirmitas confirmata roborabitur: ipſe deniq; noſtra in anima, & in corpore regnabit Deus.

De gratia quid ſit vide D. Thom. 1. 2. q. 110.

Quomodo à gloria differt, 2. 2. q. 24. art. 3. ad 2.

Hæc res vberius in ſymbolo tractata eſt, cùm de reſurrectione carnis ageretur.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo differunt Regnum gratiæ, & Regnum gloriæ?

Dicendum, quod Regnum gratiæ eſt vitæ præſentis: Regnum verò gloriæ eſt futuræ. Neceſſe eſt enim prius ponere Regnum gratiæ vt ſequatur regnum gloriæ: Neque enim fieri poteſt, vt in nullo regnet Dei gloria, niſi eiuſdẽ gratia in illo regnârit.

Ex ijs quæ ſtatim diximus non erit difficile colligere & alias differentias.

QVAESTIO II.

Quæ ergo rogamus hac petitione?

CONCLVSIO I.

PRimùm petimus à Deo, vt regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia, propagetur; hoc eſt, vt ſe ad fidē Chriſti Domini, & ad accipiendam veram Dei cognitionem conuertant infideles, & Iudæi, & Schiſmatici, ac hæretici redeant ad ſanitatem, & ad Eccleſiæ Dei communionem, à qua deſciuerūt, reuertantur.

Eſt Catech. §. Petimus autem à Deo.

Hoc regnum prædicit Propheta Iſaias cap. 54. his verbis: *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: longos fac funiculos tuos, & claues tuos conſolida: ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis, quia dominabitur tui qui fecit te.* Et idem cap. 60. *Ambulabūt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui: leua in circuitu oculos tuos, & vide; omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.*

CONCLVSIO II.

SEcundò petimus, vt ad eos fideles, in quibus propter peccatum Dæmon habitat ac dominatur tanquam in proprijs domicilijs, veniat regnum gratiæ Dei, quò illi peccatorū diſcuſſa caligine, & radijs diuinæ lucis illuſtrati, reſtituantur in filiorum Dei priſtinam dignitatem.

Eſt Catech. §. Verùm quia ſunt in Eccleſia, &c.

CONCLVSIO III.

POſtremò petimus tandē nobis dari regnū gloriæ, id eſt, vt ſolus in nobis viuat, ſolus regnet Deus, ne ſit poſt hac morti locus, ſed vt illa abſorbeatur in victoria Chriſti Domini noſtri, qui diſſecto ac diſſipato omni hōſtiū principatu, poteſtate, & virtute, ſuo omnia ſubijciat imperio.

Eſt Catech. §. Petimus denique vt ſolus. Et eſt ſatis per ſe clara.

Docu-

Documenta Spiritualia.

Sub finem huius petitionis, Catechiſmus fidelibus proponit meditanda hæc quatuor.

Primum, quibus cogitationibus inſtructi, piè & libenter poterunt à Deo petere: *Adueniat regnũ tuum.*

Inter oẽs meditationes ad id idoneas potiſsima eſt illius ſimilitudinis à Saluatore introductę Matth. 13. *Simile eſt regnũ cælorum theſauro abſcondito in agro, quẽ qui inuenit homo, abſcondit. & præ gaudio illius, vadit, & vẽdit vniuerſa, quæ habet, & emit agrũ illum.* Nam qui nouerit Chriſti Dñi diuitias, is præ illis omnia contemnet; huic facultates, opes, potẽtia ſordeſcent. Nihil enim eſt quod illi ſummo pretio cõparari, imò verò quod in conſpectu eius ſtare poſsit. Quare quibus id noſſe contigerit, exclamabũt illi, vt Apoſt. ad Phil. 3. *Omnia detrimentũ feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Hæc eſt illa inſignis euangelij margarita Matth. 13. in qua, qui pecuniã ex omni bonorũ venditione redactam erogârit, is beatitudine fruetur ſempiterna.

O nos fœlices, ſi tantum luminis nobis præferret Ieſus Chriſtus, vt illã videre poſſemus diuinę gratię margaritã, qua ipſe regnat in ſuis: nam & noſtra omnia, & nos ipſos venundaremus, vt emptam illã tueremur: tum enim nobis nõ dubitãter dicere liberet: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Et illud Prophetæ 64. cap. atque Apoſtoli 1. ad Corinth. 2. vocem, atq; ſententiam proferens. *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.*

Secundum, quid maximè cõducat ad impetrandũ huiuſmodi regnum, nimirùm profunda humilitas, ſi vide-

ſi videlicet qui ſimus ipſi nobiſcũ reputemus, id eſt, Adã progenies iure è paradiſo eiecti, & exules; quorum indignitas, ac peruerſitas ſummũ Dei odium, ac ſempiternas pœnas poſtularet. Quare demiſſorum & abiecto animo ſimus oportet. Noſtra etiã erit plena chriſtianæ humilitatis oratio; & omninò nobis ipſi diffidentes, illius more Publicani confugiemus in Dei miſericordiam, totumq́; eius benignitati tribuentes, ipſi gratias agemus immortales, qui nobis ſuum ſpiritum ſit elargitus, quo freti clamare audeamus: *Abba pater*, ad Roman. 8.

Tertium quid agendum, quid contra vitandũ ſit, vt ad cæleſte regnum peruenire poſsimus. Nõ enim à Deo ad otium & ad inertiã vocati ſumus: quinimo inquit Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Itaque nõn eſt ſatis, petere regnum Dei, niſi ſuum ipſi etiam ſtudium & operam adhibeãt homines: Nam adiutores ſint oportet, & adminiſtri Dei gratiæ eo tenendo curſu, quo peruenitur in cælum. Nunquam nos deſerit Deus, qui nobiſcum ſe futurũ perpetuò pollicitus eſt, vnum vt nobis videndũ ſit, ne Deum & nos ipſos deſeramus.

Quartum & poſtremum, in Eccleſiæ regno tantũ præſidiorum à Deo eſſe conſtitutum; vt non modò ab acerrimorum hoſtium regno tuti eſſe, ſed ipſum etiam tyrannũ eiuſq́; nefarios ſatellites proſternere & conculcare poſsimus. Inter quæ præſidia non poſtremum locum tenẽt, inuiſibiles Angelorum copię, & pleniſsimum virtutis cæleſtis viſibile munus ſacramentorum.

CAPITIS IIII. ELVCIDATIO.

DE TERTIA PETITIONE.

Fiat voluntas tua.

ANTE elucidationem huius petitionis duo præmittenda ſunt.

Primum, bono ordine poſt regni cæleſtis poſtulationem, poſitam hoc loco hãc petitionem, *Fiat voluntas tua.* Cùm enim à Chriſto Domino dictum ſit Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum cælorum, ſed qui facit volũtatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum cælorum;* quicumque in illud cęleſte Regnum peruenire cupiunt, id à Deo petere debent, vt fiat voluntas eius.

Alterum, maximè nobis neceſſarium eſſe, quod hac prece poſtulamus.

Probatur primò, ex peruerſitate humanæ voluntatis, & alijs ęrumnis & miſerijs, quibus oppreſſũ eſt genus humanum propter peccatum primi parentis.

Nam à principio Deus ſic creauit hominẽ, vt naturaliter in Deum tanquam in finem ſuum, & beatitudinis auctorem ferretur; ſed ab eo ſtatu & conditione ſtatim decidit. Nam per peccatum non ſolùm bona iuſtitiæ originalis amiſit, quibus à Deo ſupra naturæ ſuæ facultatem auctùs ornatuſque fuerat, ſed etiam inſitum in animo præcipuum virtutis ſtudium obſcurauit; quod Pſalmiſta ſignificauit Pſalm. 13. Illis verbis: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti*

ſunt,

ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Et Geneſ. 8. cap. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia*; vt inde facilè intelligi poſsit neminem per ſe ſalutaria velle poſſe, ſed omnes ad malum eſſe propenſos, innumerabileſque eſſe hominum prauas cupiditates, dum procliues ſunt & flagranti ſtudio feruntur ad iram, ad odium, ad ſuperbiam, ad ambitionem, ad omne ferè malorũ genus.

Secundò, idem probatur ex cęcitate humani intellectus: ſiquidem homines ita cupiditatibus & libidinibus ſunt occæcati, vt non videant ea, quæ ſalutaria opinantur, plerumque eſſe peſtifera, imo verò ad illa perniciosa mala, tanquam ad optabile & expetendum bonum rapiantur præcipites: ab ijs contrà quæ verè bona ſunt & honeſta tanquam à cõtrarijs rebus abhorreant.

Hanc opinionem corruptumque iudicium deteſtatur Deus Iſaiæ 5. cap. illis verbis: *Væ qui dicitis malũ bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

Vt hæc duo mala, noſtramque peruerſitatem & miſeriam ſubijciant oculis noſtris, diuinæ litteræ cõparant nos eleganter pluribus rebus;

Primò ijs qui verum guſtandi ſenſum amiſerunt Iſaiæ 24. Hier. 4. Ezech. 18. & alijs locis. Nam ſicut illi à victu ſalubri alieni ſunt, appetuntque contrarium; ita nos res ſalutares nolumus, & volumus pernicioſas.

Secundò ægrotis, Pſalm. 6. & 16. & 106. & Iſaiæ 24. & alijs in locis. Vt enim illi niſi morbum depulerint, ſanorum & integrorum hominũ officia ac munera obire non poſſunt; ſic nos actiones, quæ Deo gratæ ſint, ſuſcipere ſine diuinæ gratiæ adiumento

ſequimus. Quòd ſi quædam ſic affecti aſſequimur, leuia illa ſunt,& quæ ad conſequẽdam cæleſtem beatitudinem parum vel nihil momenti habẽt; at Deũ vt par eſt, amare &colere, quod maius quiddam & altius eſt, quã vt nos humi ſtrati id humanis viribus aſſequamur, nunquam poterimus, niſi adiumento diuinæ gratiæ ſublcuemur.

Tertiò, pueris. Nam ſicut pueri ſuo relicti arbitrio temerè mouentur ad omnia; ita nos, ſi diuino præſidio deſeramur, non niſi ludicris & inanibus actionibus delectamur. Sic enim nos obiurgat Sapientia, Prouerb.1. cap. *Vſquequo paruuli diligitis infantiã; & ſtulti, ea quæ ſibi noxia ſunt, cupient?* Et in hunc modũ hortatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. *Nolite pueri effici ſenſibus*: etſi in maiori inanitate & errore verſamur quàm illa puerilis ætas, cui tãtùm abeſt humana prudentia, ad quam tamen per ſe poteſt peruenire; cùm ad diuinam prudentiam, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, non niſi Deo auctore & adiutore aſpirare poſſumus; niſi enim præſto nobis ſit Dei auxilium, reiectis ijs quæ verè ſunt bona, ad interitum ruimus voluntarium.

Ex his facilè colligere eſt quod ante præmiſimus, maximè neceſſarium eſſe nobis quod hac prece poſtulamus: *Fiat voluntas tua.* Si enim noſtra voluntas peruerſa eſt, legique Dei contraria: reſtat vnicũ hoc remedium, vt Dei auxiliũ imploremus, quò noſtram voluntatem diuinæ legi & voluntati conformare poſſimus.

Non minus nobis orare neceſſarium eſt: *Fiat voluntas tua*, cùm iam Dei auxilio Dei volũtati obtemperamus. Nam licet ita comparatis, propriæ tamen cupiditates aduerſantur, propter procliuitatem ad

malum inſitam in hominū ſenſibus, vt etiamſi tales ſimus, magnum tamen nobis hoc loco periculum ſit nobis ipſis, ne abſtracti & illecti à concupiſcentijs, quæ militant in membris noſtris, de ſalutis via deflectamus. De hoc periculo Chriſtus nos admonuit, Matth. 26. his verbis: *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem; Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; Neq; enim eſt in hominis poteſtate, ne in eius quidem qui per Dei gratiam eſt iuſtificatus ita domitos habere carnis affectus, vt nunquam illi poſteà excitentur; quippe cùm eorum qui iuſtificati ſunt, mentem ſanet Dei gratia, non etiam carnem. De qua ſcripſit illud Apoſtolus ad Roman. 7. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Nam vt ſemel primus homo iuſtitiam originalē, qua tāquam freno quodam cupiditates regebantur, amiſit; minimè eas poſtea ratio continere in officio potuit, vt ea non appeterent quę etiam rationi repugnant. Itaque in eá hominis parte peccatum, id eſt, peccati fomitē habitare ſcribit Apoſtolus ad Roman. 7. vt intelligamus eum non ad tempus quaſi hoſpitem diuerſari apud nos, ſed quamdiu viuimus tāquam incolam noſtri corporis, in domicilio membrorum latere perpetuò. Ergo domeſticis & inteſtinis hoſtibus aſsiduè oppugnati, facilè colligimus confugiendum eſſe ad Dei auxilium, petendumque vt fiat in nobis voluntas eius.

His ita pręmiſsis, ad elucidationem ipſius petitionis veniendum eſt.

QVAESTIO I.

Quid ſignificat, voluntas Dei, in hac petitione?

CONCLVSIO VNICA.

Voluntatem hic accipi dicimus pro ea, quam ſigni appellare ſolent, hoc eſt, pro eo quod Deus à nobis fieri aut caueri iuſſerit, aut monuerit.

Eſt Catech. §. Quo loco multis omiſsis, &c. Et D. Thom. 2.2. q. 83. art. 9. ad 1.

Quare voluntatis nomine hoc loco comprehẽſa ſunt vniuerſa, quæ nobis ad cæleſtem beatitudinem comparandam proponuntur, ſiue illa ad fidem, ſiue ad mores pertineant: omnia denique quæcumque Chriſtus Dominus per ſe, vel per Eccleſiam ſuam facere aut imperârit, aut prohibuerit. De hac volũtate ita ſcribit Apoſtolus ad Epheſios 5. cap. *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.*

De voluntate Dei beneplaciti & ſigni, conſule D. Thom. 1. p. q. 19.

QVAESTIO II.

Quæ ergo petimus hac petitione?

CONCLVSIO I.

Petimus imprimis nobis vt Pater cæleſtis facultatem concedat obtemperandi diuinis iuſsis, & inſeruiendi ei in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris: vt ad nutũ, & voluntatẽ eius omnia faciamus: vt ea colamus officia, de quibus in ſacris litteris admonemur: vt ipſo duce, & auctore reliqua omnia præſtemus quæ eos decent, qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt, exemplũ Chriſti Domini ſecuti, qui factus eſt obediẽs vſque ad mortem, mortem autẽ crucis: vt parati ſimus omnia perpeti potiùs, quàm vel minimum ab eius voluntate diſcedere.

Eſt Catech. §. Cùm illud precamur, &c.

DIFFICVLTAS VNICA,

Quibus potiſsimum datum eſt feruenter hanc precem fundere, fiat voluntas tua?

Dicendum, quod ijs quibus cōceſſum eſt, vt ſummam dignitatem intueantur, qui Deo obediunt: ij enim veriſsimè dici intelligent illud: *Seruire Deo & illi obedire, regnare eſt.* Siquidem *Quicumque* (inquit Dominus Matth. 12.) *fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*: Hoc eſt, cum illo ſum omnibus amoris & beneuolentiæ vinculis coniunctiſsimus. Hinc ferè nemo eſt ex ſanctis viris, quin præcipuum huius petitionis munus vehementer à Deo poſtulârit: ac præclara quidē omnes, ſed varia perſæpè oratione vſi ſunt, in quibus mirificum, & ſuauiſsimum Dauidem videmus illud variè poſtulantem. Modo enim inquit Pſalm. 118. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Interdùm, *Deduc me in ſemitam mādatorum tuorum.* Nōnunquam, *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia.* Huc pertinēt illa, *Da mihi intellectum, vt diſcam mādata tua Iudicia tua doce me: Da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.* Sæpè alijs verbis eandem tractat, verſatque ſententiam.

CONCLVSIO II.

SEcundo loco deteſtamur opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immūditia, impudicitia, luxuria, &c. Petimusq; ne ſinat Deus ea nos perficere, quæ ſenſus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas noſtra ſuaſerit: ſed vt noſtram voluntatem ſua voluntate moderetur.

Eſt Catech. §. Secundo loco cùm illud, &c.

Alieni ſũt ab hac petitione voluptuarij homines, qui in terrenarum rerum cura & cogitatione defixi ſunt: Feruntur enim libidine præcipites ad potiundum quodq́ concupierunt, & in illo fructu prauæ cupiditatis felicitatem ponunt, vt beatum etiam eſſe dicant, qui quodcumque optârit, conſequatur. Nos contrà petimus à Deo, vt ait Apoſtolus ad Rom. 13. ne carnis curã faciamus in deſiderijs, ſed vt fiat voluntas eius.

CONCLVSIO III.

PRecamur quoque Deum, vt cupiditatibus noſtris non ſatisfaciat.

Eſt Catech. § Etſi non facilè adducimur.

Hæc precatio admodùm difficilis eſt, quia id petentes videmur nos odiſſe; Hinc ſtultitiæ tribuunt ſic precari illi, qui toti hærent in corpore; Sed fideles ſtultitiæ famam libenter ſubire debẽt Chriſti causâ, cuius eſt illa ſententia Matth. 6. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum.* Præſertim cũ ſciamus multò præſtare, id optare, quod rectum iuſtumque ſit, quàm id aſſequi quod à ratione, à virtute, à Dei legib' ſit alienum. Et certè deteriore loco is eſt, quicumque ad id peruenit, quod temerè, ac libidinis impulſu cupiebat quàm qui optimè quod optauit, non aſſequitur.

CONCLVSIO IIII.

PRaterea non id modò petimus ne concedatur nobis à Deo quod ipſi noſtra ſponte cupimus, cùm ſtudium noſtrum deprauatum eſſe cõſtet; ſed ne etiam detur, quod ſuaſore & impulſore Dæmone ſimulato Lucis Angelo tanquam bonum interdùm poſtulamus.

Eſt Catech. §. Quanquam non id modò.

Ratio

Ratio eſt. Nam frequẽter ſpecie recti decipimur. Rectiſsimum illud Principis Apoſtolorum ſtudium videbatur, pietatiſque pleniſsimum, cùm Dominum à conſilio proficiſcendi ad mortem auocare conabatur: & tamen eum, qui humanis ſenſibus, non diuina ratione ducebatur, Dominus acriter obiurgauit. Quid amãtius in Dominum videbatur eo poſtulari potuiſſe, quod ſancti viri Iacobus, & Ioãnes, illis irati Samaritanis, qui magiſtrum hoſpitio accipere noluiſſent, ab eo petierunt, vti iuberet ignem è cœlo deſcendere, qui duros illos, & inhumanos abſumeret? At à Chriſto Domino reprehenſi ſunt illis verbis Luc. 9. *Neſcitis cuius Spiritus eſtis, filius enim hominis nõ venit animas perdere, ſed ſaluare.*

CONCLVSIO V.

Neque verò ſolùm, cùm quod cupimus malum eſt, aut mali ſpeciem habet, Deum precamur, vt fiat volũtas eius; ſed etiam cùm reuerà malum nõ eſt, veluti cùm volũtas ſequitur illam primam naturæ inclinationem, vt appetat ea quæ naturam conſeruant, & reijciat ea quæ ei contraria videantur.

Eſt Catech. §. Neque verò ſolùm, &c.

Hoc pacto orauit Chriſtus Dominus, à quo ſalutem, & ſalutis diſciplinam accepimus Lucæ 22. qui cùm naturaliter inſito cruciatu & acerbiſsimæ mortis timore cõmoueretur, tamen in illo horrore ſummi doloris, ſuam ad Dei Patris retulit voluntatem: *Non mea* (inquit) *ſed tua voluntas fiat.*

CONCLVSIO VI.

Denique precamur & petimus, vt Deus in nobis inſtituta perficiat; vt exultantes cupiditatis motus com-

primat; vt appetitus rationi obedientes efficiat; vt nos deniq; totos ad ſuam conformet voluntatem.

Eſt Catech. §. Ergo confugiendum eſt.

Nam vſqueadeò deprauatum eſt hominũ genus, vt cùm vim ſuæ attulerint cupiditati, eamque diuinę voluntati ſubiecerint, tamen ſine Dei auxilio, quo à malo protegimur, & in bonum dirigimur, peccata vitare non poſſunt.

Conſule D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 9. & 10.

CONCLVSIO VII.

Precamur etiam, vt Dei voluntatis cognitionem totius orbis terrarum accipiat, quò diuinum myſterium abſconditum à ſæculis & generationibus, notum ac peruulgatum ſit apud omnes.

Eſt Catech. §. Precamur etiam, &c.

DIFFICVLTAS VNICA.

An hæc verba, Fiat voluntas tua præter petitionem, etiam gratiarum actionem contineant?

Dicendum, quod hæc petitio etiam gratiarum actionem contineat; Veneramur enim Dei ſanctiſſimam voluntatem, & maximo perfuſi gaudio, ſummis laudibus & gratulationibus, omnia eius opera celebramus, qui certò ſciamus eũ omnia benè feciſſe. Cùm enim conſtet eſſe omnipotentem Deum, neceſſariò ſequitur, vt omnia eius nutu facta eſſe intelligamus. Cùm verò etiam ipſum, ſicut eſt, ſummum bonum eſſe affirmemus; nihil ex eius operibus non eſſe bonum, cùm omnibus ipſe ſuam impertiuerit bonitatem, confitemur. Quòd ſi in omnibus diuinam rationem non aſſequimur, in omnibus tamen & ambigui cauſa neglecta, & reiecta omni hæſitatione, illud Apoſtoli profitemur ad Roman. 11. *Inueſtigabiles*

gabiles eſſe vias eius. Sed ob id maximè etiam Dei volūtatem colimus, quod ab eo cæleſti lumine dignati ſumus. *Ereptos* enim *de poteſtate tenebrarum, tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ,* vt inquit Apoſtolus ad Coloſſ. 1. cap.

QVAESTIO III.

Quid ſibi vult illa clauſula adiecta, Sicut in cælo & in terra?

CONCLVSIO I.

Continet formā & præſcriptionem illius obedientiæ, quam poſtulamus: vt videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in cælo ſeruāt Angeli, & colit reliquus cæleſtium animarum chorus.

Eſt Catech. §. Forma prætereà, &c.

Forma illa conſiſtit in eo, vt quemadmodùm Angeli ſponte & ſumma cum voluptate obediunt diuino numini; ſic nos Dei voluntati, quomodo ipſe maximè vult libentiſsimè pareamus.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quomodo maximè ſibi ſeruiri & obediri vult Deus? Et: An ſpe mercedis liceat Deo ſeruire?

Dicendum, quòd in opera & ſtudio, quod Deo nauamus, ſummum à nobis amorem Deus, & eximiam charitatem requirit; vt etiam ſi ſpe cæleſtium præmiorum totos nos ei dicauerimus, tamen ideò illa ſperemus, quod, vt in eam ſpem ingrederemur, placuit diuinæ maieſtati. Quare tota nitatur illo in Deum amore noſtra ſpes, qui mercedē amori noſtro propoſuit æternam beatitudinē. Sunt enim qui amāter alicui ſeruiant, ſed tamen pretij cauſa, quò amorē referunt; Sunt prætereà, qui tantummodò charitate, & pie-

& pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil ſpectant, niſi illius bonitatem atque virtutem; cuius cogitatione & adminiſtratione ſe beatos arbitrantur, quod ei ſuum officium præſtare poſsint.

CONCLVSIO II.

Quidam illa verba ſic interpretantur, vt dicant in cælo, id eſt, bonis & pijs: In terra, id eſt, in malis & impijs.

Eſt Catech. Quod ſi quis ſanctum, &c.

Sic illa interpretatur D. Cyprianus in Serm. de oratione Dominica.

CONCLVSIO III.

Alij ſic interpretãtur, vt pro cælo ſpiritus, pro terra caro intelligatur: vt videlicet & omnes & omnia in omnibus Dei voluntati obediant.

Eſt Catech. §. Nos verò etiam, &c.

Omnes has expoſitiones cõprobat Catechiſmus.

Documenta Spiritualia.

In fine explicationis huius petitionis Catechiſmus tria proponit fidelibus meditanda.

Primum, debere eos, dum hanc petitionẽ pronũciant, demiſſo & humili eſſe animo, reputantes eam, quę in natura humana eſt inſita, cupiditatũ vim diuinæ volũtati repugnantem; cogitãtes quoque ſe in eo officio vinci à naturis omnibus; De quibus ita ſcriptum eſt Pſalm. 118. *Omnia ſeruiunt tibi*: maximeq́; imbecilles eſſe qui nullũ opus Deo gratũ, non modò non perficere, ſed ne inſtituere quidem poſsint, niſi Dei adiumento ſubleuentur.

Secundum, quoniã nihil magnificentius eſt, nihil præſtantius, quàm, vt diximus, Deo ſeruire, & vitam ex eius lege & præceptis agere; nihil optabilius eſſe

poſſe

poſſe homini chriſtiano, quã ambulare in vijs Dñi, quàm nihil agitare animo, nihil actione ſuſcipere, quod à diuina volũtate abhorreat. Vt fideles ſibi faciliùs hoc perſuadeant, Parochi & Catechiſtæ petent exempla ex diuinis libris, & proponent populo, eorum, quibus, cùm illi conſiliorum ſuorum rationẽ, non retuliſſent ad Dei voluntatem, omnia mala ceciderunt.

Poſtremum, debere nos omnes in ſimplici & abſoluta Dei volũtate cõquieſcere, ferre æquo animo conditionem ſuam: qui ſibi inferiori loco videntur eſſe, quàm eius dignitas poſtulet, non deſerere ordinem ſuum, ſed in ea vocatione manere, in qua vocatus eſt, & proprium iudicium ſubijcere Dei volũtati qui nobis meliùs conſulit, quã ipſi optare poſsimus. Si anguſtia rei familiaris, ſi corporis valetudine, ſi perſecutionibus, ſi alijs moleſtijs & angoribus premimur, certò ſtatuẽdum eſſe, nihil horum, ſine Dei volũtate, quæ ſumma omnium ratio eſt, nobis accidere poſſe; ideoq; non debere nos grauiùs commoueri, ſed inuicto animo ferre, ſemper illud in ore habentes Act. 21. *Domini voluntas fiat.* Et illud B. Iob 1. *Sicut Domino placuit ita factum eſt, Sit nomen Domini benedictum.*

Quomodo voluntas Dei ſit ſumma omnium ratio; conſule D. Thom. 1. p. q. 19. art. 4.

CAPI-

CAPITIS V. ELVCIDATIO.

DE QVARTA PETITIONE.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

INITIO elucidationis huius petitionis tria cum Catechiſmo obſeruanda ſunt;

Primum, quartam hanc petitionem cum tribus reliquis ſequentibus bono ordine ſubſequi tres præcedentes: habet enim hunc ordinem ac rationem precatio Dominica, vt poſtulationem rerum diuinarum conſequatur earum petitio, quę ad corpus & ad hanc vitam tuendam pertinent. Nam vt ad Deum tanquam ad vltimum finem referuntur homines; ſic humanæ vitæ bona, ad diuina eâdẽ ratione diriguntur. Cùm ergo tribus præcedentibus petitionibus res diuinas à Deo petimus, bono ordine quatuor ſequentibus humanæ vitæ, id eſt, animæ & corporis ſubſidia propriè & nominatim poſtulamus.

Secundum, quod ex priori facilè colligitur, quo pacto & qua ratione licitè petãtur à Deo huius vitæ bona: ideo videlicet, vel quod ita diuinus ordo poſtulat, vel quod illis adiumentis ad diuinorum bonorum adeptionem indigemus; vt ijs adminiculis propoſitum finem cõſequamur, qui regno & gloriâ cæleſtis patris atque ijs præceptis colendis ſeruãdiſque continetur, quam Dei voluntatem eſſe non ignoramus. In ijs ergo petendis, quæ ad vſum & fructũ

pertinent

pertinent rerum terrenarum, debemus intendere animum ac ſtudium noſtrum ad Dei preſcriptionẽ & voluntatem, nec inde vlla ex parte declinare. Nam in eo quod ſcribit Apoſtolus ad Roman. 8. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*: maximè peccatur his poſtulationibus terrenarum & caducarum rerũ: Ergo petenda ſunt hæc bona, vt oportet, ne perperam aliquid poſtulantes, reſponſum illud à Domino feramus Matth. 20. *Neſcitis quid petatis.*

Ex his ſequitur quòd certa nota ad iudicandum quæ petitio rerum terrenarum recta ſit vel praua, eſt intentio & propoſitum ipſius poſtulantis. Nam ſi quis terrena petit eo animo, vt illa omninò bona exiſtimet & in illis tanquam in optato fine conquieſcens nihil prætereà requirat: ſine dubio non orat ſicut oportet; *Non enim* (inquit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 16.) *petimus bona temporalia hæc tanquã bona noſtra, ſed tanquam neceſſaria noſtra.* Apoſtolus etiam in epiſtola 1. ad Corinthios cap. 10. docet omnia quæ ſpectant ad vſus vitæ neceſſarios, ad Dei gloriam referre oportere: *Siue enim manducatis* (inquit) *ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Tertium, maximam neceſsitatem homini incumbere petendi iſta terrena à Deo. Quod facilè doceri ac probari poteſt ex maxima rerum externarum, quibus homines vitam ſuſtentare debent, indigentia.

Oſtendi in primis poteſt hæc noſtra ſumma penuria ex comparatione eorum, quæ primo parenti in ſtatu innocentiæ & reliquis deinceps hominibus poſt peccatum fuerunt ad viuendum neceſſaria.

Etſi

Etſi enim ille in illo innocentiæ ſtatu, neceſſe habuiſſet adhibere cibum ad reficiendas vires; tamen inter illius & noſtræ vitæ neceſsitates multum intereſt; non enim ei veſtibus ad tegumentum corporis opus fuiſſet, non tecto ad perfugium, non armis ad defenſionem, non remedijs ad valetudinem, nō alijs multis, quorum ſubſidio nos ad hāc naturæ imbecillitatem ac fragilitatem tuendam egemus; ſatis ei fuiſſet ad immortalem vitam ille fructus, quem feliciſsima vitæ arbor nullo eius aut poſteriorū labore præbuiſſet.

Etſi etiam primus pares non fuiſſet otioſus, Deus ſiquidem ad agendum eum in paradyſo collocârat; tamen nulla opera ei moleſta, nullum officij munus non iucundum fuiſſet; tuliſſet enim perpetuò ſuauiſsimos fructus ex culturâ felicium hortorum, nec eum vnquam opera aut ſpes feſelliſſet. At poſteriorum proles nō ſolùm fructu priuata vitalis arboris, verumetiam horribili illa ſententia condemnata eſt Geneſ. 3. cap. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Itaque verſa ſunt nobis omnia & mutata in deterrimam partem. In quo illud grauiſsimum eſt quod maximos ſumptus, ſummum laborem ac ſudorem ſępiſsimè nullus fructus conſequitur, cùm fruges datæ in deteriorem ſegetem, vel ſuccreſcenti agreſtium herbarū aſperitate opprimūtur, vel nymbis, vēto, grandine, vredine, rubigine, percuſſæ & poſtratæ intereunt; vt omnis labor, exiguo tempore, aliqua cæli vel terræ calamitate recidat ad nihilum. Quod accidit immanitate

bitate noſtrorum ſcelerum, à quibus auerſus Deus, noſtris minimè benedicit operibus, ſed horrenda manet ſententia Geneſ.3. quam de nobis initio pronunciauit.

MONITIONES.

Ex hac poteſtate intelligimus nobis quidem deſudandum & elaborandum eſſe in parandis ijs quæ ad viuendum ſunt neceſſaria; veruntamen niſi laboribus noſtris benedixerit Deus, fallacem ſpem & inanem fore omnem contentionem. Nam, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus.* Et Pſalm. 126. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.*

Ex hac quoque cognita rerum neceſsitate, naturæque humanæ imbecillitate quilibet facilè videt, quàm neceſſe illi ſit orare Deum Patrem, *Panem quotidianum*, imitarique prodigum illum filium Luc. 15. qui cùm in regione longinqua cœpiſſet egere, nec eſſet cùm eſuriret, qui ei ſiliquas daret, aliquãdo ad ſe rediens, intellexit malorum, quibus premebatur, nuſquam niſi à patre eſſe expetendum remedium.

His ita prænotatis & obſeruatis, quid hæc petitio ſibi velit explicandum eſt.

QVAESTIO I.

Quid panis nomine intelligitur?

CONCLVSIO I.

P*Anis nomine in diuinis litteris multa ſignificantur.* Eſt Catech. §. Primùm quid ſit ille panis, &c. Et D. Thom. 2.2.q.83.art. 9.

CONCLVSIO II.

PRacipuè verò nomen panis in ſacra ſcriptura duo ſignificat. Primùm, quicquid in victu, cæteriſq; rebus ad corpus vitamq; tuendam adhibemus. Deinde quicquid nobis ad ſpiritus & animæ vitam ac ſalutem Dei munere tributum eſt.

Eſt Catech. §. Sed illa duo præcipuè. Et D. Thomæ ſupra.

CONCLVSIO III.

HOc loco panis nomen in vtraque ſignificatione accipitur; primò tamen & principaliter in prima; ſecũdariò in altera.

Eſt Catechiſmi, vt ex decurſu explicationis huius petitionis colligere licet, & præſertim ex illis verbis: *Reliquus eſt panis ſpiritualis, quem etiam hoc loco petimus*: Et D. Thom. ſup.

QVAESTIO II.

Quæ ſunt ergo quæ hac precatione poſtulamus?

CONCLVSIO I.

PRimò & principaliter hoc loco petimus huius, quam in terris agimus, vitæ ſubſidia.

Eſt Catech. §. Petimus autem hoc loco, &c. Et D. Thomæ ſup.

Probatur Sanctorum Patrum ita ſentientium auctoritate, Tertulliani lib. de Oratione cap. 6. D. Cypriani lib. de oratione Dominica, D. Baſilij in regulis breuioribus interrog. 252. D. Aug. lib. 2. de Serm. Dñi in monte cap. 14. & epiſt. 121. & aliorum.

Ex hac

Ex hac concluſione ſequitur non eſſe audiendos qui dicunt non licere chriſtianis hominibus à Deo petere terrena huius vitæ bona. Nam huic errori aduerſantur plurima, præter conſentientium patrũ ſententiam, exempla tum veteris tum noui Teſtamenti. Iacob enim vouens ſic orabat Geneſ. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſusq́; proſperè fuero ad domũ Patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorumq́; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Salomon etiam certum petebat huius vitę ſubſidium, cùm illud precabatur Prouerb. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria.* Ipſe Saluator humani generis illa iubet petere, quæ nemo negare audeat, ad corporis vſum pertinere Matth. 24. *Orate* inquit, *vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbatho.* Et S. Iacobus cuius illa ſunt cap. 5. *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: æquo animo eſt? pſallat.* Et Apoſtolus qui ſic cum Romanis agebat 15. cap. *Obſecro vos fratres per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa.*

CONCLVSIO II.

PRætereà petimus panem quotidianum, id eſt, victui neceſſaria; vt panis nomine, quod ſatis ſit & veſtium ad tegẽdum, & cibi ad veſcendum, ſiue panis is ſit, ſiue caro, ſiue piſcis, ſiue quodcumque aliud intelligamus.

Eſt Catech. Petimus præterea, &c. Et D. Thom. ſupra.

In hac ſignificatione nomen panis vſurpauit Ely-

ſæus 4. Reg. 6. cap. cùm Regem monéret vt præberet panem militibus Aſſyrijs, quibus magna ciborũ copia data eſt. Et Lucas Euangeliſta cap. 14. ita nomen panis accipit, cùm de Chriſto Domino ſic ſcribit. *Ingreſſus eſt in domum cuiuſdam Principis Phariſæorũ Sabbatho manducare panem.* Hac enim voce, quæ ad cibum, quæque ad potum pertinent, ſignificari videmus.

DIFFICVLTAS I.

Si nomine panis tam multa intelligantur, quare Chriſtus Dominus illa non expreſſit, ſed panis tantùm mentionem fecit?

Dicendum, vt hoc panis vocabulo non abundãtem & exquiſitam ciborum ac veſtium copiam, ſed neceſſariam ac ſimplicem petendam eſſe intelligeremus, quemadmodùm Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. ſcripſit; *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contẽti ſumus.* Et Salomon Prouerb. 30. *Tribue tantum victui meo neceſſaria.*

DIFFICVLTAS II.

Cur iubemur petere non panem ſimpliciter, ſed noſtrum?

Vt dictæ frugalitatis hac quoque voce admoneremur. Cùm enim noſtrum dicimus panem, illum ad neceſsitatem noſtram, non ad luxuriam petimus.

DIFFICVLTAS III.

Quibus de cauſis panis quem hic petimus dicitur noſter?

Primò non eum dicimus noſtrum quia eum nobis opera noſtra ſine Deo parare poſsimus (eſt enim apud Dauidem Pſalm. 103. *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore: dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Et alio loco Pſalm. 144. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno*) ſed quia neceſſarius eſt, &

eſt, & à parente omnium Deo, qui omnes ſuâ prouidentiâ alit animantes, nobis attributus.

Ob eam quoque cauſam, panis noſter appellatur, quod iure eſt à nobis acquirendus, non iniuria, fraude, aut furto parandus. Quæ enim nobis malis artibus conciliamus, non noſtra ſunt, ſed aliena, ſępiuſq; illorum calamitoſa eſt vel adeptio, vel poſſeſsio, vel certè iactura. Contra verò honeſtis, ac laborioſis piorum hominum lucris, ex Prophetę ſententia trãquillitas ineſt, & magna fælicitas. *Labores enim*, inquit Pſalm. 127. *manuum tuarum quia manducabis; beatus es & benè tibi erit.* Et ijs, qui iuſto labore victum quærunt, fructũ ſuæ benignitatis pollicetur Deus Deut. 28. cap. *Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicetq́ tibi.*

DIFFICVLTAS IIII.

Cur etiam iubemur petere non ſimpliciter panem, ſed quotidianum?

Dicendum primò, vt eiuſdem quoque, quam proximè diximus, frugalitatis ac parſimoniæ admoneamur. Non enim multiplicem, aut delicatum cibum poſtulamus, ſed eum qui naturæ neceſsitati ſatisfaciat.

Ex quo infertur notari illos, qui faſtidio communis cibi, & potionis, conquiſitiſsima eſcarum, ac vinorum genera perſequuntur.

Deinde et illos quibus horrendas illas minas proponit Iſaias cap. 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Etenim eſt inexplebilis horum hominum cupiditas, de quibus illud ſcriptum eſt à Salomone, Eccleſ. 5. cap. *Auarus nõ implebitur pecuniâ.* Ad quos dictum etiam illud pertinet

Apoſtoli 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.*

Tertiò, vt diſcamus ideo nos pane veſci debere vt efficiatur vitalis humor qui quotidie cõſumitur vi naturalis caloris.

Quartò, quotidie à nobis panis petẽdus eſt à Deo, vt in hac conſuetudine amandi, & colendi Deum retineamur; nobiſq; omninò perſuadeamus, id quod eſt, vitam, ac ſalutem noſtram ex Deo pendere.

DIFFICVLTAS V.

Quid docemur his duabus vocibus, Da nobis?

Dicendũ, in manu Dei cuncta eſſe poſita, illiuſq; nutu diſtribui, conſeruari, augeri.

Contrà docemur nefariam illam Sathanæ ſententiam deteſtari qua dixit Luc. 4. cap. *Mihi tradita ſunt omnia, & cui volo do illa.*

DIFFICVLTAS VI.

An diuitibus ſit etiam impoſita neceſſitas dicendi, Da nobis, id eſt, petendi panem quotidianum, cùm rebus omnibus abundent?

Dicendum, quòd & illis impoſita neceſsitas orãdi in hunc modum, non vt dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam, ſed ne quæ abundè illis adſunt, amittant.

Huius neceſſariæ petitionis S. Chryſoſtomus Homel. 14. ope. imperf. in Matthæum affert hanc cauſam, non ſolùm vt nobis ſuppetat cibus, ſed vt eũ ſuppeditet nobis Domini manus, quæ ſalubrem, atque adeò ſalutarem vim inſerens pani quotidiano efficit, vt & cibus corpori proſit, & corpus animæ ſeruiat.

MONI-

MONITIO.

Diſcant hinc diuites, iuxta monitionē Apoſtoli, ad Timoth. 6. cap. non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum.

DIFFICVLTAS VII.

Quid eſt quamobrem, Da nobis, numero multitudinis dicimus, non autem, mihi?

Dicendum, quia proprium illud eſt chriſtianæ charitatis, non vt quiſque de ſe vno ſolicitus ſit, ſed vt prætereà de proximo laboret, & in cura ſuæ vtilitatis, meminerit etiam aliorum.

Accedit eò, quòd, quæ alicui munera diuinitus tribuuntur, nō idcirco tribuuntur, vt ſolus is ea poſſideat, vel in illis luxurioſè viuat, ſed vt cum alijs cōmunicet quę neceſſitati ſuperfuerint: Nam inquiunt Sancti Baſilius Homel. 6. variorum argum. Et Ambroſius Sermon. 81. *Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia, quam tu in terram defodis.*

Conſule D. Thom. 2.2. q. 32. art. 5.

DIFFICVLTAS VIII.

Quare poſtrema hæc vox adijcitur, hodie?

Dicendum, vt admoneat nos communis infirmitatis. Quis enim eſt, qui, ſi minus ſua vnius operâ prouidere ſe poſſe ſperat in lōginquum tempus neceſſarios vitæ ſumptus, ſaltē in diem victus ſubſidia paraturū non confidat? Sed ne huius quidem fiduciæ facultas nobis à Deo permittitur, qui nos ſingulorū etiam dierum cibum à ſe petere iuſsit.

CONCLVSIO III.

H*Oc loco petimus quoque panem ſpiritualem.* Eſt Catech.§.Reliquus eſt ſpiritualis panis, &c.Et D. Thom. 2.2. q. 83. art. 9.

Nomine panis ſpiritualis ſignificatur omnia quęcumque in hac vita ad ſpiritus & animæ ſalutem & incolumitatem requiruntur. Vt enim multiplex eſt cibus, quo corpus alitur & ſuſtentatur; ſic non eſt vnius generis eſca, quæ ſpiritus & animæ vitam continet. Nam & verbum Dei cibus eſt animæ, Sapiētia enim inquit, Prouerb. 9. cap. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.*

Huius verbi facultatem cùm adimit Deus hominib', quod efficere ſolet cùm grauiùs noſtris ſceleribus offenditur, fame dicitur premere genus humanum. Sic enim eſt apud Amos cap. 8. *Emittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Vt autem illud eſt certum propinquæ mortis ſignum, cùm non poſsint homines vel cibum ſumere, vel ſumptum retinere: ſic magnū eſt deſperatæ ſalutis argumentum, cùm vel nō quærunt verbūm Dei, vel ſi adſit, non ſuſtinent; & illam impietatis vocem in Deum effundunt Iob.21. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

In hoc furore animi, & mentis cęcitate verſantur illi, qui neglectis ijs, qui legitimè eis præſunt Catholicis, & Epiſcopis, & Sacerdotibus, à ſancta Romana Eccleſià deſiſcentes, corruptoribus verbi Dei hęreticis ſe in diſciplinam tradiderunt.

Eſt quoque Chriſtus Dominus animæ cibus; Inquit enim ipſe de ſe Ioann.6. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.*

Incredi-

Incredibile eſt quanta voluptate, ac lætitiâ perfundat piorum animas hic panis, tum cùm maximè terrenis moleſtijs, & incõmodis conflictantur. Exemplo nobis eſt ſanctus ille chorus Apoſtolorum, de quibus extat Actum 5. cap. *Illi quidem ibant gaudẽtes à conſpectu concilij.*

Referti ſunt huiuſmodi exemplis libri de vita Sãctorum hominum.

De intimis his bonorũ gaudijs ita loquitur Deus Apoc.2. cap. *Vincenti dabo manna abſconditum.*

Præcipuè panis noſter eſt ipſe Chriſtus Domin⁹, qui in ſacramento Euchariſtiæ ſubſtantialiter continetur. Hoc inexplicabile pignus charitatis dedit nobis rediturus ad patrem: de quo dixit Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et Matthæi 26. *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum.*

DIFFICVLTAS I.

Quare ſpiritualis panis, id eſt, Chriſtus, qui in ſacramẽto Euchariſtia continetur, vocatur noſter?

Dicendum, quia fidelium modò hominum eſt, id eſt, eorum qui charitatem cum fide coniungẽtes, pœnitentiæ ſacramento ſordes eluúnt peccatorum, qui non dimittentes memoriam ſe Dei filios eſſe, diuinum ſacramentum ſumunt, & colunt quanta maxima poſſunt ſanctitate ac veneratione.

DIFFICVLTAS II.

Quare idem panis Chriſtus in Euchariſtia vocatur quotidianus?

In promptu duplex eſt ratio.

Altera, quod in ſacris chriſtianæ Eccleſiæ myſterijs quotidie & offertur Deo, & datur piè ſanctéque poſtulantibus;

Altera, quòd quotidie ſumendus eſt, vel certè ita viuendum, vt quotidiè quoad eius fieri poſsit, dignè ſumere queamus.

Errant ergo qui dicunt, niſi longo interuallo ſalutaribus his epulis anim e veſci non oportere; Cóuincit illos Sanctus Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 4. his verbis: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illum ſumis.*

Documenta Spiritualia.

In fine huius petitionis Catechiſmus ſuo more infert duo Documenta Spiritualia.

Primum, cùm fideles rectè conſilium & induſtriã ſuam poſuerint in comparandis rebus vitæ neceſſarijs, rei exitum Deo permittere debere, ſuumq; deſiderium ad eius referre voluntaté, qui non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Nam vel concedet Deus, quæ petuntur, & ita ſuum optatum conſequentur: Vel non concedet, & id erit certiſsimum argumentum, nec ſalutare illud eſſe, nec vtile, quod pijs à Deo negatur, cui magis curę eſt de eorũ ſalute, quàm illis ipſis.

Hoc Documentum illuſtrare poterunt, explicãdis ijs rationibus quæ à Sãcto Auguſtino in epiſtola ad Probam præclarè colliguntur.

Secundum, diuites facultates ſuas & copias Deo acceptas referre debere, cogitareque ſe idcirco illis bonis eſſe cumulatos, vt illa diſtribuant egentibus.

Hoc quoque Documentum explicari & confirmari poterit ex ijs, quæ in prima epiſt. ad Timoth. cap. 6. ab Apoſtolo diſſeruntur.

CAPITIS VI ELVCIDATIO.

DE QVINTA PETITIONE.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

ANTE explicationem huius petitionis tria cùm Catechiſmo notanda ſunt.

Primum, Paſtores & Catechiſtas accuratè ac diligenter animaduertere & exponere debere ſententiam huius petitionis, eò quòd illa ad cæleſtem vitam conſequendam maximè conducat. Eſt enim ſumma quædam eorum bonorum, quibus Ieſus Chriſtus ſua paſsione cumulauit genus humanum. Id docet Iſaias cap. 27. *Dimittetur* (inquit) *iniquitas Domui Iacob, & iſte omnis fructus vt auferatur peccatum eius.* Hoc Dauid etiam oſtendit, beatos prædicans eos, qui ſalutarem illum fructum percipere potuerunt Pſalm. 32. his verbis. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.*

Quomodo ante Chriſti aduentum paſsio ſit operata remiſsionem peccatorum, vide D. Thom. p. 3. q. 49. art. 1.

Secundum, aliam eſſe rationem huius petitionis & duarum ſequentium à quatuor præcedentibus. Nam hactenus à Deo nõ ſolùm æterna & ſpiritualia bona, ſed caduca, & quæ ad hanc vitam pertinent cõmoda petimus; nunc verò & duabus ſequentibus petitionibus mala deprecamur & animæ & corporis, & huius & ſempiternæ vitæ.

Vide D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9. o. Habet & aliam diuiſionem orationis Dominicæ. D. Auguſt. ibidem ad 1.

Tertium & poſtremum, quomodo affectos eſſe oporteat eos qui impetrare velint quod hac petitione poſtulamus. Tria ſiquidem illis neceſſaria ſunt. Primum, neceſſe eſt vt ij qui ád hoc petẽdum velint accedere, ſuum ipſi peccatum agnoſcant. Deinde, vt eius ſenſu ac dolore commoueantur. Tum vt ſibi omninò perſuadeant Deum in hac eſſe voluntate, vt ijs qui peccauerunt, ita vt diximus affectis, & comparatis ignoſcat: ne fortè acerbam delictorum recordationem, & recognitionẽ illa veniæ deſperatio conſequatur, quæ olim Cain, & Iudæ animum occupauit; qui Deum modò vindicem, & vltorem non etiam mitem, & miſericordem exiſtimârunt.

Quod ad primũ attinet, vt videlicet agnoſcamus peccatum noſtrũ, facilè adducemur ſi ipſum audierimus Deum nos in ſacris litteris huius rationis admonentem; Eſt enim illud apud Dauidem Pſalm. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* In eandem ſententiam loquitur Salomon Eccleſi. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quò illud etiam pertinet Prouerb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Quod idem à S. Ioanne ad deterrendos homines ab arrogantia ſcriptum eſt 1. epiſtolæ 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt.* Et à Hieremia cap. 2. *Dixiſti, abſque peccato, & innocens ego ſum: & propterea auertatur furor tuus à me: Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccaui.* Quorum omnium ſentẽtias idem, qui eas eorum ore protulerat

Chriſtus

Chriſtus Dominus hoc petitionis præſcripto confirmat,quòd iubet nos delicta noſtra cõfiteri.Id enim ſecus interpretari prohibuit auctoritas Mileuitani Concilij cap.7. in hunc modum. *Placuit,vt quicunq; verba ipſa Dominicæ orationis,vbi dicimus,Dimitte nobis debita noſtra,ita vult à ſanctis dici,vt humiliter,non veraciter hoc dicatur,anathema ſit. Quis enim ferat orantem,& non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labijs ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur peccata non habere?*

Quòd ad ſecundum, videlicet dolorem peccatorum, ad illum quoque poterimus adduci, ſi hæc conſiderauerimus.

Primùm,ſcelerum ac erratorum turpitudinem.

Deinde,indignitatem ac ſordes noſtras,qui cùm nihil ſimus niſi putrida caro,niſi ſumma fæditas,incomprehenſibilem illam Dei maieſtatem & inexplicabilem præſtantiam, incredibilem in modum audeamus offendere, præſertim à quo procreati, liberati,innumerabilibus, maximiſq; beneficijs aucti ſumus.

Vt quid?vt abalienati à patre Deo,qui ſummum bonũ eſt, turpiſsima peccati mercede, Diabolo nos addicamus in miſerrimam ſeruitutem.Neque enim dici poteſt, quàm crudeliter ille dominetur in eorũ animis,qui repulſo ſuaui iugo Dei, ruptoque charitatis amabiliſsimo nodo, quo parenti Deo ſpiritus noſter adſtringitur, ad hoſtem acerrimum deſciuerunt, qui eo nomine Princeps & rector mundi, & Princeps tenebrarũ,& Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ dicitur in diuinis litteris. In eos qui Dæmonis tyrãnide opprimũtur,verè cõuenit illa vox Iſaię cap.26.*Domine Deus noſter poſſederũt nos domini abſq; te.*

Hæc ſi

Hæc ſi minus mouent rupta fœdera charitatis, moueant certè calamitates, & ærumnæ in quas per peccatũ incidimus, Violatur enim ſanctitas animæ, quam Chriſto deſponſam eſſe ſcimus: profanum fit illud idem tẽplum Domini, quod qui contaminant, in eos dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. *Si quis autem templum Dei violauerit diſperdet illum Deus.* Innumerabilia ſunt mala, quæ peccatum inuexit in hominem, quam penè infinitam peſtem Dauid his verbis expreſsit, Pſalm. 37. *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis a facie peccatorum meorum;* nimirùm nôrat hãc plagæ vim, cùm nullam ſui partem peſtifero peccato intactã fateretur. Peruaſerat enim in oſſa peccati virus, id eſt, rationem, & voluntatem, quæ maximè ſolidæ ſunt animæ partes, infecerat. Hanc latè patentem peſtem indicant ſacræ litteræ, cùm peccatores claudos, ſurdos, mutos, cæcos, & omnibus membris captos, appellant. Sed præter dolorem, quem ex peccatorũ quaſi ſcelere ſentiebat magis etiam angebatur Dauid ex ira Dei, quam in ſe propter peccatum commotam intelligebat. Bellum enim eſt ſceleratis cum Deo, quorum ſceleribus incredibiliter offẽditur: Inquit enim Apoſtolus ad Roman. 2. *Ira & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Nam etſi tranſierit actio peccati, tamen peccatum, macula, & reatus permanet; cui ſemper imminens ira Dei illud perſequitur, tanquam vmbra corpus.

Quod attinet ad tertium & poſtremum, ſpem videlicet conſequendę venię, ad illud quoque pertingere poterimus ſequẽtibus rationibus. Quod & Eccleſiæ Chriſtus Dominus poteſtatem dedit remittẽdi peccata, quemadmodùm ſacroſancti Symboli articulo

ticulo declaratur: & hac petitione docuit quanta eſſet Dei bonitas,ac liberalitas in genus humanũ: Niſi enim promptus eſſet, ac paratus Deus ad condonandũ peccata pœnitentibus,nunquam nobis hanc precãdi formulam præſcripſiſſet, *Dimitte nobis debita noſtra.* Quamobrem illud fixum in animis noſtris tenere debemus,fore, vt is paternam miſericordiam nobis impertiat,qui ipſam his precibus iuſsit expoſcere. Nam omninò ſub hac petitione illa eſt ſubiecta ſententia, ſic eſſe in nos affectum Deum, vt verè pœnitentibus libenter ignoſcat. Eſt enim Deus is, in quẽ abiecta obedientia, peccamus; cuius ordinem ſapientiæ perturbamus, quantum eſt ſitum in nobis quẽ offendimus; quem factis,dictiſq; violamus. Verùm idem eſt ille beneficentiſsimus parens, qui,cùm poſſit omnia condonare, non modò ſe id velle declarauit:ſed etiam impulit homines, vt à ſe veniam peterent,&,quibus verbis id facerent,docuit. Quare nemini dubium eſſe poteſt,quin illo auctore in noſtra poteſtate ſit, nobis Dei gratiam reconciliare. Et quoniam hæc teſtificatio propenſæ ad ignoſcendum diuinæ voluntatis fidem auget, ſpem alit, charitatem inflammat; operæpretium eſt ornare hunc locum nonnullis diuinis teſtimonijs, & hominũ exemplis, quibus maximorum ſcelerũ pœnitentibus Deus veniam conceſſerit. Quam ſententiã quoniã perſecuti ſumus,quantũ res ferebat, in proœmio huius precationis, & in ea ſymboli parte quæ eſt de remittendis peccatis: inde aſſumẽt Parochi & Catechiſtæ quæ ad hunc locum inſtruendum pertinere videbuntur: reliqua haurient ex diuinarum litterarum fontibus.

His ita prænotatis ad elucidationem petitionis veniendum eſt.

QVAESTIO I.

Quid poſtulamus hac petitione?

CONCLVSIO I.

Primùm minimè petimus, vt remittatur amor ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente noſtra.

Eſt Catech. §. Primùm autem ſcire oportet.

Nam illum omninò Deo debemus, & illius debiti ſolutio eſt ad ſalutem neceſſaria.

CONCLVSIO II.

Neque poſtulamus vt non amplius debeamus obedientiam, cultum, venerationem, & cætera huius generis officia, quæ debiti nomine etiam continentur.

Eſt Catech. §. Neque verò quia debiti nomine.

Nam illa Deo & ſuperioribus debemus, & illorũ debitorum ſolutio eſt quoque ad ſalutẽ neceſſaria.

CONCLVSIO III.

Precamur verò vt Deus nos liberet à peccatis.

Eſt Catech. §. Sed precamur vt liberet.

Sic Sanctus Lucas cap. 11. eſt interpretatus hanc petitionem: qui *peccata* pro *debitis* poſuit, ob eam cauſam quod illis cõmittendis rei efficimur Deo, & debitis pœnis propoſiti, quas vel ſatisfaciendo vel patiendo pẽdimus. Huius generis debitũ fuit, quod Chriſtus Dominus loquutus eſt ore Prophetæ Pſal. 68. *Quæ non rapui tunc exſoluebam.* Qua Dei verbi ſententia licet intelligere, nõ ſolùm nos debitores eſſe, ſed etiam non eſſe ſoluendo, cùm peccator per ſe ſatisfacere nullo modo poſsit.

DIFFICVLTAS I.

Si nos ſumus debitores Deo, & non ſumus ſoluendo, quomodo ergo Deo à nobis ſatisfieri poterit?

Vtendum erit deprecatione & patrocinio paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſine qua nemo vnquam veniam delictorum impetrauit, à qua omnis & ſatisfaciẽdi vis & ratio tanquã ex fonte profluxit. Nam precium illud in cruce à Chriſto Domino perſolutum, & nobiſcum per ſacramenta, re, vel ſtudio ac deſiderio adhibita communicatum, tanti eſt, vt nobis impetret & cõficiat quod hac petitione poſtulamus, vt peccata noſtra remittantur.

Chriſti paſsionẽ eſſe fontem omnis ſatisfactionis docet D. Thomas p.3.q.48.art.1.&c.

DIFFICVLTAS II.

Quorum peccatorum remiſsionem hic petimus? venialiũ, vel mortalium?

Dicendum, quòd non modò pro leuibus erratis & facillimis ad impetrandam veniam, ſed pro grauibus & mortiferis peccatis deprecamur: quæ tamen precatio in ſcelerum grauitate pondus non habebit niſi id à pœnitẽtiæ ſacramẽto, re, vel certè deſiderio ſuſcepto, vt iam dictum eſt, aſſumpſerit.

DIFFICVLTAS III.

An eodem modo debita dicũtur noſtra, ſicuti panis anteà dictus eſt noſter?

Dicimus debita noſtra longè aliter, quàm panem noſtrum anteà diximus: Noſter enim ille eſt panis, quia nobis Dei munere tribuitur: at peccata noſtra ſunt, quia illorũ culpa reſidet in nobis; nam noſtra voluntate ſuſcipiuntur, quę peccati vim nõ haberẽt, niſi eſſent voluntaria.

Hac ergo voce diſcimus, non vti excuſatione cuiuſquam, nec cauſam in quenquam trãsferre, vt primi homines Adam & Eua fecerunt, ſed nos ipſos iudicare debere, illamque Dauidis Prophetæ ſententiã adhibere Pſalm. 140. *Non declines cor meũ in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

DIFFICVLTAS IIII.

Quare non dicitur in petitione, Dimitte mihi, ſed nobis?

Dicendum, quia fraterna neceſsitudo & charitas, quæ inter homines intercedit, à nobis ſingulis poſtulat, vt de communi proximorum ſalute ſoliciti, cùm pro nobis preces facimus, pro illis etiam deprecemur.

Hunc orandi morem à Chriſto Domino traditũ, deinceps ab eccleſia Dei acceptum, perpetuóq; ſeruatum, ipſi & maximè tenueruut Apoſtoli, & vt cæteri adhiberent, auctores fuerunt.

Huius flagrantis ſtudij, & cupiditatis in deprecãdo pro ſalute proximorum, habemus in vtroque teſtamento Sanctorum Moſis & Pauli præclarum exemplum: quorum alter ſic Deum precabatur Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facies, dele me de libro tuo:* alter in hunc modum, ad Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

DIFFICVLTAS V.

Quid ſignificat hæc vox (ſicut) in petitione?

Hæc particula, *ſicut*, dupliciter intelligi poteſt; Nã & ſimilitudinis vim habet: cùm videlicet à Deo petimus, vt quemadmodùm nos iniurias & contumelias remittimus ijs, à quibus læſi ſumus, ſic ipſe nobis peccata condonet. Eſt prætereà conditionis nota. In quam ſententiam Chriſtus Dominus eam formulam interpretatur Matth. 6. *Si enim dimiſeritis*

homi-

hominibus (inquit) *peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Vterque ſenſus habet eandem ignoſcendi neceſſitatem, vt ſi volumus nobis Deum veniam concedere delictorũ, parcamus illis ipſis neceſſe ſit, à quibus iniuriã accepimus. Sic enim Deus obliuionem iniuriarum, mutuumque ſtudium & amorem requirit à nobis, vt eorum qui in gratiam non ſunt recóciliati, dona ac ſacrificia reijciat, & aſperneretur. Eſt etiam naturę lege ſancitum, vt tales nos alijs præbeamus, quales eos in nos eſſe cupimus: verè & impudẽtiſsimus ille ſit, qui poſtulet à Deo, vt ſui ſceleris pœnam prætermittat, cùm ipſe in proximum, animum retineat armatum.

DIFFICVLTAS VI.

An ergo neceſſarium ſit ad ſalutẽ remittere iniurias nobis illatas?

Dicendum eſſe neceſſarium. Nam ſic facere vrgemur & hac precandi formula: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: Et apud S. Lucam cap. 17. id iubet Deus: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ, & ſi pœnitentiã egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Et in Euangelio Matth. cap. 5. ſic: *Diligite inimicos veſtros.* Et Apoſt. ad Rom. 12. & ante eum Salomon ſcripſerat Prouerb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potũ da illi.* Et ſic apud S. Marcũ Euangeliſtam cap. 11. *Cùm ſtabitis ad orãdum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.*

Conſule D. Thom. 2.2. q. 25. art. 8. & q. 27. art. 8.

DIFFICVLTAS VII.

Cùm difficile ſit iniurias illatas remittere, quibus rationibus ad id flecti poterunt fidelium animi?

Dicendum primò, commemoratione diuinorũ oraculorum, in quibus audire licet imperantẽ Deũ inimicis eſſe ignoſcendum.

Deinde prædicatione eius quod veriſsimum eſt, magno eſſe argumento hominibus, eos eſſe Dei filios, ſi facilè remittant iniurias,& inimicos diligant ex animo: Elucet enim in eo quod inimicos diligimus, ſimilitudo quædam cum parente Deo, qui ſibi inimiciſsimum & infeſtiſsimum genus hominum, filij ſui morte ab æterno exitio redemptum, reconciliauit.

Poſtremò, & illo imperio Chriſti Domini, quod recuſare non poſsumus ſine ſummo dedecore & pernicie Matth. 5. *Orate pro perſequentibus & calumniãtibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.*

DIFFICVLTAS VIII.

Quomodo cum eis agendum, qui etſi maximè velint omnẽ iniuriam remittere, tamen non poſſunt omnem iniuriæ memoriam deponere? Sunt enim plurimi, qui cùm intelligant ſe debere conterere iniurias obliuione voluntaria, & eos diligere, qui læſerunt, id cupiunt, & pro viribus faciunt, ſed vniuerſam memoriam iniuriarum ſibi exhauriri non poſſe ſentiunt. Nam reſident in animo quædam reliquiæ ſimultatis; quamobrem magnis agitantur conſciẽtiæ fluctibus, verentes ne parum ſimpliciter & cãdidè poſitis inimicitijs Dei iuſſo nõ obediant?

Oſtendendum talibus primò contraria eſſe ſtudia carnis & ſpiritus, quòd illius ſenſus ſit ad vindicandum procliuis; Huius ratio propenſa ad ignoſcendum,

ſtendum, hinc inter ipſos perpetuam turbã ac rixam exiſtere. Quare ſaluti illis minimè diffidendum eſſe. Conſequenter demonſtrandum eſt, reclamantibus & aduerſantibus rationi corruptæ naturę appetitionibus, modò Spiritus perſtet in officio & voluntate remittendi iniurias, proximumque diligendi, minimè diffidendum eſſe ſaluti.

DIFFICVLTAS IX.

An illi qui ex animo non remittũt iniurias ſibi illatas poſſint & debeant hanc petitionem recitare?

Dicendum poſſe & debere: quod duabus rationibus oſtendi poteſt.

Nam quiuis vnus è fidelium numero preces has facit totius Eccleſię nomine, in qua pios aliquot eſſe neceſſe eſt, qui debitoribus ea quæ hîc cõmemorantur, debita remiſerunt.

Accedit & altera ratio, quòd id à Deo petentes, vnà etiam petimus, quicquid ad illud impetrandum in eam petitionem à nobis neceſſariò conferendum eſt. Petimus enim & veniam peccatorum, & donum veræ pœnitẽtiæ: petimus facultatem intimi doloris: poſtulamus vt à peccatis abhorrere, & illa ſacerdoti verè, ac piè confiteri poſsimus. Itaque cùm neceſſe etiam nobis ſit parcere ijs, qui damnum, aut malum aliquod dederint, cùm, vt nobis Deus ignoſcat precamur, ſimul oramus vt largiatur facultatem reconciliandi nos illis quos odimus.

QVAESTIO II.

Quæ facienda ſunt illi qui fructum huius petitionis vult conſequi?

CONCLVSIO I.

Primùm habere debet quaſi oculis ſubiecta ſua flagitia & facinora, illaq́; lachrymis expiare.

Eſt Catech. §. Primùm hæc in ea cura, &c.

Nam venia non datur niſi pœnitẽti. Et probatur fuſiùs ſequenti concluſione.

CONCLVSIO II.

Secundò, adhibita eſt illi cautio in poſterum earũ rerũ, in quibus fuit aliqua occaſio peccandi, quæq́; nobis anſã dare poſſint ad offendendum parentem Deum.

Eſt Catech. §. Cum hac cogitatione, &c.

Vtraque hæc concluſio probatur exemplis è ſacra ſcriptura petitis. In his enim curis verſabatur Dauid cùm diceret Pſalm. 50. *Peccatum meum contrà me eſt ſemper.* Et Pſalm. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum lachrymis meis ſtratũ meum rigabo.* Et Publicanus Luc. 18. qui longè conſiſtens præ pudore ac dolore, & oculis humi defixis tantùm pulſabat pectus, eam habens orationem: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et mulier peccatrix Luc. cap. 7. quæ Chriſto Domino retro ſtans, rigatos à ſe eius pedes, capillis etiam abſterſos oſculabatur. Petrus denique Princeps Apoſtolorum Matth. 26. qui egreſſus foras fleuit amare.

CONCLVSIO III.

Tertiò, adhibenda quoque frequenter ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

Eſt Catech. §. Deinde cogitandum eſt.

Nam quò infirmiores ſunt homines, & ad morbos animi, quæ ſunt peccata propẽſiores, & pluribus & frequẽtioribus medicamẽtis indigent: ſunt autem

ægrotæ animæ remedia Pœnitentia, & Euchariſtia; Ergo, &c.

CONCLVSIO IIII.

A*Dhibenda etiam Eleëmoſyna.*

Eſt Catech. §. Deinde eleëmoſynā, quemadmodùm, &c.

Nam (quemadmodùm tradunt diuinæ litteræ) eleëmoſyna medicina eſt accommodata ſanādis animæ vulneribus. Hæc quantam vim habeat ad delendum ſcelerum maculas, teſtis eſt Tobiæ cap. 12. Angelus Domini Sanctus Raphaël, cuius eſt illa vox, *Eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Teſtis quoque eſt Daniel, qui Nabuchodonoſor Regem ſic admonebat cap. 4. *Peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.*

CONCLVSIO V.

P*Oſtremò, adiungenda eſt obliuio & condonatio iniuriarum, & bona voluntas erga eos qui rem vel exiſtimationem, vel corpus tuum, tuorúmve violauerint.*

Eſt Catech. §. Optima autem largitio, &c.

Vide illa quæ diximus paulò antè & cùm explicaremus præceptum, *Non occides.*

Documentum Spirituale.

In fine huius petitionis Catechiſmus colligit hoc Documentū Spirituale: Nihil iniuſtius eſſe atq; fingi poſſe, quàm eum, qui cùm hominibus durus ſit, vt nemini ſe det ad lenitatem, idem poſtulet, vt in ſe ſit mitis, & benignus Deus.

CAPITIS VII. ELVCIDATIO.

DE SEXTA PETITIONE.

Et ne nos inducas in tentationem.

ANTE elucidationem huius petitionis, duo obſeruanda ſunt.

Primum Paſtores & Catechiſtas debere excitare fidelem populũ ad frequẽtem huius precationis vſum, propter duas cauſas.

Prima, propter exemplum Chriſti Domini, qui frequenter iuſsit ſuos diſcipulos ſic orare. Neque enim ſolùm in hac orandi regula, iuſsit à Deo petere ne patiatur nos induci in tentationem; ſed illa etiam oratione, quã ad ſacros habuit Apoſtolos ſub ipſum mortis tempus, cùm quidem ipſos mundos eſſe dixiſſet, eos huius officij his verbis admonuit Matth. 26 *Orate vt non intretis in tentationem.*

Altera, quia niſi nos quotidiè Deo commendemus, eiuſque patriàm curam & præſidium imploremus, verẽdum eſt fore, vt deſerti diuino patrocinio vaferrimi hoſtis laqueis irrititi teneamur.

Hoc etſi ſemper iure timendnm nobis ſit, tamen tunc maximè, cùm poſt impetratam delictorum veniam, nouam vitam agere inſtituimus; tunc enim maximè humani generis hoſtis omnes aduerſus nos artes excogitat, oẽs machinas parat, quib⁹ oppugnemur, vt tunc præſertim verendum ſit, ne labefactata & mutata ſententia rursùm in vitia delabamur, longeque deteriores euadamus, quàm ante fuerimus,

& de

& de nobis illud Principis Apoſtolorum iure dici poſsit 2. epiſtolæ 2. cap. *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.*

Secundum, duas eſſe easq́ue grauiſsimas rationes quibus facilè perſuaderi poterit fideli populo frequens vſus huius precationis.

Prima eſt, humanę naturę imbecillitas & inſcitia; facilè enim intelliget fidelis populus quantopere egeat diuini huius adiumenti, ſi ſuæ imbecillitatis, inſcitiæq́ue meminerit; ſi recordabitur illam Christi Domini ſententiam Matthæi 26. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; ſi ei venerit in mentem quàm graues ſint, & exitiales hominum caſus, impellente Dæmone, niſi ſuſtineantur dexterę cæleſtis auxilio. Quod illuſtrius eſſe poſſit humanæ infirmitatis exemplum, quàm ſacer ille chorus Apoſtolorũ Matthæi 26. qui magno anteà animo cùm eſſent, primo quoque obiecto terrore, relicto Saluatore, diffugerunt? etſi illuſtrius etiam eſt illud Principis Apoſtolorum, qui in tanta profeſsione ſingularis & fortitudinis, & amoris in Chriſtũ Dominũ, cùm paulò ante ſibi benè fidens ita dixiſſet Matthæi 26. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: ſtatim vnius voce mulierculæ perterritus, ſe Dominum non nôſſe iureiurando affirmauit: nimirùm illi in ſumma ſpiritus alacritate non reſpondebant vires. Quòd ſi viri ſanctiſsimi humanæ naturæ fragilitate, cui confidebant, grauiter peccauerunt: quid non timendum eſt cæteris, qui ab eorum ſanctitate abſunt longiſſimè?

Altera, hoſtium noſtrorum externorum, hoc eſt, Dæmonum vires maximè, inuictus animus, immane

in nos & infinitum odium, audacia, doli, quibus perpetuum nobiſcum bellum gerunt, vt nulla pax eſſe cum illis, nullæ induciæ fieri poſsint: Quos ita depingit Apoſtolus ad Epheſios 6. cap. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Illos Apoſtolus, *Principes* appellat propter naturę excellentiam; nam naturâ omnibus & cæteris quæ ſub ſenſum cadunt, creatis rebus antecellunt. Vocat etiã *poteſtates*, quòd non ſolùm naturæ vi, ſed poteſtate etiam ſuperant: Et *rectores* nominat *mundi tenebrarum*; Non enim clarum & illuſtrem mundum regunt, id eſt, bonos & pios, ſed obſcurum & caliginoſum, nempè eos, qui flagitioſè & facinoroſè vitę ſordibus, ac tenebris obcæcati, duce tenebrarum Diabolo, delectantur. Núcupat etiam Dæmones, *ſpiritualia nequitiæ*: Eſt enim carnis, & ſpiritus nequitia: Carnalis quæ dicitur nequitia, incendit appetitũ ad libidines, & voluptates, quæ percipiũtur ſenſibus. Spiritualis nequitiæ, ſunt mala ſtudia, & prauæ cupiditates, quæ ad ſuperiorẽ pertinent animæ partem; quæ tantò peiores ſunt quàm reliquæ, quantò mens ipſa, & ratio altior eſt, atque præſtantior. Hæc Sathanæ nequitia, quia maximè ſpectat illud, vt cæleſti nos hæreditate priuet; propterea dixit Apoſtolus, *In cæleſtibus.* Ex his licet intelligere magnas eſſe hoſtium vires, inuictum animum, immane in nos & infinitum odium, bellũ etiam perpetuum eos gerere nobiſcum, vt nulla pax eſſe cum illis, nullæ induciæ fieri poſsint. Quantum verò audeant, declarat illa Sathanæ vox apud Prophetam Eſaiam 14. cap. *In cælum conſcendam.* Aggreſſus eſt primos hominum in paradyſo: adortus eſt

Prophe-

Prophetas: appetiuit Apoſtolos, vt quemadmodùm apud Lucam Euangeliſtam cap. 22. loquitur Dominus, cribraret eos ſicut triticum. Ne ipſum quidem Chriſti Domini os erubuit Matthæi. 4. Itaque eius inexplicabilem cupiditatem, & immenſam diligentiam S. Petrus expreſsit 1 epiſtolæ 5. cùm dixit: *Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*. Quanquam non vnus modò tẽtat homines Sathan, ſed gregatim interdùm Dæmones in ſingulos impetum faciunt, quod ille confeſſus eſt Demon, qui rogatus à Chriſto Domino Matthæi. 8. Quod ſibi nomẽ eſſet reſpondit, *Legio mihi nomen eſt*, nempè Dæmonũ multitudo; quæ miſerum illũ diuexârat. Et de alio ſcriptum eſt, Matthæi 12. *Aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi*.

In hac doctrina duo cauenda ſunt.

Primum, ne cum impijs quibuſdam hominibus ea quæ de Dæmonibus, eorumque in nos bello dicuntur, falſa putemus. Multi enim ſunt hodiè, qui quòd impulſus, atque impetus Dæmonum, in ſe minimè ſentiunt, totam rem falſam eſſe arbitrantur: quos ipſos à Dæmonibus impugnari mirum nõ eſt, quibus ſe ſponte tradiderunt. Non eſt in illis pietas, non charitas, non virtus illa chriſtiano homine digna; quare fit, vt toti ſint in poteſtate Diaboli, nec vllis tentationibus opus eſt ad eos euertendos, in quorum iam animus ipſis libentibus commorantur. At verò, qui ſe Deo dicauerũt, in terris cæleſtem vitam agentes, ij maximè omnium Sathanæ incurſibus petũtur, hos acerbiſsimè odit, his in ſingula tẽporis momenta ſtruit inſidias. Plena eſt hiſtoria diuinarũ litterarũ ſanctorũ hominum, quos præſenti etiam

animo

animo ſtantes, vel vi, vel fraude peruertit. Adam, Dauid, Salomon, alijque, quos enumerare difficile ſit, experti ſunt Dæmonum violẽtos impetus & callidam aſtutiam, cui reſiſti non poſsit cõſilio, aut hominum viribus. Quis igitur ſe ſuo præſidio ſatis tutũ exiſtimet? Itaque piè, caſteque petendum à Deo eſt, ne nos tentari ſinat ſuprà id quod poſſumus, ſed faciat etiam cum tentatione prouentum, vt poſsimus ſuſtinere, 2. Petri 2. cap.

Alterum, ne nimiùm Dæmonum vim & potentiam animi imbecillitate, aut rei ignoratione perhorreſcamus; ſed tentationum fluctibus agitati in hunc precationis portum confugiamus: Non enim Sathan in tanta & potentia, & pertinacia, in capitali odio noſtri generis, nec tantum, nec quamdiu vult tentare nos aut vexare poteſt: ſed omnis eius poteſtas Dei nutu, & permiſſu gubernatur. Notiſsimum eſt exemplum Iob. 1. cap. de quo niſi Diabolo dixiſſet Deus, *Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt*; nihil eius Sathanas attigiſſet: Contrà verò niſi addidiſſet Dominus: *Tantùm in eum ne extẽdas manum tuam*; vno Diaboli ictu cum filijs ipſe, facultatibuſque concidiſſet. Ita autem illigata eſt Dæmonum vis, vt ne in porcos quidem illos, de quibus ſcribunt Euãgeliſtæ Matthæus 8. & Marcus 5. non permittente Deo inuadere potuiſſet.

QVAESTIO I.

Quid tentatio ſignificat? Quid item induci in tentationem?

CON-

CONCLVSIO I.

Tentare, eſt periculum facere de eo qui tentatur, vt ab ipſo quod cupimus eliciẽtes, verũ exprimamus.

Eſt Catech. §. Eſt autem tentare, &c. Et D. Thom. p. 1. q. 114. art. 2. o.

Hic modus tentandi in Deum non cadit. Quid enim eſt quod neſciat Deus? *Omnia enim* (inquit Apoſtolus ad Hæb. 4.) *nuda & aperta ſunt oculis eius.*

CONCLVSIO II.

Eſt etiam alterum tentandi genus, cùm longiùs progrediendo, aliud quæri ſolet vel in bonã, vel in malam partem.

Eſt Catech. §. Eſt alterum tentandi, &c. Et D. Thom. ſup.

In bonam partem quis tentatur, cùm ea re tentatur alicuius virtus, vt illâ perſpectâ & cognitâ is cõmodis & honoribus augeatur, eiuſque exemplum cæteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob idipſum ad Dei laudes excitentur. Hæc tentandi ratio ſola conuenit in Deum. Huius exemplum tentationis eſt illud in Deuteron. cap. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an nõ.* Hoc modo etiam tentare ſuos dicitur Deus, cùm inopiâ, morbo, & alijs calamitatum generibus premit, quod probandæ eorum patientiæ causâ facit, vt & alijs documentum ſint Chriſtiani officij. In hanc parté legimus Geneſ. 22. Abrahã eſſe tentatũ, vt filiũ immolaret. Quo facto, fuit is obediẽtiæ, & patiẽtiæ exemplũ ſingulare ad memoriã hominũ ſempiternam. In eandé ſententiã dictum eſt de Tobia cap. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*

In malam

In malam partem tentatur, cùm ad peccatum aut exitium impellitur: quòd proximum Diaboli officium eſt. Is enim eo animo tentat homines, vt decipiat agátque præcipites.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quibus inſtrumẽtis vtitur Dæmõ in tẽtandis hominibus?

In tentationibus Dæmon modò intimos nobis admouet ſtimulos, animæ videlicet affectiones, & commotiones: modò nos exagitans extrinſecùs rebus vtitur, vel proſperis ad efferendos, vel ad frangẽdos aduerſis; nonnunquam habet emiſſarios, & excurſores perditos homines, imprimiſque hæreticos, qui ſedentes in cathedra peſtilentiæ, malarum doctrinarum mortifera ſemina diſpergunt; vt illos qui nullum delectum, aut diſcrimen habent virtutis, & vitiorum, homines per ſe procliues ad malum nutantes, ac præcipitantes impellant.

CONCLVSIO III. RESPONSIVA ALTERI PARTI quæſtionis.

Dicimur induci in tentationem, cùm tentationi ſuccumbimus.

Eſt Catech. §. Dicimur autem induci, &c. Et D. Thom. 2.2. q. 83. art. 9. o.

Explicatur ſequentibus Difficultatibus.

DIFFICVLTAS I.

An Deus inducat in tentationem?

Reſpondendum eſt adhibita diſtinctione: Dupliciter enim inducimur in tentationem.

Primùm, cùm de ſtatu dimoti in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit: At nemo quidem à Deo hoc modo in tentationem inducitur,

citur, quia nemini eſt peccati auctor Deus, imò verò odit oẽs qui operantur iniquitatem. Sic verò etiam eſt apud Sanctum Iacobum cap. 1. *Nemò, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt.*

Deinde dicitur nos in tentationem inducere is, qui etſi non tentat ipſe, neque operam dat, quò tentemur, tẽtare tamen dicitur, quia cùm poſsit prohibere ne id accidat, aut ne tentationibus ſuperemur, non impedit. Hoc modò Deus pios & bonos tentari quidem ſinit, verùntamẽ ſuâ gratiâ ſuſtentatos non deſerit: Nec verò non interdùm iuſto, & occulto Dei iudicio, noſtris id ſceleribus poſtulãtibus, nobis ipſi relicti, cõcidimus. Prætereà nos in tentationem Deus inducere dicitur, cùm eius beneficijs, quæ nobis ad ſalutem dedit, abutimur ad perniciem, & patris ſubſtãtiam, vt prodigus ille filius, diſsipamus viuendo luxurioſè, noſtris cupiditatibus obſequẽtes. Quamobrem id dicere poſſumus quod de lege dixit Apoſtolus ad Roman. 6. *Inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Opportunum rei exemplum eſt Hieroſolyma, teſte Ezechiele cap. 16. quam Deus omni ornamentorum genere locupletârat, vt eius ore Prophetæ diceret Deus: *Perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te*: & tamen illa ciuitas diuinis cumulata bonis, tantùm abeſt, vt optimè de ſe merito, ac merenti Deo gratiam habens cęleſtibus beneficijs ad beatitudinem conſequendã, cui⁹ gratiâ acceperat vteretur, vt ingratiſsima in parẽtẽ Deũ abiecta ſpe, cogitatione cęleſtiũ fructuum, tãtùm prçſenti abundãtia luxurioſè, ac perditè frueretur. Hoc Ezechiel eodem capite pluribus verbis perſecutus eſt.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Si Deus inducit in tentationem tãtùm permittendo; quomodo ergo dicit ſcriptura quod quoſdam indurat, excæcat, tradit in reprobum ſenſum?

Dicendum, hunc diuinæ ſcripturæ morẽ diligẽter attendendum eſſe, quæ Dei permiſsionem ijs interdùm verbis ſignificta, quæ propriè ſi accipiantur, actionem in Deo ſignificant. Nam in Exodo cap. 4. ſic eſt: *Indurabo cor Pharaonis*. Et apud Eſaiam, *Excæca cor populi huius*. Et ad Roman. cap. 1. ſcribit Apoſtolus: *Tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ & in reprobum ſenſum.* Quibus in locis, alijſque ſimilibus, non id omninò eſſe actum à Deo, ſed permiſſum intelligendum eſt.

Conſule D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 2.

QVAESTIO II.

Quid in hac precationis parte poſtulamus?

CONCLVSIO I.

N*On petimus ne omninò tentemur.*

Eſt Catech. §. Nec verò petimus, &c. Et D. Thomæ ſup.

Eſt enim *vita hominis* (teſte Iob cap. 7.) *tentatio ſuper terram.*

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare Deus voluit hominum vitam eſſe tentationem? Vel, an tentari ſit vtile vel ſalutare?

Dicendum, quòd tẽtatio res eſt vtilis & fructuoſa hominum generi. Nam in tẽtationibus nos ipſos, id eſt, vires noſtras cognoſcimus: quamobrem etiam humilia-

humiliamur ſub potenti manu Dei, viriliterque decertātes, expectamus immarceſsibilem coronam gloriæ. Nam & *qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certauerit*, 2. ad Timoth. 2. &, vt inquit S. Iacobus cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

CONCLVSIO II.

Petimus verò ne diuino præſidio deſerti, tentationibus vel decepti aſſentiamur, vel cadamus afflicti, vt præſto ſit nobis Dei gratia, quæ, cùm defecerint nos propriæ vires, in malis recreet ac reficiat.

Eſt Catech. §. Quid hic igitur petimus? Et D. Thom. 2.2.q.83.art. 9.0.

DIFFICVLTAS VNICA.

An ſufficiat petere auxilium Dei generatim ad ſuperādas tentationes; An vero etiam neceſſe ſit petere nominatim ad ſingulas tentationes?

Dicendum, quòd nō ſolùm generatim debemus implorare opem Dei in omnibus tentationibus; ſed etiam nominatim cùm ſingulis affligimur ad deprecationem & opem Dei confugere oportet. Quòd à Dauide factum legimus penè in vnoquoque tentationum genere. Nam in mendacio ſic precabatur Pſalm. 118. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.* In auaritia ad hunc modum Pſalm. 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.* In rebus verò inanibus huius vitæ, & illecebris cupiditatum, hac prece vtebatur Pſalm. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

CONCLVSIO III.

P*Etimus quoque vt Sathanam conterat ſub pedibus noſtris.*

Eſt Catech. §. Petimus denique vt Sathanã, &c. Neque eget maiori explicatione.

Documenta Spiritualia.

In fine explicationis huius petitionis Catechiſmus ſuo more inſert quatuor Documenta Spiritualia, quæ nos in hac precatione maximè cogitare & meditari oportet.

Primum, vt quanta ſit hominum infirmitas intelligentes, viribus ſuis fideles omnes diſcant diffidere, & omni ſpe incolumitatis in Dei benignitatę collocata, eo freti patrocinio, vel in maximis periculis, magnum animum habere.

Aſſument fideles hunc animum, ſi cogitent primùm, quàm multos hac ſpe, atque hoc animo præditos ex hiantibus Sathanæ faucibus liberârit Deus. An non Ioſeph vndique circundatum ardentibus inſanæ mulieris facibus, è ſummo ereptũ periculo, ad gloriam extulit? Geneſ. 39. Non Suſannam à Sathanę miniſtris obſeſſam, tum, cùm nihil propius eſſet, quàm vt nefarijs ſententijs interficeretur, ſeruauit incolumem? Daniel. 13. Neque mirum: *Erat enim* (inquit) *cor eius fiduciam habens in Domino*. Inſignis eſt laus, & gloria Iob, qui de mundo, de carne, de Sathana triumphauit. Plurima ſunt eius generis exempla, quibus Parochus vel Catechiſta diligenter pium populum ad eam ſpem, fiduciamque cohortari debebit.

Cogi-

Cogitent etiam fideles, quem in hoſtium tentationibus ducem habeant, nempe Chriſtum Dominum, qui victoriam ex illo certamine retulit. Vicit ille Diabolum. Eſt is ille fortior, qui ſuperueniens fortem ſuperauit armatum; quem & armis nudauit, & ſpolijs, Luc. 11. De eius victoria, quam de mundo reportauit, eſt apud S. Ioannem 16. *Confidite, ego vici mundum.* Et in Apocalypſi cap. 5. dicitur ipſe *Leo vincens, & exiſſe vincens vt vinceret:* quâ in victoriâ ſuis etiam cultoribus facultatem vincendi dedit. Eſt Apoſtoli ad Hębreos epiſtola plena victorijs ſanctorum hominũ, *qui per fidem deuicerũt regna, obturauerũt ora leonum,* & quæ ſequũtur. Ex his verò, quæ ſic acta legimus, eas victorias cogitatione complectamur, quas quotidiè reportant ex intimis, & externis Dæmonũ prælijs, homines, fide, ſpe, & charitate præſtãtes, quæ tam multæ ſunt, tamque inſignes, vt, ſi ſub aſpectum caderent oculorum, nihil frequẽtius accidere iudicaremus, nihil glorioſius: de quorũ hoſtiũ clade his verbis ſcripſit S. Ioannes 1. epiſt. 2. *Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.*

Secundum, Diabolum à fidelibus ſuperari poſſe non otio, ſomno, vino, commeſſatione, libidine; ſed oratione, labore, vigiliâ, abſtinentiâ, continentiâ, caſtitate: *Vigilate & orate,* inquit Matth. 25. vt iam diximus, *vt non intretis in tẽtationem.* Qui ijs armis ad illam pugnã vtuntur, in fugam cõuertunt aduerſarios. *Qui enim reſiſtunt Diabolo, is fugiet ab eis,* Iacob. 4.

Tertium, vires, quibus fideles Dęmonũ tentationes ſuperare debent, à Deo, qui ponit vt arcum æreũ brachia noſtra; cuius beneficio arcus fortiũ ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore; qui dat nobis

protectionem ſalutis; cuius nos dextera ſuſcipit; qui docet manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum: vt vni Deo pro victoria ſint agẽdæ, & habendæ gratiæ, quo vno & auctore, & adiutore vincere poſſumus, quod fecit Apoſtolus. Inquit enim 1. ad Corinth. 15. *Deo autẽ gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Eundem auctorem victoriæ prædicat illa cæleſtis vox in Apocalypſi cap. 12. *Facta eſt ſalus, & virtus, & regnũ Dei noſtri: & poteſtas Chriſti eius; quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, & ipſi vicerũt eum propter ſanguinẽ agni.* Teſtatur idẽ liber, Chriſti Dñi partã ex mundo, carneque, victoriã cap. 17. eo loco. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos.*

Poſtremum, multa eſſe prꝫmia eorum qui fortiter Dæmonum tentationibus reſtiterint.

Sunt enim illis à Deo coronæ & ſempiterna præmia præparata, quorum paſsim in Apocalypſi diuina habemus & maximè illuſtria teſtimonia, vt cap. 27. *Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda.* Et cap. 3. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Et, *Confitebor nomen eius corã Patre meo, & corã Angelis eius.* Et paulò poſt, Deus ipſe ac Dñs noſter, ita loquitur ad Ioannẽ cap. 3. *Qui vicerit, faciam illũ columnã in tẽplo Dei mei, & foràs non egredietur amplius.* Tũ inquit, *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecũ in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo, in throno eius.* Deniq; cùm ſanctorum gloriam, & perpetuam illam bonorum vim, quibus in cælo fruentur, expoſuiſſet, adiunxit cap. 21. *Qui vicerit, poſsidebit hæc, & ero illi Deus & ipſe erit mihi filius.*

CAPITIS VIII. ELVCIDATIO.

DE SEPTIMA PETITIONE,

Sed libera nos à malo.

EXPLICATIONI huius petitionis quinq; præmittenda ſunt.

Primum, Paſtores & Catechiſtas debere ſummam in hac petitione explicáda adhibere diligentiam, propter ſingularem eius præſtantiam, quæ duobus argumentis oſtendi poteſt.

Primo, quia hæc petitio eſt quaſi quædam epitome, ſummatim complectens vim & rationem cæterarum petitionum; cùm enim id quod ea prece cótinetur impetrauerimus; nihil auctore Sancto Cypriano Serm. 6. de oratione Dominica, remanet, quod vltra adhuc debeat poſtulari, cùm ſemel protectionem Dei aduerſus malum petamus; quâ impetratâ contra omnia quæ Diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti.

Altero, quia Chriſtus Dominus non ſolùm eam tradidit, ſed & exemplo confirmauit, cùm è vitâ migraturus Deum Patrem pro hominum ſalute deprecaretur, Ioannis 17. cap. *Rogo enim* (inquit), *vt ſerues eos à malo.*

Secundum, ſeptimam hanc petitionem differre à proximè precedente, quod illâ vitationem culpæ, hac pœnæ liberationem poſtulamus.

Tertium, quemlibet facilè aduertere neceſſitatē huius petitionis, propter multitudinem incommo-

dorum, calamitatum, & miſeriarum, quibus abũdat hæc vita.

Nam præter quàm quòd ex ſacris & prophanis auctoribus, qui hoc argumentum copioſiſsimè proſecuti ſunt, illas in promptu videre eſt: nemo ferè eſt qui illas non intelligat, & ſuo, & alieno periculo. Perſuaſum enim eſt omnibus, quod exemplum patientiæ Iob memoriæ prodidit cap. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Nec verò vllum præterire diem, qui propriâ aliquâ moleſtiâ, aut incommodo notari nõ poſsit, teſtis eſt illa Chriſti Domini vox Matthæi 6. *Sufficit diei malitia ſua.* Et conditionẽ humanæ vitæ declarat ipſius Domini monitũ illud Luc. 9. quo crucem quotidie ſumi, ſeque docuit ſequi oportere. Vt igitur quiſque ſentit, quàm laborioſa ſit & periculoſa hæc viuẽdi ratio, ita facilè perſuadebitur fideli populo, malorum liberationem à Deo implorandam eſſe, præſertim cùm nulla re magis ad orandum adducantur homines, quàm cupiditate & ſpe liberationis eorum incommodorum, quibus præmuntur, aut quæ impendent. Eſt enim hæc inſita ratio in animis hominum, vt in malis ſtatim ad Dei auxilium confugiant. Qua de re eſt illud ſcriptum Pſalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærẽt nomen tuum Domine.*

Quartum, quamuis hoc à natura inſitum ſit animis hominum vt in periculis & calamitatibus ſtatim inuocent Deum, eiuſque auxilium petant; plerique tamen ſunt qui hoc non rectè faciunt, ij ſcilicet, qui contra Chriſti Domini iuſſum, præpoſtero vtuntur ordine precationis. Nã qui iuſsit nos ad ſe confugere

in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis præſcripſit: voluit enim vt priusquàm precaremur vt nos liberaret à malo, peteremus vti nomen Dei ſanctificaretur, & adueniret regnum eius, & reliqua poſtularemus, quibus quaſi gradibus quibuſdam in hunc locum peruenitur.

Sed quidam, ſi caput, ſi latus, ſi pes condoluit, ſi rei familiaris iacturam faciunt, ſi minæ, ſi pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in peſtilẽtia, omiſsis medijs dominicæ precationis gradibus, tantùm petunt vt ex illis eripiantur malis: At huic cõſuetudini repugnat Chriſti Domini iuſſum Matthæi 6. cap. *Quærite primùm regnum Dei.* Itaque qui rectè preces faciunt, cùm deprecantur calamitates, incommoda, malorum depulſionẽ, id referunt ad Dei gloriam. Sic Dauid illi precationi Pſalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me*; ſubiecit rationem, qua ſe Dei gloriæ cupidiſsimum oſtẽdit: Inquit enim, *Quia non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis cõfitebitur tibi?* Et idem cùm oraret Deũ, Pſalm. 50. ſibi vt miſericordiam impertiret, ſubiecit illud: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*

Quintum, aliter infideles, aliter fideles & chriſtianos petere liberationem à malis.

Petunt enim illi vehementer quidem à Deo vt poſsint ex morbis vulneribuſque conualeſcere, ſibi vt ex vrgentibus vel imminentibus malis euadere liceat; ſed tamen illius præcipuam ſpem liberationis ponunt in remedijs naturæ, vel hominum induſtria comparatis: quin etiam ſibi datum à quouis medicamentum, etiamſi cantionibus, ſi veneficijs, ſi Dæmonum opera confictum ſit, ſine vlla religione adhibent, modò aliqua valetudinis ſpes oſtendatur.

Longè alia ratio eſt chriſtianorũ, qui in morbis, & in omnibus aduerſis rebus, habent ſummum perfugium, & præſidiũ ſalutis Deum, vnum illum omnis auctorem boni, & liberatorem ſuum agnoſcunt, ac venerantur; remedijs verò, quæ ineſt ad ſanandũ vis, inſitam à Deo eſſe pro certo habent, tantumq́ue illa ægrotis prodeſſe exiſtimant, quantùm ipſe voluerit Deus: Eſt enim à Deo data hominum generi medicina, qua morbos ſanaret. Hinc eſt Eccleſiaſtici vox cap. 32. *Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Itaq; qui Ieſu Chriſto nomen dederunt, non in illis remedijs ſummam ſpem reponunt recuperãdæ valetudinis, ſed ipſi medicinæ auctori Deo maximè confidunt. Quare etiã in diuinis litteris reprehenduntur ij, qui medicinæ fiduciâ, nullum Dei auxilium requirunt: imò verò qui vitam agunt ex diuinis legibus, abſtinent omnibus remedijs quæcumque ad curationem à Deo nõ adhibita eſſe conſtet. Quòd ſi etiam eorum vſũ medicamentorum illis explorata ſit ſpes ſanitatis, tamẽ ab ijs, vt cantionibus, & Dæmonum artificijs abhorrent. Ad id autem fideles cohortari oportet, vt Deo confidant. Ea enim re iuſsit nos beneficentiſsimus parens liberationem malorum poſtulare, vt in eo ipſo quod iuſsit ſpem etiam impetrationis haberemus. Multa ſunt in ſacris litteris huius rei exempla, vt qui minus rationibus adducuntur ad benè ſperãdum, exemplorum multitudine confidere cogãtur. Abraham, Iacob, Loth, Ioſeph, Dauid, ſunt in oculis locupletiſsimi teſtes diuinę benignitatis. Sacrę noui Teſtamenti litteræ tam multos enumerant, qui ex maximis diſcriminibus erepti ſunt pię pondere precationis; vt res exemplorum commemoratione nõ

egat. Vnâ igitur illa Prophetæ Pſalm. 33. ſententiâ contenti erimus, quæ vel infirmiſsimum quemque confirmare poteſt: *Clamauerunt enim*(inquit)*iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorũ liberauit eos.*

QVAESTIO I.

Quæ petimus hac petitione?

CONCLVSIO I.

Non petimus hoc loco vt ab omnibus omninò malis liberemur.

Eſt Catech. §. Sequitur huius vis, &c. Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9.

Sunt enim quædam quæ communiter mala putantur, quæ tamẽ ſunt illis fructuoſa qui patiuntur: vt ille ſtimulus qui Apoſtolo erat adhibitus 2. ad Corinth. 12. vt Dei gratia adiuuante, virtus in infirmitate perficeretur. Hæc ſi cognita ſit eorum vis, ſumma voluptate pios afficiunt, tantùm abeſt vt à Deo petant vt auferantur.

CONCLVSIO II.

Tantùm ea mala hic deprecamur, quæ nullam animæ vtilitatem adferre poſſũt, reliqua minimè, modò aliquis inde ſalutaris fructus exiſtat.

Eſt Catech. §. Quare tãtùm ea mala deprecamur, &c. Et D. Thom. ſup.

CONCLVSIO III.

Omninò igitur petimus, vt à peccato liberati, à tentationis etiã periculo, ab intimis externisq; malis eripiamur, vt tutiſsimus ab aqua, ab igne, à fulgure, ne grando

noceat frugibus, ne annonæ charitate, ſeditionibus, bello laboremus: petimus à Deo vt morbos, peſtem, vaſtitatē arceat, vincula, carceres, exiliū, proditiones, inſidias cæteraq; omnia prohibeat incommoda, quibus maximè terreri ac premi ſolet hominum vita, omnes denique facinorum & flagitiorū cauſas auertat.

Eſt Catech. §. Omninò igitur huic voci, &c. Et D. Thom. ſupra.

CONCLVSIO IIII.

Neque hæc ſolùm quæ omnium conſenſione mala ſunt deprecamur; ſed illa etiam, quæ penè omnes bona confitētur, diuitias, honorem, valetudinem, robur, hanc ipſam vitam; petimus inquam, ne ad malū & ad animæ noſtræ exitium hæc conuertantur.

Eſt Catech. §. Neque vero ſolùm, &c.

CONCLVSIO V.

Oramus etiam Deū ne morte opprimamur repētina.
Eſt Catech. §. Oramus etiam, &c.

CONCLVSIO VI.

Oramus quoque ne in nos iram Dei concitemus.
Eſt Catech. §. Ne in nos iram, &c.

CONCLVSIO VII.

Petimus inſuper, ne quæ impios manent ſupplicia ſubeamus.

Eſt Catech. §. Ne quæ impios, &c.

CONCLVSIO VIII.

Deinde rogamus ne igne purgatorij torqueamur, à quo vt alij liberentur, piè & ſanctè precamur.

Eſt Catech. §. Ne igne purgatorij, &c.

CONCLVSIO IX.

P*Ræterea deprecamur omnia mala, præterita, præſentia, & futura.*

Eſt Catech. 9. Hanc petitionem & in miſſa.

Sic Eccleſia interpretatur hanc petitionem & in Miſſa & in Litanijs.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quibus modis liberat nos Deus à malis pœnæ, id eſt, miſerijs & calamitatibus?

Multis & varijs modis ſolet Deus ſuos à malis eripere.

Primò, dum impendentes calamitates prohibet; quomodo legimus magnum illum Iacob eſſe liberatum ab inimicis, quos in illum concitauerat Sichimitarum cædes: Extat enim illud Geneſ. 35. *Terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.*

Secũdò, aliter liberat ſãctos, qui cũ Chriſto Dño in cælis regnant, quàm nos in hac vita: Nam illos ab omnibus prorſus malis liberat, nos autem qui in hac peregrinatione verſamur, ab omnibus incommodis ſolutos eſſe minimè vult, ſed eripit à quibuſdam, etſi ſunt inſtar liberationis malorum omnium ea ſolatia quæ dat Deus interdùm ijs, qui rebus præmuntur aduerſis. His ſe conſolabatur Propheta, cùm illa dicebat Pſalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam.*

Prætereà à malis liberat Deus, cùm illos in ſummum diſcrimen adductos, integros ſeruat & incolumes: Quòd & pueris illis in ardentem fornacem cõiectis Daniel. 3. & Danieli contigiſſe legimus, quem

Leones

Leones nihil læſerunt, quemadmodùm neque pueros flamma violauit, Daniel 6. & 14.

CONCLVSIO X.

P*Oſtremò petimus liberari à malo, id eſt, Diabolo.* Eſt Catech. §. Malus verò etiam, &c.

Sic interpretãtur hanc petitionem SãctiBaſilius, in Homelia quòd Deus non ſit auctor malorum, nõ procul à fine, Chryſoſtomus Hom.20. in Matthæũ Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 57.

Dæmon præcipuè dicitur malus. Primò, quòd hominum culpæ, id eſt, ſceleris & peccati auctor ſit.

Secundò, quia eo miniſtro vtitur Deus in repetendis pœnis à ſceleratis & facinoroſis. Dat enim Deus omne malũ hominibus, quod illi peccati cauſa patiuntur. In hanc ſententiam loquuntur diuinæ litteræ Amos 5. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Item Iſaiæ 45. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creãs malum.*

Tertiò, Malus quoque dicitur Dæmon ob eam cauſam, quòd etſi eum nihil læſerimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, & capitali nos inſectatur odio. Quòd ſi nobis & fide armatis, & innocentiâ tectis nocere non poteſt, tamẽ nullum finẽ facit tentandi nos externis malis, & quacumq; poteſt ratione diuexandi. Quamobrem Deum precamur, vt nos à malo, hoc eſt Diabolo liberare velit.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quare in petitione dicimus à malo, non, à malis?

Dicendum, ob id, quod mala, quæ in nos à proximis proficiſcuntur, Dæmoni aſsignamus tanquã auctori & impulſori; quò minùs etiam proximis iraſci

debemus,

debemus, quoniam odium,& iracundiam in ipſum Sathanam conuertere oportet,à quo homines ad iniuriam inferendam impelluntur.

MONITIO.

Itaque doceris quod ſi te aliqua re læſerit proximus,cùm preces facis parēti Deo,petas, vt nō modò te liberet à malo,id eſt,ab ijs, quas tibi prox... imponit,iniurijs; ſed illū ipſū eripiat proximū ex Diaboli manu, cuius impulſu homines in fraudem inducuntur.

Documenta Spiritualia.

In fine explicationis huius petionis Catechiſmus cōſueta methodo infert duo Documēta Spiritualia.

Primum, ſi in precibus & votis non liberamur à malis,debere nos quæ premāt ferre patienter,intelligentes placere diuino numini, vt toleranter ea patiamur. Quare minimè nos indignari,aut dolere par eſt, quod preces noſtras non audiat Deus,ſed omnia ad eius nutū ac volūtatē referre oportet,exiſtimātes id vtile,id eſſe ſalutare,quod Deo placet vt ita ſit, nō autem id,quod ſecus nobis videatur.

Alterum,dum in hoc vitæ periculo verſamur,ad omne incōmodorū & calamitatū genus, non ſolùm æquo, ſed gaudenti animo ferendū paratos eſſe debere. *Omnes enim*,inquit Apoſt.1.ad Timoth.3.*qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu. perſecutionē patientur.* Item Act.14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: Rurſùm Luc.24. *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum,& ita intrare in gloriam ſuā?* Non enim æquū eſt, ſeruum eſſe maiorem Dñō ſuo; ſicuti *turpe eſt*, è ſententia S. Bernardi, Serm. 5. de omnibus Sanctis.

membra

membra eſſe delicata ſub ſpinoſo capite. Præclarum illud eſt exemplũ Vriæ propoſitũ ad imitãdum 1. Reg. 11. qui adhortante Dauide, domi vt ſe cõtineret, inquit; *Arca Dei, & Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus, & ego ingrediar domum meam?*

His inſtructi rationibus, ac meditationibus, ſi ad orandũ veniamus, illud aſſequemur, vt, ſi minis vndique cincti, maliſq; circundãti, queádmodùm tres illi pueri. Daniel. 3. intacti ab igne, ſic nos inuiolati ſeruemur; certè, vt Machabæi, 1. Machab. 2. caſus aduerſos conſtanter, ac ſortiter feramus. In cõtumelijs & cruciatibus ſacros imitabimur Apoſtolos, Act. 5. qui cæſi verberibus, vehementer lætabantur, quòd digni habiti eſſent, qui pro Chriſto Ieſu contumelias paterentur, ſic nos ita cõparati canemus illa ſumma cum animi voluptate, Pſal. 118. *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum: lætabor ego, ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.*

CAPI-

CAPITIS IX.
ELVCIDATIO.

De extrema Orationis Dominicæ particula, quæ eſt, Amen.

ANTE explicationem huius vocis, *Amen*, vnum obſeruādum eſt, cum Catechiſmo, videlicet, curandum eſſe, vt ſicut preces noſtras diligenter ordimur, ita etiam religiosè finiamus, propter multos eoſque vberes fructus, qui ex orationis Dominicæ fine percipiuntur.

In primis omnium vberrimus ac lætiſsimus fructus eſt eorum impetràtio quæ poſtulauimus.

Deinde, quædam étiam maiora ac præclariora dona, quàm vt verbis explicari poſsint. Nam cùm orādo homines cū Deo colloquantur, vt S. Cyprianus ait, Sermon. de oratione Dñica ſub finē, fit quodam inexplicabili modo orāti diuina maieſtas propior, quàm cæteris, quem propterea ſingularibus ornat muneribus; vt qui piè Deum orant, quodammodò cum ijs, qui ad ignem accedunt comparari poſsint: qui ſi algent caleſcunt; ſi calent æſtuant; Sic illi aſsiſtentes ad Deum, pro modo pietatis, ac fidei ardétiores euadunt: inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illuſtratur admirabilem in modum, omninò cumulātur diuinis muneribus. Eſt enim illud proditum ſanctis litteris: *Præuenisti eū in benedictionibus dulcedinis*, Pſalm. 20.

Exemplo eſt omnibus magnus ille Moſes Exod. 34. qui à Dei congreſſu, & colloquio digrediens,

diuino

diuino quodam fulgore collucebat, ſic, vt Iſraëlitæ eius oculos, & os intueri non poſſent. Omninò qui vehementiori illo ſtudio preces faciunt, Dei benignitate, ac maieſtate admirabiliter perfruuntur. *Mane aſtabo*(inquit Propheta Pſalm. 5.) *& videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Hæc quò magis noſcunt homines, eò Deum vehementiori cultu ac pietate venerantur; eò etiã ſentiunt iucundius quàm ſuauis ſit Dominus, & quàm verè beati ſint omnes, qui ſperant in eo: tum verò clariſsima illa luce circũfuſi quanta ſit eorum humilitas, quãta ſit Dei maieſtas conſiderant. Eſt enim illa Sancti Auguſtini regula initio lib. 4. de Trinit. *Nouerim te, nouerim me.* Itaque fit, vt ſuis viribus diffidentes, totos ſe cõmittant Dei benignitati, minimè dubitantes; quin is ipſos paterna illa ſua, & admirabili charitate cõplexus, abundanter ijs omnia ſuppeditet, quæ ſint ad vitam, & ſalutem neceſſaria: hinc ſe ad agendas Deo gratias conuertant, quantas animo maximas capere poſsũt, quantas oratione complecti: quòd magnum Dauidem feciſſe legimus Pſalm. 7. qui cùm ita precationem inſtituiſſet: *Saluũ me fac ex omnibus perſequentibus me*, ſic eam abſoluit, *Confitebor Domino ſecundum iuſtitiã eius, & pſallam nomini Domini altiſsimi.*

Snnt eiuſmodi Sãctorum preces innumerabiles, quarum exordium eſt timoris plenum, clauſula ſpei bonæ, lætitiæq; referta, ſed mirabile eſt, quàm eo in genere eniteant Dauidis ipſius precationes; Nam cũ metu perturbatus ſic orare eſſet exorſus Pſalm. 3. *Multi inſurgunt aduerſum me, multi dicunt animæ meæ, Nõ eſt ſalus ipſi in Deo eius*: confirmatus aliquando gaudioque perfuſus, ſubiunxit paulò poſt: *Non timebo millia populi circundantis me.* Pſalmo etiam 4. ſuã cùm deploraſſet

deploráſſet miſeriam, ad extremum Deo confiſus incredibiliter lætatur ſpe ſempiternæ beatitudinis; *In pace, in idipſum* (inquit) *dormiam & requieſcam.* Quid illa Pſalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; quanto cum tremore & pallore Prophetam dixiſſe credendum eſt? Contrà, quæ deinceps ſequuntur, quàm fidenti, ac lætanti animo? *Diſcedite à me*, inquit, *omnes, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Cùm verò Saülis iram, furoremq́; pertimeſceret, Pſalm. 53. quã humiliter ac demiſsè Dei opem implorabat: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me*; & tamen hilarè ac fidenter in eodem pſalmo ſubiecit: *Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.*

Quare qui ſe confert ad ſacras preces, fide, ſpeq́; munitus, parentem adeat Deum, vt ſe id conſequi poſſe, quod ei opus ſit, nullo modo diffidat.

QVAESTIO VNICA.

Qualis eſt vox, Amen, & quid ſignificat poſita in fine orationis Dominicæ?

CONCLVSIO I.

Amen eſt vox Hebrea, in Eccleſia Dei ideò retenta, neque in aliam linguam verſa, propter reuerentiam Saluatoris, in cuius ore hæc vox frequens fuit.

Eſt Catech. §. Et quidem adeò fuit frequens hęc vox.

CONCLVSIO II.

HAEc vox, Amen, in fine orationis Dominicæ poſita, habet vim reſpondentis, & illum qui precibus, quod velit impetrârit, cum bona gratia dimittentis Dei; quaſi peccanti reſpõdeat Deus, Vade & ſcito tuas auditas eſſe preces. Eſt Catech.§. Cui voci, &c.

Hanc ſententiam perpetua Eccleſiæ Dei conſuetudo comprobauit, quę in ſacrificio Miſſę, cùm pronunciatur oratio Dominica, non rei ſacrę miniſtris, quorum partes ſunt illa dicere, *Sed libera nos à malo*, attribuit hanc vocem, *Amen*; ſed ipſi ſacerdoti accõmodatam reſeruauit; qui cùm Dei, & hominnm ſit interpres, Deum exoratum eſſe populo reſpondet.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo ergo differt hac vox (Amen) poſita in fine orationis Dominicæ, à ſe ipſa poſita in fine aliarum Orationum?

Dicendum plurimũ differre. Nam poſita in fine aliarum precationũ, cõſenſum modò deſideriumq́; ſignificat; in fine verò orationis Dominicæ reſponſionem Deum orantis poſtulationi conſenſiſſe.

Hanc differentiam indicat ipſe diuerſus ritus Eccleſiæ: Nam in alijs precationibus miniſtrorum munus eſt reſpõdere, *Amen*: In hac, ipſius ſacerdotis, qui Dei & hominum eſt interpres.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo interpretatur hac vox, Amen?

Dicendum, quòd variè à multis interpretata eſt; Septuaginta enim interpretes verterũt, *Fiat*: alij reddiderunt, *verè*: Aquila, *fideliter*: Sed parui refert, hoc an illo modo ſit reddita, modò habere intelligamus eam vim quam diximus confirmantis ſacerdotis cõceſſum id eſſe, quod petebatur: Cuius ſententię teſtis eſt Apo-

eſt Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. cap. *Quotquot enim* (inquit) *promiſsiones Dei ſunt, in illo eſt, ideò & per ipſum, Amen Deo, ad gloriam noſtram.*

CONCLVSIO III.

PRæter priorem ſignificationem, hac vox Amen, habet & iſtam nobis accommodatam; Nam eâ confirmamus petitiones noſtras, & nos attentos reddimus: petimus etiam vt omnia fiant, id eſt, concedantur, quæ anteà petijmus, vel potius intelligëtes nos iam impetrâſſe omnia, ac ſentientes præſentem vim diuini auxilij, illud vna cum Propheta canimus Pſalm. 53. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Eſt Catech. §. Eſt etiam hæc nobis accommodata vox, &c.

Nemo enim dubitare debet, quin Deus & nomine filij ſui, & verbo, quo ſæpiſsimè is vſus eſt, moueatur, qui ſemper, vt ait Apoſtolus ad Hæbreos 5. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Ieſu Chriſto, ęterni Dei ęterno Filio laus & gloria.

INDEX
CAPITVM,
QVAESTIONVM,
ET DIFFICVLTATVM ELVCIDATIONIS CATECHISMI ROMANI, IN quatuor partes diuiſi.

PRAEFATIONIS CATECHISMI.

Quæſtio 1. An ſit neceſſarium ad ſaluté eſſe Paſtores & Catechiſtas doctrina fidei inſtructos? Et, Quis eſt auctor doctrinę fidei? pag.1.
Difficultas 1. A quo tempore, &, quibus primum hominibus Deus hanc doctrinã reuelauit? pag.3.
Diffi. 2. Quantam fidem debemus tribuere Eccleſiæ paſtoribus? eâdem.
Diffi. 3. Quid neceſſarium eſt manifeſtata ſemel hac doctrina, etiam hodie illam per Paſtores & Catechiſtas doceri & explicari? pag.4.
Diffi. 4. Quo potiſsimum modo Hæretici hoc tempore corrumpunt doctrinam fidei? pag.5.
Diffi. 5. Qua ratione huic tanto & tam pernicioſo malo ſalutaris medicina adhibita eſt? pag. eadem.
Diffi. 6. Quid neceſſe fuit poſt tot Doctores Catholicos, qui Catechiſmos cóſcripſerunt, etiam iſtum Sanctæ Synodi Tridentinæ auctoritate in lucem edi? eadem.
Diffi. 7. In quorum gratiam potiſsimum conſcriptus eſt hic Catechiſmus? Et, Quæ potiſsimum doctrinæ chriſtianæ capita in eo explicãtur? pag.6.

Qua.

Quæſtio 2. Quis eſt finis huius doctrinæ? Siue, Quæ imprimis conſiderare,& ſibi ante oculos ponere debent, qui tradunt hanc doctrinam? pag. eadem.
Quæſtio 3. Quæ eſt forma, ſiue modus tradendi doctrinam chriſtianam? pag.9.
Diffi. vnica. Debéntne ergo Doctores, & alij, quorum animus in ſublimium rerum cótemplatione verſatur, auditoribus rudioribus inſtruendis vacare? pag.eadem
Quæſtio 4. Quæ eſt materia huius doctrinæ: Siue, Quæ ſunt pręcipua doctrinę chriſtianę capita? Et, Quis eſt inter illa ordo conſtituendus? pag.10.

PRAEFATIONIS
PRIMAE PARTIS,
De fide & fidei Symbolo in genere.

Quæſtio 1. Quid eſt Fides? pag.13
Diffi. 1. An fides ſic accepta ſit neceſſaria ad ſalutem? eadem.
Diffi. 2. Quanta eſt differentia inter illam fidé quam Deo, & illam quam humanæ hiſtorię ſcriptorib⁹ adhibemus? pag.14.
Diffi. 3. An ſit vna fides, vel multiplex? eadem.
Diffi. 4. & Poſtrema. Quem fructum & vtilitatem adfert nobis fides? pag.eadem.
Quæſtio 2. Quæ ſunt primùm chriſtianis hominibus credéda, & quando, & qua de cauſa Apoſtoli duodecim fidei articulos compoſuerunt? eadem
Diffi. 1. Quare hanc fidei formulam à ſe compoſitam Apoſtoli appellarunt Symbolum? pag.15.

Diffi. 2. Quare duodecim Symboli articuli, primò & maximè neceſſario omnibus credendi ſunt? pag. 16.

Diffi. 3. Quot ergô ſunt partes principales Symboli Apoſtolici? eadem.

Diffi. 4. Quare duodecim Symboli ſententias appellamus articulos? eadem.

PRIMAE PARTIS, CAPVT PRIMVM.

De primo Symboli articulo.

Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ: pag. 17.

Quæſtio 1. Quæ eſt horum verborum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ*, ſententia: pag. 17.

Quæſtio 2. Quid prima vox, Credo ſignificat: eadem.

Quæſtiò 3. Quomodo differt chriſtiana philoſophia ab huius ſæculi ſapientia: hoc eſt, ſcientia quam Chriſtiani habent de Deo & rebus diuinis per lumẽ ſupernaturale fidei, à ſciẽtijs quas philoſophi habuerunt de ijſdem per ſolum lumen naturale intellectus: pag. 19.

Diffi. vnica. Quæ ſunt quæ philoſophi ex effectibus & rerum creatarum contemplatione, de Deo lumine naturali intellectus cognouerunt & inueſtigârunt: pag. 20.

Quæſtio 4. An Deus ſit vnus, & nõ plures, ſicut ſignificare videtur hæc vox, In Deum, ſingulari numero prolata: pag. 22.

Quæſtio 5. Quotuplici ratione vox Patris Deo tribuitur?

tur? Et, Qua ratione peculiariter hoc loco Deum credimus eſſe Patrem: pag.23.

Quæſtio 6. An ſit Trinitas perſonarum in vnitate diuinæ eſſentiæ? Et, Vnde oritur diſtinctio diuinarum perſonarum: pag.25.

Quæſtio 7. Quo nomine Deus frequentius appellatur in ſacris litteris? Et, Quid ſignificatur hoc nomine, Omnipotens: pag.28.

Diffi. vnica Si Deus omnia poteſt, quare ergo dicitur non poſſe mentiri, fallere, aut falli, peccare, aut interire, aut aliquid ignorare: pag.29.

Quæſtio 8. Cùm Deus in ſacris litteris vocetur pluribus nominibus, quare alijs omiſsis, Apoſtoli vſi ſunt nomine Omnipotentis: pag.eadem.

Diffi. vnica. An omnipotentia ita tribuatur Patri, vt Filio etiam, & Spiritui ſancto communis non ſit: pag.31.

Quæſtio 9. Quid ſignificatur cùm Deus dicitur Creator cæli & terræ: pag.32.

Diffi. 1. An Deus creauerit mundum alia vi, aut neceſsitate coactus, an verò ſua ſponte & voluntate. pag.eadem

Diffi. 2. Quæ fuit cauſa finalis creationis mundi: eadem.

Diffi. 3. Quæ fuit cauſa exemplaris rerũ à Deo creatarum: eadem.

Quæſtio 10. Quid nomine cæli & terræ intelligẽdum eſt: pag.33.

Diffi. 1. Enumera ſigillatim illa quæ nomine cæli sũt intelligenda: eadem.

Diffi. 2. An cælorum orbes à Deo ſint creati, & quales, & quare: eadem. (pag.34.

Diffi. 3. An Angeli ſint à Deo creati, quales, & quare:

Diſſ. 4. Enumera ſigillatim illa quæ nomine terræ ſunt intelligenda: pag.35.
Diſſ. 5. An terra ſit à Deo creata, & prout nunc eſt ſucceſsiuè exornata, quomodo, & quibus rebus: eadem,
Diſſ. 6. Primus homo ex qua materia effectus, & qualis tum ſecundum corpus, tum ſecũdum animam: eadem,
Quæſtio 11. An ſicut Deus res omnes ſua ſumma poteſtate, ſapientia, & bonitate creauit, ita etiam eaſdē ſua prouidentia conſeruet & gubernet: pag.36.
Diſſ. vnica. Euertítne ergo Deus virtutem & actionem cauſarum ſecundarum: pag.37.
Quæſtio poſtrema. An opus creationis ſit proprium Deo Patri, an verò commune toti Trinitati: ead,

CAPVT SECVNDVM.

De ſecundo articulo.

Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum. *pag.38.*
Quæſtio 1. Quid nomen Ieſus ſignificat: Cui propriũ, & à quo impoſitum: pag.41.
Quæſtio 2. Chriſtus quale nomen eſt, & quot rationibus, Chriſtus, appellatur: pag.43.
Diſſ. 1. An Ieſus fuerit vnctus, & quo oleo: pag.ead,
Diſſ. 2. An Chriſtus fuerit propheta: pag.44.
Diſſ. 3. An Ieſus Chriſtus etiam ſacerdos fuerit: pag.eadem.
Diſ. 4. An Chriſtus etiam Rex fuerit. pag.45.
Quæſtio 3. Quid ſignificatur per hoc quod Chriſtus dicitur filius Dei vnicus: pag.46.
Diſſ. 1. Potéſtne explicari modus, quo filius Dei ab æterno generatur à Patre, eadem,

Diſſi. 2. Cùm duplicem filij Dei natiuitatem credamus & agnoſcamus, æternam & temporalem, quomodo dicimus illum eſſe vnicum filium: pag. 47.

Diſſi. 3. Filius Dei dicitur in ſcripturis habere fratres & cohæredes, quomodo ergo confitemur hîc vnicum eſſe filium: eadem.

Quæſtio 4. An Chriſtus rectè appelletur Dominus noſter, & ſecundum quam naturam, vtramque, vel alteram: pag. 48.

CAPVT TERTIVM.

De tertio articulo.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria Virgine. pag. 51.

Quæſtio 1. Quis eſt ſenſus prioris partis articuli: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: pag. eadem.

Quæſtio 2. An ſolus Spiritus ſanctus myſteriū incarnationis perfecerit: pag. 52.

Diſſi. vnica. Si conceptio & incarnatio filij Dei ſit opus totius Trinitatis, quâ ratione ergo Spiritui ſancto ſingulariter tribuitur: pag. 53.

Quæſtio 3. An opus Incarnationis ſit ſecundum naturam factum, vel ſupra naturam: pag. 54.

Diſſi. 1. An ſit ſecundū naturam, corpus Chriſti formatum eſſe ex ſanguine Virginis: pag. eadem

Diſſi. 2. An ſit ſupra naturam, quod ſtatim aliquot vocibus à virgine prolatis corpus in vtero eius perfectè formatum, atq; anima rationali animatū fuerit: pag. 55.

Diſ. 3. An ſit ſupra naturam, animam Chriſti in primo creationis inſtanti omnem chariſmatū abundantiam accepiſſe: pag. eadem.

Diffi. 4. An ergo liceat Chriſtum appellare filium Dei adoptiuum: eadem.
Diffi. poſtrema. An ex dictis rectè conſequatur B.Mariam Virginem verè & propriè matrẽ Dei & hominis appellari: eadem.
Quæſtio 4. Quis eſt ſenſus alterius partis articuli, Natus ex Maria Virgine: pag.56.
Quæſtio 5. An natiuitatis Chriſti myſterium ſit ſecũdum naturã, vel ſupra naturam: pag.57.
Diffi. 1. An ergo Beata Maria in conceptione & partu Virgo permanſerit: pag.58.
Diffi. 2. An ergo ſicut Chriſtus benè comparatur Adamo: ita etiam B. Maria Virgo ab Eccleſia & Doctoribus benè cóparetur cum Eua: pag. eadẽ.
Quæſtio 6. An conſentaneum fuerit diuinæ prouidẽtiæ admiranda huius conceptionis & natiuitatis myſteria præfigurare in veteri Teſtamento: Et, Quæ fuerunt illæ figuræ: pag.69.

CAPVT QVARTVM.

De quarto articulo.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. 62.
Quæſtio 1. Quis eſt ſenſus prioris partis huius articuli; Paſſus ſub pontio Pilato, crucifixus: pag.63.
Quæſtio 2. An Chriſtus verè tormenta paſsionis ſenſerit: pag.64.
Diffi. 1. Quare tam diligenter notatum eſt Chriſtum eo tempore paſſum eſſe, quo Pontius Pilatus Iudæam prouinciam procuraret: pag. eadẽ.
Diffi. 2. Quare Chriſtus in ligno crucis pati & mori voluit: pag.67.
Quæſtio 3. An fuerit conſentaneum myſterium paſsionis Chriſti ſtatim ab initio mũdi poſt peccatũ

multis

multis figuris & prophetijs præſignificari? Et, Quæ fuerunt præcipuę illius figurę & prophetię: pag.68.
Quæſtio 4. An Chriſtus fuerit verè mortuus in cruce? Et, an decens fuerit eum mori: pag.69.
Diffi. vnica. An aliqua in Chriſti morte ſint propria & pecularia, quæ ſcilicet in aliorum hominum morte non reperiantur: pag.70.
Quæſtio 5. Cur Chriſtum non modò mortuum, ſed etiam ſepultum eſſe dicimus: pag.71.
Diffi. 1. An ſicut præfatis verbis credimus Chriſti corpus ſepultum eſſe: ita etiam ijſdem verbis credendum nobis proponatur Deum ſepultũ eſſe: pag.72.
Diffi. 2. Quo genere ſepulturæ, & quo loco Chriſtus ſepultus fuit: pag.eadem.
Quæſtio 6. Vt fideles, aliquouſque cõtemplari poſsint magnitudinem & præſtantiam myſterij paſsionis Chriſti, quæ debet ſibi imprimis ante oculos ponere: pag.73.
Quæſtio 7. Quis eſt ille qui hæc omnia patitur: pag.74
Quæſtio 8. Quæ cauſa paſsionis & mortis Chriſti: Siue, Quæ cauſa fuit cur Filius Dei acerbiſsimam paſſionem ſubijt: pag.75.
Quæſtio 9. Quæ cauſa efficiens paſsionis: Siue, Qui auctores & miniſtri fuerunt paſsionis Chriſti: pag.eadem.
Diffi. 1. An qui hodie peccant benè dicantur ab Apoſt. Hæb. 6. c. rurſus crucifigere Chriſtũ: pag.76
Diffi. 2. An qui hodie ſic Chriſtum crucifigunt, grauius ſcelus committant Iudæis Chriſti crucifixoribus: pag.eadem.
Quæſtio 10. Quanta fuit paſsionis Chriſti acerbitas? Siue,

Siue, An dolor, quem Chriſtus in paſsione ſuſtinuit, fuerit omnium maximus: pag.77.
Quæſtio 11. Qui ſunt effectus paſsionis Chriſti: Siue, Quæ ſunt bona & cõmoda, quę ex paſsione Chriſti Domini percipimus: pag.79.

CAPVT QVINTVM.

De quinto articulo.

Deſcẽdit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.pag.83.
Quæſtio 1. Quæ eſt ſententia prioris partis articuli: Deſcendit ad inferos: pag.eadem.
Diffi. vnica. Quomodo fieri poteſt vt eadẽ perſona & ad inferos deſcenderit, & in ſepulchro iacuerit: pag.84.
Quæſtio 2. Quid & quot ſunt Inferi: pag.eadem.
Diffi. 1. Quibus argumẽtis probari poteſt ignis purgatorius: pag.85.
Diffi. 2. Quorum animas Chriſtus liberauit ex inferno: pag. eadem.
Quæſtio.3. Deſcendítne anima Chriſti ad inferos realiter, an verò virtute tantum & potentia: pag. 86.
Diffi. vnica. An ex deſcẽſu Chriſti ad inferos aliquid dignitati Chriſti detractum ſit: pag.eadem.
Quæſtio 4. Quibus de cauſis voluit Chriſtus ad inferos deſcendere: pag.87.
Quæſtio 5. Quis eſt ſenſus poſterioris partis articuli: Tertia die reſurrexit à mortuis: pag.88.
Quæſtio 6. Quid eſt reſurgere hoc loco, & an ſit propriũ Chriſto: pag.89.
Quæſtio 7. Quomodo Chriſtus in ſcripturis dicitur primogenitus mortuorum, hoc eſt, primus omnium reſurrexiſſe, cùm multi alij ante eũ reſurrexerint: pag.91.

Quaſtio 8. Quo ſenſu dicitur Chriſtus reſurrexiſſe tertia die: Et, quare neque citius neque tardius voluit reſurgere: pag.92.
Quaſtio 9. Quare patres Cõſtantinopolitanæ Synodi hanc particulam (ſecũdum ſcripturas) addiderũt Symbolo: Et, Vnde illam deſumpſerũt: pag.93.
Quaſtio 10. Quare neceſſe fuit Chriſtum reſurgere: pag.94.
Quaſtio 11. & poſtrema. Qui ſunt effectus reſurrectionis Chriſti: Siue, Quantum vtilitatis adfert fidelibus Chriſti reſurrectio: pag.95.
Diffi. vnica. Quæ ſunt ſigna noſtræ reſurrectionis ſpiritualis: pag.97.

CAPVT SEXTVM.

De ſexto Symboli articulo.

Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. *pag.99.*
Quaſtio 1. Quæ eſt ſententia prioris partis articuli: Aſcendit ad cælos: pag.eadem.
Quaſtio 2. An Chriſtus aſcenderit in cælum ſua virtute, an alienâ: pag.100.
Quaſtio 3. Quis eſt ſenſus alterius partis articuli: Sedet ad dexterã Dei Patris omnipotẽtis: pag.eadẽ.
Quaſtio 4. An DeusPater habeat dexteram: Et, Quid eſt Chriſtũ ſedere ad dexterã Dei Patris: pag.101.
Diffi. vnica. An ſedere ad dexteram Patris ſit proprium Chriſti: pag.102.
Quaſtio 5. Myſterium aſcenſionis Chriſti in quibus præſtat reliquis eius myſterijs: pag.eadem
Quaſtio 6. & poſtrema. Quare Chriſtus aſcendit ad cælos, nec in terra regnum ſuum cõſtituere voluit: pag.103.

CAPVT SEPTIMVM.

De ſeptimo Symboli articulo.

Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. pag.109.

Quæſtio 1. Quis eſt ſenſus huius articuli: pag.eadem.

Quæſtio 2. Quot ſunt Chriſti aduentus: Et, quo inſuper nomine aduentus Chriſti ad iudicium appellatur in ſcripturis ſacris: pag.110

Quæſtio 3. An poſsit probari ex ſacris ſcripturis futurum iudicium? Et, quotuplex eſt iudicium: pag.111.

Diffi. vnica permaximi momenti. Cur præter priuatum iudicium de ſingulis, alterum etiam iudicium generale de vniuerſis hominibus exerceri debet: pag.112.

Quæſtio 4. Secundum quam naturam cõuenit Chriſto Dño iudicare genus humanum: pag.114.

Diffi. 1. Cùm poteſtas mundum iudicandi ſit communis tribus in Trinitate perſonis, quare præcipuè &ſpeciatim attribuitur Filio etiam vt Deo: pag.115.

Dif. 2. Decuítne etiam vt Chriſtus Dñs inquantum homo hoc,iudicium exerceret: pag ead.

Quæſtio 5. Quæ ſunt præcipua ſigna generale iudiciũ anteceſſura: pag.eadem.

Quæſtio 6. An poſsit forma & ratio extremi iudicij ex ſacris litteris colligi & agnoſci: pag.116.

Quæſtio 7. Quæ erit ſententia definitiua Chriſti Iudicis: pag.eadem.

Diffi. vnica. Vnde maximè demonſtrari poteſt iuſtitia & æquitas huiuſmodi ſententiarum: pag.118.

C A.

CAPVT OCTAVVM.

De octauo Symboli articulo,

Credo in Spiritum Sanctum. *pag.120.*
Quæſtio 1. An nomen Spiritus ſancti ſit propriũ tertiæ in diuinitate perſonæ: pag.121.
Diffi. 1. Quare tertiæ perſonæ minus eſt attributum proprium nomen, quàm primæ & ſecundæ: pag.122.
Diffi. 2. An conuenienter nomen Spiritus ſancti attribuatur tertiæ in Trinitate perſonæ: pag.ead.
Quæſtio 2. An Spiritus ſanctus ſit Deus Patri & Filio per omnia æqualis, videlicet æquè omnipotens, æternus, & infinitæ perfectionis: pag.123.
Quæſtio 3. An Spiritus ſanctus ſit perſona per ſe conſtans, & à Patre & Filio diſtincta: pag.125.
Quæſtio 4. An Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vno principio: pag.126.
Quæſtio 5 & poſtrema. Qui ſunt effectus Spiritus ſancti: pag.127.
Diffi. 1. Quomodo alio nomine vocătur hi præcipui Spiritus ſancti effectus: pag.128.
Diffi. 2. Quæ gratia inter cætera ampliſsima Spiritus ſancti munera maximè prædicanda eſt: pag. 129.

CAPVT NONVM.

De nono Symboli articulo:

Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem. *pag.130.*
Quæſtio 1. Quid vox Eccleſia ſignificat: pag.131.
Dif. 1. Quare populus fidelis potius vocatur nomine Eccleſiæ, quàm quouis alio: pag.132.

Diffi. 2.

Diffi. 2. Quibus prętereа nominibus populus fidelis vocari ſolet in ſcripturis ſacris: pag. eadem.
Quæſtio 2. Quot ſunt Eccleſiæ partes: pag. 133.
Diffi. vnica, ad Concl. 1. An Eccleſia militans & triumphans, ſint duæ Eccleſiæ, vel potius vna: pag. 134.
Diffi. 1. ad concl. 2. Quibus modis probatur malos contineri in Eccleſia cum bǫnis: pag. eadem.
Diffi. 2. An eodē modo cōtineantur in Eccleſia mali quo boni: pag. 135.
Diffi. 3. An Infideles, Hæretici, Schiſmatici, & excōmunicati ſint in Eccleſia, vel potius extra Eccleſiam: pag. eadem.
Diffi. 4. An Eccleſiæ partes benè appellētur nomine Eccleſiæ: pag. 136.
Diffi. 5. De qua parte Eccleſiæ loquitur Chriſtus cū ad Eccleſiam nos remittit, eiq́; vt pareamus præcipit Matthæi 18. pag. 137.
Quæſtio 3. An Eccleſia ſit viſibilis & conſpicua: pag. eadem.
Quæſtio 4. Quæ ſunt Eccleſiæ proprietates: pag. 138.
Diffi. vnica, ad concl. 1. An præter inuiſibile caput Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, vt iam dictum eſt, opus ſit aliquo viſibili capite, hoc eſt, Romano Pontifice: pag. 139.
Diffi. 1. ad concl. 4. Qua ratione credere Eccleſiam pertinet ad articulos fidei, cùm quilibet ratione & & ſenſibus percipere poſsit eccleſiam, hoc eſt, hominum cōuentum Chriſto conſecratū: pag. 144.
Diffi. 2 Declara paulò explicatiùs quæ ſint illa quæ de Eccleſia credimus: pag 145.
Quæſtio 5. Quare in hoc articulo mutata loquendi forma dicimus, nos credere Sanctam Eccleſiam Catholicam, non autem in Eccleſiam Sanctam,

ſicuti prioribus articulis diximus nos credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: pag.146.
Quæſtio 6. An Eccleſia fuerit quibuſdã figuris adumbrata in veteri Teſtamento, & quibus: pag.ead.
Quæſtio 7. In quibus conſiſtit communio Sanctorũ? Siue, quę bona ſunt Sanctis & fidelibus cõmunia: pag.147.
Diffi. vnica. An omnia ſupradicta bona ſint omnibus fidelibus æqualiter communia: pag.150.

CAPVT DECIMVM.

De decimo articulo.

Remiſſionem peccatorum. pag.152.
Quæſtio 1. Quis eſt ſenſus huius articuli: ibidem.
Quæſtio 2. Eccleſia quibus modis remittit peccata? Et, an neceſſe ſit eſſe alium modum remittendi peccata à Baptiſmo: pag.153.
Quæſtio 3. An per claues Eccleſię omnia peccatorum genera & omni tempore remitti poſsint: 154.
Quæſtio 4. An omnibus fidelibus ſint conceſſæ claues Regni cælorum: 155.
Quæſtio 5. An Epiſcopi & Sacerdotes quacumq; ratione peccata remittere poſsint: ibidem.
Quæſtio 6. Quibus potiſsimum argumentis oſtendi poteſt præſtantia & vtilitas poteſtatis remittendi peccata, quam Eccleſiæ conceſſam confitemur: 156.
Diffi. vnica. Quo tempore primũ poteſtas remittẽdi peccata conceſſa eſt hominibus? Et, An prorſus eadem poteſtas ſit data hominibus quæ eſt in Deo: 157.

CAPVT VNDECIMVM.

De vndecimo Symboli articulo.

Carnis reſurrectionem. pag.160.
Quæſtio 1. Quare Apoſtoli reſurrectionem hominũ vocant reſurrectionem carnis 161.
Diffi. vnica. Quibus potiſsimum argumentis probari poteſt reſurrectio corporum: 162.
Quæſtio 2. An omnes homines reſurgent: 165.
Quæſtio 3. An idem numero corpus reſurget: 166.
Diffi. vnica. An corpus reſurget integrum: 167.
Quæſtio 4. An corpus reſurget tale quale nunc eſt: Siue, An alia futura ſit conditio corporum reſurgentium ab ea, quæ eſt in hac vitâ: 169.
Quæſtio 5. Quot, & quæ ſunt dotes corporum glorioſorum: 170.

CAPVT DVODECIMVM.

De duodecimo Symboli articulo.

Vitam æternam. 175.
Quæſtio 1. Quid vita æterna hoc loco ſignificat? Et, quare beatitudo hominis appellatur vita æterna: ibidem.
Quæſtio 2. quid, & quotuplex eſt beatitudo: 178.
Diffi. 1. quo pacto videbit homo Deum, An per ſpeciem aliquam & ſimilitudinem creatam diuinæ eſſentiæ, an verò per ipsãmet diuinã eſſentiã: 180.
Diffi. 2. Poteſtne ſimilitudine aliqua demonſtrari quomodo homo per lumen gloriæ Deo cõiungatur, & diuinã quodãmodo naturã induat: 182.
Quæſtio 3. *& poſtrema.* An omnes beati æqualem beatitudinem conſequentur, an potius alij alijs maiorẽ vel minorem: 184.

PRAE-

PRAEFATIONIS SECVNDAE PARTIS,

De Sacramentis in genere.

Quæſtio 1. Quid eſt Sacramentum 186.
Diffi. vnica. An Sacramentum ſit ſignum tantùm vnius rei ſacræ, an verò plurium: 191.
Quæſtio 2. quare oportuit inſtitui Sacramenta: 193.
Quæſtio. 3. quot ſunt ad cõſtituendum Sacramentũ neceſſaria? Siue, quot ſunt partes eſſentiales cuiuſlibet Sacramenti: 196.
Diffi. vnica. quid neceſſe fuit ad conſtitutionem Sacramentorum verbum addere elemento: 197.
Quæſtio 4. An ad Sacramenta adhibendæ ſint cæremoniæ? Et, quare? Et, A quo tempore ſolitæ ſunt adhiberi: 198.
Quæſtio 5. Quot ſunt Sacramenta? Et, An poſsit probabilis aliqua ratio adſerri ſeptenarij numeri Sacramentorum. 200.
Quæſtio 6. An omnia Sacramenta ſint ad ſaluté ęqualiter neceſſaria? Et, An inter illa ſint alia alijs digniora: 201.
Quæſtio 7. Quis eſt auctor Sacramentorum? Et, qui illorum miniſtri, & quales: 202.
Quæſtio 8. & poſtrema. quot ſunt effectus Sacramentorum? Et, quomodo differunt Sacraméta nouæ legis à Sacramentis veteris legis: 206.
Diffi. 1. quomodo fieri poteſt vt per Sacramenta, quæ sũt res corporeę & ſẽſibiles, efficiatur gratia in animâ: Vel vt loquitur D. Auguſt. tract. 80. in Ioannem, quomodo fieri poteſt in Sacramento Baptiſmi vt aqua corpus abluat & cor tãgat: 207.

Diffi. 2. Quis eſt character: Et, quare voluit Deus characterem animabus noſtris imprimi: 208.
Diffi. 3. An Sacramēta illa tria quæ characterem imprimūt poſsint iterari, ſicut reliqua quatuor, quę gratiam tantùm conferunt, & characterem non imprimunt: 209.

SECVNDAE PARTIS

CAPVT PRIMVM.

De Sacramento Baptiſmi.

Quæſtio 1. Quid ſignificat hæc vox, Baptiſmus? Et, quibus præterea nominibus hoc Sacramentum apppellatur: 213.
Quæſtio 2. quid eſt Baptiſmus: 215.
Diffi. vnica. An vulgò benè dicatur aqua eſſe Sacramentum Baptiſmi: 216.
Quæſtio 3. quæ eſt materia Baptiſmi: ibidem.
Diffi vnica. An aquæ baptiſmali debeat adijci ſacrum chriſma: 218.
Quæſtio 4. quæ eſt forma Baptiſmi: 219.
Diffi. 1. An omnia verba huius formæ ſint æquè neceſſaria: 220.
Diffi. 2. An Baptiſmus poſsit miniſtrari in nomine Chriſti, omiſsis duabus alijs perſonis: ibidem.
Quæſtio 5. quo pacto fieri debet ablutio in ſacramēto Baptiſmi: 221.
Diffi. 1. An ad Baptiſmum conficiendum neceſſariò requiratur trina ablutio 222.
Diffi. 2. quæ pars corporis ablui debet: ibidem.
Diffi. 3. quo tempore fieri debet ablutio, an ante, vel poſt pronunciationem verborum: 223.

Quæ-

Quæſtio 6. Quando fuit inſtitutus Baptiſmus? Et, quando Baptiſmus homines obligare cœpit: ibidem.
Diffi. vnica. Sacramenta nouæ legis habent vim cóferendi gratiam à paſsione Chriſti: quomodo ergo baptiſmus dicitur fuiſſe inſtitutus ante paſſionem Chriſti: 224.
Quæſtio 7. quotuplex eſt miniſter Baptiſmi: 225.
Diffi. vnica. An in caſu neceſsitatis, cùm permiſſum eſt quibuſcumque laicis baptizare, inter eos aliquis ordo ſeruari debeat: 228.
Quæſtio 8. An ad baptiſmum præter ſacramenti miniſtros, patrini etiam & ſuſceptores adiungi debeant? Et, quare? Et, quod illorum munus & officium: 229.
Diffi. 1. An inter patrinos & baptizatum oriatur aliqua affinitas ſpiritualis: 231.
Dif. 2. qui ſunt vocandi vt fiant patrini: 232.
Diffi. 3. quot debent eſſe patrini: ibidem.
Quæſtio 9. An omnes teneantur ſuſcipere baptiſmũ? Et quæ præparatio requiritur in baptizãdis: ibid.
Diffi. 1. An lex iſta de baptiſmo ſuſcipiendo ſit etiam intelligenda de pueris infantibus: 233.
Diffi. 2. An ſtatim à natiuitate ſint baptizandi paruuli? An verò in aliquod tempus baptiſmus differri debeat: 234.
Dif. 3. An ſtatim baptizandi ſint adulti, qui ſcilicet ab infidelibus, putà Iudæis, paganis, oriuntur: 235.
Diffi. 4. quid ſi adulto vitæ periculum imminere videatur, aut ſimilis aliqua neceſsitas, debebitne baptiſmus in tempus longius differri: 236.

Diſſi. vnica, ad concl. 2. An amentes & furioſi ſint baptizandi: 237.
Quæſtio 10. Qui ſunt effectus baptiſmi: 239.
Diſſi. vnica.ſed permaximi momẽti ad concl. 3. Quare virtute baptiſmi non liberantur ab huiuſmodi pœnalitatibus & incommodis in hac vita: 243.
Diſſi. vnica, ad concl. 6. Si per baptiſmum gratia & virtutes infundũtur, quibus ad omnia pietatis & virtutum officia habiles reddimur, vnde fit quod cum tanta difficultate & labore pias honeſtaſque actiones inchoamus, vel certè abſoluimus: 245.
Diſſi. 1. ad concl. 7. An baptiſmus iterari poſsit: 246.
Diſſi. 2. Iteratúrne baptiſmus cùm ex decreto Alexandri 3. baptizatur quis ſub conditione, dicendo, Si baptizatus es te iterum non baptizo; ſi verò nõdum baptizatus es Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: 247.
Diſſi. 3. An quiuis ſine delectu ſub conditione baptizari poſsit: ibidem.
Diſ. vnica. ad concl. 8. An omnes baptizati æqualiter omnes effectus baptiſmi percipiant: 248.
Quæſtio 12, & poſtrema. Quotuplices ſunt baptiſmi cæremoniæ, ibidem.

CAPVT SECVNDVM.

De Sacramento Confirmationis. 256.
Quæſtio 1. Quare hoc Sacramentum vocatur Confirmatio? Et, An ſit verum & propriè dictum ſacramentum nouæ legis à baptiſmi Sacramento diſtinctum: ibidem.
Quæſtio 2. Quis eſt auctor Sacramenti Confirmationis: 260.
Quæſtio 3. Quę eſt materia huius Sacramenti: 261.

Quæſtio 4. Quæ eſt forma huius Sacramenti: 263.
Quæſtio 5. Quis eſt huius ſacramenti miniſter? Et, An præter miniſtrum patrinus aliquis adhiberi debeat: 264.
Diffi. vnica. An cum patrinis contrahatur aliqua affinitas ſpiritualis quæ matrimonium impediat & dirimat, ſicuti fit in baptiſmo: 266.
Quæſtio 6. Quibus miniſtrari debet hoc Sacramentũ? Et, qua ætate, & qua præparatione: 267
Quæſtio 7. Qui ſunt Confirmationis effectus: 269.
Quæſtio 8. & poſtrema. Qui ſunt ritus & cæremoniæ Confirmationis: 272.

CAPVT TERTIVM.

De Sacramento Euchariſtiæ. 274.
Quæſtio 1. An hoc Sacramentum cõuenienter fuerit à Chriſto inſtitutum in vltimâ cœnâ: ibidem.
Quæſtio 2. An conuenienter hoc Sacramẽtum appelletur multis nominibus, & quibus: 275
Quæſtio 3. An hoc Sacramentum ſit verũ & propriè dictum nouæ legis Sacramentum: 278.
Diffi. 1. Cùm multa ſint in hoc Sacramento, quibus Doctores Eccleſię tribuunt nomen Sacramenti, vt ſunt, conſecratio, perceptio, ipſum Domini corpus & ſanguis, qui in Euchariſtia continetur (Inquit enim D. Auguſtinus de Catechiſandis rudibus cap. 16. Sacramentũ hoc duobus conſtare, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inuiſibili carne & ſanguine ipſius Dñi noſtri Ieſu Chriſti, atq; ad eundem modum hoc Sacramentum adorandum eſſe, nimirum, corpus & ſanguinem domini intelligentes, affirmamus) Cùm inquam tam multa ſint quibus ſacramẽti nomẽ tribuitur,

quod illorum debet dici verũ & propriè dictum Sacramentum: 279.

Diffi. 2. Sacramenta nouæ legis, quæ habent materiam ſenſibilem, in vſu materiæ perficiũtur, ſicut baptiſmus in ablutione, & Confirmatio in chriſmatis conſignatione; Sed Euchariſtia non perficitur in vſu materię, ſed potius in ipſius materię cnſecratione; Nam forma huius ſacramenti ſunt verba quæ in conſecratione materię pronunciantur, vt poſtea fiet manifeſtum. Quomodo ergo Euchariſtia poteſt dici verum & propriè dictum Sacramentum nouæ legis: 280.

Quæſtio 4. An hoc ſacramentum ſit vnum, vel plura: ibidem.

Diffi. 1. Quomodo hoc ſacramentum poteſt dici vnum, cùm panis & vinum, quibus perficitur, res ſint in indiuiduo, imò & ſpecie diuerſæ & differentes: 281.

Diffi. 2. Tria ſunt ſecundum omnes, quæ nobis hoc Sacramẽto ſignificãtur; Primum eſt, Chriſti Dñi paſsio quæ iam prætcrijt; Ipſe enim Chriſtus ſic docuit Lucæ 22. cùm dixit, Hoc facite in meã cõmemorationem; Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. teſtatus eſt cùm inquit: Quotieſcũq; mãducabitis panẽ & calicem bibetis, mortẽ Dñi annunciabitis donec veniat: Alterũ eſt, diuina & cęleſtis gratia, quæ præſens ad animã alendam & conſeruandã hoc ſacramento tribuitur; Quemadmodũ enim baptiſmo in nouam vitam gignimur, confirmatione roboramur, vt Sathanæ repugnare, & palã Chriſti nomen profiteri poſsimus; Ita Euchariſtiæ ſacramento alimur ac ſuſtentamur. Tertium eſt, quod futurum prænunciat; æternæ iucundi-

tatis

tatis & gloriæ fructus, quos in cæleſti patria ex Dei promiſsione capiemus: Quomodo ergo hoc ſacramentum vnum ſignificatione dici poteſt: ibidem.
Quæſtio 5. Quæ eſt materia huius ſacramenti: 282.
Diffi. 1. Qualis debet eſſe panis triticeus, vt ſit materia huius ſacramenti: hoc eſt, an debeat eſſe fermentatus, vel azymus, id eſt, ſine ferméto: 283.
Diffi. 2. An ea qualitas panis, hoc eſt, quod ſit ſine fermento, ſit vſque adeò neceſſaria, vt ſi ferméti aliquid habeat admixtum non poſsit fieri ſacramentum: 284.
Diffi. 3. Quàm multa materia panis debet cõſecrari: ibidem.
Diffi. 1. ad concl. 2. An mixtio aquæ ſit ita neceſſaria, vt ſine illa ſacramentũ conſtare non poſsit: 285.
Diffi. 2. Quantum aquæ vino miſceri debet: 286.
Quæſtio 6. An panis & vinum ſint conueniens materia huius ſacramenti: ibidem.
Quæſtio 7. Quæ eſt forma huius ſacramenti: 288.
Diffi. vnica, ad concl. 1. An omnia verba ex Apoſtolo & Euangeliſtis ſtatim recitata, & in canone miſſæ recitari ſolita in cõſecratione panis, ſint de neceſſitate Sacramenti, ita videlicet vt ſine illis forma conſecrationis panis, & ſacramẽtum conſtare nõ poſsit: 289.
Diffi. vnica, ad concl. 2. Cùm hæc verba conſecrationis vini obſcura ſint & plena myſteriorum, quæritur quid ſingula verba ſignificent, & quæ myſteria in ſe contineant: 292.
Quæſtio 8. An verũ Chriſti Dñi corpus, illud inquam idẽ quod natum eſt ex Virgine, & in cælis ſedet ad dexterã Patris hoc ſacramento contineatur: 293.

Diffi.1. An totus Chriſtus in hoc ſacramanto contineatur: 298.
Diffi. 2. An eodẽ modo totus Chriſtus ſub vtraque ſacramenti ſpecie contineatur: 299.
Diffi. 3. Si Chriſtus ſub ſingulis ſpeciebus totus continetur, quid fuit opus vt ſeparatim duæ cõſecrationes fierent: 300.
Diffi. 4. & poſtrema. An etiam Chriſtus ſit totus ſub quauis vtriuſque ſpeciei particula: ibidem.
Queſtio 9. An poſt conſecrationem panis & vini, remaneat in ſacramento panis & vini ſubſtantia, ita videlicet vt in ſacramento ſimul ſit totus Chriſt⁹, & ſubſtantia panis & vini. 301,
Diffi. vnica An Chriſtus Dominus ſit in hoc ſacramento ſicut in loco: 305.
Queſtio 10. An accidẽtia, ſiue ſpecies panis & vini quę remanent poſt conſecrationem, ſint in ſubiecto, vel ſine ſubiecto: 306.
Diffi. vnica. Quare Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem voluit nobis dari manducãdum & bibendũ ſub alienis ſpeciebus ſcilicet panis & vini: ibidem.
Queſtio 11. Qui ſunt effectus huius ſacramenti: 307.
Diffi. vnica. Illud ſacramentum non datur niſi prius exiſtentibus in gratia: quomodo ergo dicitur conferre gratiam: 309
Queſtio 12. Quot modis ſumitur hoc ſacramentum: 312.
Diffi. vnica. Quid dicendum de illis qui ſatis habent communicare ſpiritualiter, cùm poſsint etiam eſſe parati ad communicandum ſacramentaliter: 313.
Queſtio 13. An ſit neceſſaria aliqua præparatio ad hoc ſacramentum ſumendum? Et, quæ ſit illa: ibidẽ.

Quæſtio 14. An omnes teneantur ſumere hoc ſacramentum? Et, quo tempore: 318.
Diffi. 1. An expediat frequenter ſumere hoc ſacramẽtum, id eſt, vtrum ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus: 319.
Diffi. 2. An etiam pueris, qui necdum vſum rationis habent, ſit lex illa poſita. 321.
Diffi. 3. Qua ergo ætate pueris primum danda eſt Euchariſtia: 322.
Diffi. 4. An etiam amentibus ſit danda Euchariſtia: ibidem.
Quæſtio 15. An hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie ab omnibus fidelibus ſit ſumendum: ibidem.
Quæſtio 16. Quis eſt miniſter huius ſacramẽti: 324.
Diffi. vnica. An laici, ſi non poſsint diſtribuere ſacramenta, ſaltem poſsint ſacra vaſa, lintea, & alia inſtrumenta, quibus illa conficiuntur, contrectare: ibidem.
Quæſtio 17. An Euchariſtia inſtituta ſit à Chriſto vt eſſet tãtùm ſacramentum, an verò etiam vt eſſet ſacrificium? Et, quomodo differt Euchariſtia vt eſt ſacramẽtum ab Euchariſtia vt eſt ſacrificium: 325.
Quæſtio 18. Quis inſtituit Euchariſtiam vt eſt ſacrificium? Et, an miſſa ſit propriè dictum ſacrificiũ: 327.
Quæſtio 19. Cui fieri debet ſacrificium: 328.
Quæſtio 20. An doctrina ſacrificij Miſſæ ab Eccleſia Catholica, & nouiſsimè à Conc. Trident tradita poſsit ſcripturis ſacris probari & oſtendi: 329.
Quæſtio 21. An ſacrificium quod in miſſa peragitur ſit aliud à ſacrificio quod in cruce oblatum eſt: 330.

Quæſtio 22. An ſacrificium Miſſæ ſit tantùm ſacrificium laudis & gratiarum actionis, aut nuda commemoratio ſacrificij crueti in ara crucis peracti: An verò ſit etiam verè propitiatorium ſacrificium: 331.
Diſſi. 1. An ſacrificium Miſſæ ſoli offerenti & ſuméti, an verò etiam reliquis fidelibus, pro quibus offertur proſit: 333.
Dif. 2. An aliquæ miſſæ in Eccleſia debeant dici priuatæ: ibidé.
Quæſtio poſtrema. Quare ad ſacrificium miſſæ tã multi ritus & cæremoniæ adhibentur: ibidem.

CAPVT QVARTVM..

De Pœnitentia Sacramento. 335.
Quæſtio 1. Quid ſignificat vox, Pœnitentia. 336.
Quæſtio 2. Quid eſt Pœnitentia interna, quæ etiam virtus appellatur? Et, quomodo cauſatur in nobis virtus pœnitentiæ: 339.
Dif. 1. An fides ſit pars pœnitentiæ: ibidem.
Diſſi. 2. Quomodo probari poteſt pœnitentiá eſſe virtutem: 340.
Quæſtio 3. Quis eſt effectus virtutis pœnitentiæ: 342.
Quæſtio 4. Quare Chriſtus Dominus voluit pœnitétiam eſſe ſacramentum: ibidem.
Quæſtio 5. Quibus argumentis oſtendi poteſt pœnitentiam externam eſſe ſacramentum nouæ legis: 344.
Quæſtio 6. An pœnitentia ſit ſacramentũ ex numero eorum quæ iterari poſſunt. ibidem.
Quæſtio 7. Quæ eſt materia huius ſacramenti: 345.
Quæſtio 8. Quæ eſt forma huius ſacramenti: 346.
Diſſi. 1. An hæc forma vera ſit in illo, qui priuſquam

ad ſacerdotem accedat, vi ardentioris cuiuſdam contritionis conſecutus eſt à Deo veniam peccatorum: 347.

Diffi. 2. An ſit bona expoſitio huius formæ, quam quidam tradunt, Ego te abſoluo, id eſt, Ego te abſolutum eſſe declaro: ibidem.

Diffi. 3. An his verbis formæ, Ego te abſoluo, nil debeat adijci: 348.

Quæſtio 9. Súntne ritus & cæremoniæ à pœnitente in hoc ſacramento ſuſcipiendo obſeruandæ: ibid.

Quæſtio 10. Qui ſunt effectus ſacramenti pœnitētiæ: 349.

Diffi. 1. quomodo ergo verum eſt quod in ſcripturis legimus, vt 2. Machabæorum 9. cap. & Hæbreorum 12. quoſdam peccatores à Domino miſericordiam non eſſe conſecutos, quamuis illam vehementer implorauerint: 350.

Diffi. 2. An peccatum poſsit remitti ſine pœnitētia: ibidem.

Diffi. 3. An ſaltem peccatum veniale poſsit remitti ſine pœnitentia: 351.

Quæſtio 11. An ſacramento Pœnitentiæ debeant aſsignari aliquæ partes? Et, quæ ſunt illæ? Et, cuius generis: ibidem.

Difficultas 1. Quare patres deteſtationem & odium peccati, in quo propriè contritio conſiſtit, ſignificare voluerunt vocabulo contritionis: 355.

Diffi. 7. An quiuis dolor poſsit appellari nomine cótritionis: ibidem.

Diffi. 3. Quibus præterea nominibus vocatur odiū & deteſtatio peccati: ibidem.

Quæſtio 12. Quātus debet eſſe dolor contritionis, qui ſcilicet de peccatis cōmiſsis ſuſcipitur: 356.

Diffi.

Diſſi. vnica. An ergo illi cenſendi ſint habere contritionem, qui maioré ex filiorum obitu quàm ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt, vel qui lachrymãtur ob amiſsioné rerum temporalium, & non lachrymantur ob priuationẽ gratiæ diuinæ, perpetrato peccato mortali: 358.
Quæſtio 14. An de ſingulis peccatis mortalibus requiratur proprius contritionis dolor: ibidem.
Quæſtio 15. Quæ ſunt ad veram contritionem neceſſaria: 360.
Quæſtio 16. Quis eſt effectus veræ contritionis: 362.
Diſſi. vnica. An ſicut pleraque alia virtutis opera, veluti beneficẽtia in pauperes, ieiunia, preces, & alia id genus ſancta & honeſta opera, hominum culpâ, à quibus proficiſcuntur, interdum à Deo repudiantur: ita etiam Contritio vera poſsit à Deo repudiari & reijci: 363.
Quæſtio 17. Quâ ratione poterunt fideles verã peccatorum contritionem conſequi: ibidem:
Quæſtio 18. Cùm contritione poſsint remitti peccata, quid fuit neceſſe ad remiſsionem peccatorum, confeſsionem ſacerdoti fiendam inſtitui: 364.
Diſſi. vnica. An ſit ergo aliquis contritionis dolor qui non ſufficiat ad peccatorum remiſsioné conſequendam: 365.
Quæſtio 19. Quid eſt confeſsio ſacramentalis: 366.
Quæſtio 20. A quo inſtituta eſt confeſsio ſacramentalis: 367.
Quæſtio 21. An ſicut confeſsio, ita etiam ritus & cæremoniæ, quæ ad eam adiunguntur, ſint à Chriſto inſtitutæ: 369.
Diſſi. vnica. Quare Eccleſia confeſsioni ritus & cęremonias adiunxit: ibidẽ.

Quæſtio 22. An confeſsio ſacramentalis relapſis in peccatum mortale ſit ad ſalutem neceſſaria? 370.

Quæſtio 23. Qua ætate, & quo anni tempore confitẽdum eſt: 371.

Diffi. vnica, ad concl. 1. An ea ætas quâ ad rationis vſũ ſufficiẽtem peruenitur, poſsit certo aliquo annorum numero definiri: ibidem.

Diffi. vnica, ad concl. 2. An nullo caſu teneantur fideles ſæpius confiteri: 372.

Quæſtio 24. Quæ qualitates & conditiones in confeſſione ſunt obſeruandæ: 373.

Diffi. 1. An etiam illa peccata mortifera confitenda ſint ſacerdotibus quæ ſunt occultiſsima, & eius generis quæ duobus tantum extremis decalogi præceptis interdicuntur: ibidem.

Diffi. 2. An etiam peccatorum circunſtantiæ ſint cõfitendæ: 374.

Diffi. 3. An confeſsio non integra, id eſt, in qua dedita opera aliquod peccatũ mortale prętermittitur ſit bona, vel potius nulla & iteranda: 375.

Quæſtio 25. Quis eſt legitimus huius ſacramenti miniſter: 377.

Diffi. 1. An ſacerdos nullam habens iuriſdictionem poſsit aliquo ſaltẽ caſu eſſe miniſter huius ſacramenti: 378.

Diffi. 2. An præter poteſtatem ordinis & Iuriſdictionis, aliæ inſuper qualitates requirãtur in miniſtro huius ſacramenti: ibidem.

Quæſtio 26. Quæ ſunt ſacerdotibus & confeſſarijs in vſu & praxi huius ſacramenti circa pœnitentẽ & confitentem obſeruanda: 380.

Diffi. vnica, ad concl. 1. Quâ potiſsimum ratione pœnitens poterit in poſterum à peccatis abſtinere,

& Dæ-

& Dæmonis tẽtationibus ac prauis cupiditatibus reſiſtere: 380.
Diſſi. vnica, ad Concl. 4. Quid ergo ſacerdos cum talibus aget, dimittetne illos ſine abſolutione, vel nõ dimittet: 382.
Quæſtio 27. Quid eſt ſatisfactio: 383.
Quæſtio 28. Quot ſunt genera ſatisfactionis quâ Deo pro peccatis ſatisfit? Et, quæ eſt differentia inter illa genera ſatisfactionis: 384.
Quæſtio 29. Quid eſt ſatisfactio ſacramentalis: 386.
Diſſi. 1. An dimiſsâ culpâ remaneat adhuc aliqua pœna temporaria pei ſoluenda: 387.
Diſſi. 2. Quare omnis pœna pœnitentiæ ſacramento æquè ac baptiſmo non condonatur: 388.
Quæſtio 30. Vnde vim habet ſatisfactio ſacramentalis: 390.
Quæſtio 31. An ſatisfactio ſacramentalis obſcuret ſatisfactionem Chriſti: 391.
Quæſtio 32. Quot præcipuè requiruntur ad veram ſatisfactionem: 392.
Diſſi. vnica. An ergo illi, qui vel patiendi conſuetudine, vel accenſa in Deum charitate exercent opera ſatisfactoria, & moleſtiſsimas quaſuis actiones ſine aliquo doloris ſenſu, non ſatisfaciunt: ibid.
Quæſtio 33. Quot ſunt ſatisfactoria opera: ibidẽ.
Diſſi. vnica. An ærumnæ & calamitates, quæ dum in hac vita ſumus exterius nos præmunt, ſint ſatiſfactoriæ: 394.
Quæſtio 34. An vnus ſatisfacere poſsit pro alio: ibid.
Diſſi. vnica. An tantũ fructũ cõſequitur ille pro quo ſatisfit, quã ſi ipſe pro ſe ipſo ſatisfaceret: 395.
Quæſtio 35. An reſtitutio ad ſatisfactionem ſacramẽtalem pertineat: ibidem.

Quæſtio 36. & poſtrema. Quales & quantæ ſatisfactiones pœnitentibus ſunt imponendæ: 396.

CAPVT QVINTVM.

De Extremæ Vnctionis Sacramento. 398.

Quæſtio 1. Quare hoc Sacramentum vocatur Extrema Vnctio? Et, quibus præterea nominibus appellari ſolet: 399.

Quæſtio 2. An Extrema vnctio ſit verè Sacramentum nouæ legis: ibidem.

Diffi. vnica. Cùm in hoc Sacramento ſint plures vnctiones, an vnum Sacramentum dicendum ſit, an plura: 400.

Quæſtio 3. Quæ eſt materia Extremæ vnctionis: 401.

Quæſtio 4. Quæ eſt forma huius Sacramenti: ibidem.

Diffi. vnica. Cur factum eſt, vt aliorum ſacramentorum forma vel abſolutè ſignificet quod efficit, vt cùm dicimus, Ego te baptizo, aut, Signo te ſigno crucis; vel tanquam ab imperantibus pronuncietur, vt cùm in Sacramento Ordinis adminiſtrando dicitur, Accipe poteſtatem, &c. Hæc vna verò Extremæ vnctionis forma precatione quadam abſoluatur: 402.

Quæſtio 5. An cùm forma debeant etiam in adminiſtratione huius ſacraméti ritus quidam adhiberi? Et, qui ſint illi: 403.

Quæſtio 6. Quis eſt auctor huius ſacramenti? Et, Quis illius primus promulgator eſt: 404.

Quæſtio 7. Quibus adminiſtrari debet vel non debet hoc Sacramentum: 405.

Diffi. vnica. An amẽtibus & furioſis adminiſtrari debeat hoc Sacramentum: 406.

Quæſtio 8. An oẽs corporis partes inũgi debeãt: 407

Quæſtio 9. An hoc Sacramentum poſſit iterari: 408.
Quæſtio 10. Quæ præparatio requiritur in ſuſcipientibus hoc Sacramentum: ibidem.
Diffi. vnica. Qua ratione fideles ad hoc Sacramentũ tempeſtiuè ac ſanctè ſuſcipiendum cohortandi & inducendi ſunt: 409.
Quæſtio 11. Quis eſt miniſter huius Sacramenti: ibidẽ.
Quæſtio 12. Qui ſunt effectus huius ſacramenti: 410.
Diffi. vnica. Vnde fit vt ægri per hoc ſacramentum rariùs ſanitatem corporis conſequantur: 412.

CAPVT SEXTVM.

De Ordinis Sacramento: 413.
Quæſtio 1. Quid eſt ſacramentum Ordinis? Et, quare hoc ſacramentum vocatur Ordo: 417.
Diffi. 1. Quotuplex eſt poteſtas Eccleſiaſtica, hoc eſt, Eccleſiæ eiuſque miniſtris diuinitùs attributa: ibidem.
Diffi. 2. An fuerit etiam aliqua poteſtas Ordinis tum tempore legis naturæ, tũ legis ſcriptæ & Moſaicę: 418.
Diffi. 3. An ſit differentia inter poteſtatem Ordinis quæ fuit ſub lege naturæ, ſub lege veteri ſiue Moſaica, & ſub noua lege ſiue Euangelica: ibidem.
Quæſtio 2. An Ordo ſit numerãdus inter ſacramẽta nouæ legis: 419.
Quæſtio 3. An debeat eſſe plures Ordines in Eccleſia? Et, quot ſunt Ordines? Et, quomodo inter ſe diſtinguuntur: 420.
Quæſtio 4. An prima tõſura, quæ & clericalis dicitur, ſit Ordo? Et, quare Clerici tõdentur ad coronæ ſpeciem & ſimilitudinem: 421.

Diffi.

Diffi. vnica. Quid ſignificat Clerici nomẽ, quod cum tonſura imponitur: 422.
Quæſtio 5. Quæ ſunt oſtiariorũ officia? Et, quæ huius Ordinis dignitas: 423.
Quæſtio 6. Quæ ſunt Lectoris officia: 424.
Quæſtio 7. Quod eſt exorciſtarum officium: 425.
Quæſtio 8. Quæ ſunt acolytorum officia: ibidem.
Quæſtio 9. Quæ ſunt Subdiaconorum officia: 426.
Quæſtio 10. Quæ ſunt Diaconorum officia: 427.
Quæſtio 11. Quæ ſunt propria & præcipua Sacerdotũ officia: 428.
Quæſtio 12. An ſicut vnus eſt tãtum ordo Sacerdotij, ita etiam ſit tantũ vnus ſacerdotum gradus: 431.
Quæſtio 23. Quis eſt miniſter ſacramenti Ordinis: 433.
Quæſtio 14. Quinam ad hoc ſacramentũ & imprimis ad ſacerdotalem ordinem apti ſunt? Et, quæ in eis potiſsimum requiruntur: 434.
Diffi. vnica. Quanta ergo in ſacerdote, & in alijs ordinum gradibus requiritur ſcientia: 436.
Quæſtio 15. Qui ſunt effectus huius ſacramenti: 437.

CAPVT SEPTIMVM.

De Matrimonij Sacramento. 439.
Quæſtio 1. Quare Matrimonium ſic appellatur? Et, quibus præterea nominibus appellari ſolet: 440
Quæſtio 2. Quid eſt Matrimonium: ibidem.
Quæſtio 3. An conſenſus requiratur ad Matrimoniũ? Et, qualis: 442.
Diffi vnica. Quid ſi puella propter verecundiam non reſpondeat, neque conſenſum ſuum verbis exprimat, ſed pro ea parentes loquantur, erítne Matrimonium: 443.

Quæſtio 4. An concubitus requiratur ad Matrimonium: 444.
Quæſtio 5. Quis inſtituit Matrimonium vt eſt naturalis quædam coniunctio, & ad naturæ officium pertinens: ibidem.
Quæſtio 6. An Matrimonium quatenus eſt naturalis quædam coniunctio, ſit indiſsolubile: 445.
Quæſtio 7. An his verbis, Creſcite & multiplicamini, præcipiatur ſingulis matrimonium contrahere: 446.
Quæſtio 8. Quibus de cauſis vir & mulier debent matrimonium contrahere: 447.
Quæſtio 9. Quare Chriſtus voluit matrimonium eſſe ſacramentum? Et, Cuius rei eſt ſacramentũ: 449
Quæſtio 10. An matrimonium ſit ſacramentum: 450.
Quæſtio 11. An ſacramentum Matrimonij ſit præſtãtius ijs Matrimonijs quæ ante vel poſt legẽ iniri ſolebant: 452.
Quæſtio 12. An matrimonium diſſolui & ſeparari poſsit? Et, quare expedit matrimonium eſſe indiſſolubile: 454.
Diſſi. vnica, ad Concl. 1. Licétne iuſtis quibuſdam ex cauſis virum à muliere, ſaltem quoad thorum & cohabitationem ſeparari: ibidem.
Diſſi. vnica, ad concl. 2. An ſuadendum ſit viro cum vxore, quam adulterij cauſa dimiſit, ſi pœniteat, in gratiam redire: 455.
Quæſtio 13. Quot ſunt bona matrimoniũ excuſantia: 456.
Diſſi. 1. Qua ratione vinculum iſtud matrimonij, & ſancta iſta ſocietas poterit foueri & conſeruari: 459.
Diſſi. 2. Quæ ſunt ergo viri & vxoris officia: ibidem.

Quæſtio 14. Qui ritus in matrimonio contrahendo ſeruari debent: 461.
Quæſtio 15. An Matrimonia clandeſtina ſint vera & rata, vel potius nulla: ibidem.
Quæſtio 16. Quæ & quot ſunt matrimonij impedimenta: 462.
Quæſtio 17. Quæ præparatio requiritur in cõtracturis matrimonium: 463.
Quæſtio 18. & poſtrema. Quomodo verſari debent cõiugati in matrimonio: 464.

PRAEFATIONIS TERTIAE PARTIS,

De Decalogo diuiniſq; legib⁹ in genere.

Quæſtio 1. Quid eſt Decalogus: 466.
Quæſtio 2. Quot, & quæ ſunt quæ ad obſeruationem Decalogi nos inducere debent: 468.
Quæſtio 3. Quis eſt auctor Decalogi: ibidem.
Diffi. 1. Legi Moyſi per Chriſti legem derogatum eſt, quomodo ergo iam dictum eſt populum his legibus teneri: 469.
Dif. 2. Quomodo illa cogitatio, Deum eſſe qui legẽ tulit, iuuat ad obſeruationem ipſius legis: ibidẽ.
Diffi. 3. Habétne prætereà hæc cogitatio & aliã vim in animis noſtris: 470.
Quæſtio 5. Qua ſolennitate & maieſtate Deus promulgauit Decalogum: ibidem.
Diffi. vnica. Quomodo hæc ſolennitas iuuat & inducit ad obſeruationem Decalogi: 471.
Quæſtio 6. An ſit neceſſarium ad ſalutem ſeruare præcepta Decalogi: 472.
Quæſtio 7. Qui ſunt fructus & vtilitates obſeruati decalogi: 473.

Diff. vnica. An noſtræ vtilitatis gratia, an verò Dei ipſius cauſa debeamus legem obſeruare: 475.
Quæſtio 1. An omnes obligentur ad obſeruanda præcepta decalogi: ibidem.
Diff. 1. Quibus primò lex fuit promulgata: 476.
Diff. 2. Quibus verbis lex promulgata fuit: ibidé:
Diff. 3. Deſcribe paucis hiſtoriam populi quē Deus ſelegit, vt illi primò ſuam legem daret: ibidem.
Diff. 4. Quare ex omnibus nationibus populum iſtum elegit vt ei legem ſuam promulgaret: 477.
Diff. 5. Quare Deus populum iſtum peregrinari, poſteroſque eius duriſsima ſeruitute premi, diuexarique permiſit antequàm legem eis daret: ibidem.
Diff. 6. quare Deus poſt amplius quadringentis annis promiſſa huic populo demùm præſtitit: 478.
Diff. 7. & Poſtrema. quo loco & tempore Deus legē huic populo tradidit: ibidem:

TERTIAE PARTIS CAPVT PRIMVM.

De primo præcepto Decalogi.

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis: Non habebis Deos alienos coràm me. Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia iis qui diligunt me, & cuſtodiūt præcepta mea. 479.
Quæſtio 1. Quid ſibi vult iſtud exordium, Ego ſum

Dominus Deus tuus , qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſeruitutis: 480.

Quæstio 2. Quod eſt primum præceptum Decalogi? Et, quæ illo præcipiuntur, vel prohibentur: 482.

Diffi. 1. Quare legiſlator voluit in primo præcepto vti hac loquendi formula negatiua: Non habebis Deos alienos coram me: 484.

Diffi. 2. An huic præcepto aduerſetur cultus & veneratio ſanctorum Angelorum: 485.

Diffi. 3. An huic præcepto aduerſetur inuocatio ſanctorum Angelorum: 486.

Diffi. 4. An aduerſetur huic præcepto honor qui ſanctis Hominibus, qui in Domino dormierunt, exhibetur: 487.

Diffi. 5. Aduerſatúrne huic præcepto inuocatio ſanctorum qui in Domino dormierunt: ibidem.

Diffi. 6. An cultus & honos, qui reliquijs ſanctorum à fidelibus exhibetur, aduerſetur huic præcepto: 489.

Diffi. 7. An hæc verba, Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quę eſt in cælo & quę in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea neque coles, conſtituãt alterum præceptum à præcedenti: 490.

Diffi. 8. An huic præcepto aduerſetur imaginũ vſus: ibidem.

Diffi. 9. An ergo peccent contra hoc pręceptum, qui aliquam Sanctiſsimæ Trinitatis perſonã, vel Angelos quibuſdam ſignis exprimunt: 492.

Diffi. 10. An peccent contra hoc præceptum, qui imagines Chriſti, B. Mariæ Virginis, cæterorumque Sanctorum pingunt & honorant: ibidem.

Diffi. 11. Quis eſt legitim' in Eccleſia imaginũ vſ': 493

Quæſtio 3. Quæ eſt appendix huius præcepti? Et, An huic tantùm præcepto ſeruiat: 494.

Diffi. 1. An eodem modo perfectis & imperfectis, ſiue carnalibus hominibus ſit hæc appendix proponenda: 495.

Diffi. 2. Cùm Deus in ſcripturis tam multis nominibus vocetur, quare hoc loco appellatur fortis, zelotes: ibidem.

Diffi. 3. Quo ſenſu intelligendum eſt, quod Deus dicitur viſitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem; 497.

Diffi. 4. An hæc ſententia aduerſetur illi quæ eſt apud Ezechielem cap. 18. vbi dicit, Anima quæ peccauerit ipſa morietur: 498.

Diffi. 5. Quid ſignificat quod Deus dicitur viſitare iniquitatem in tertiam & quartam generationē, facere verò miſericordiam in milia: ibidem.

Diffi. 6. Quid ſignificatur his verbis: Eorū qui oderunt me: ibidem.

Diffi. 7. *& poſtrema.* Quid ſignificatur his verbis, Et ijs qui diligunt me: 499.

CAPVT SECVNDVM.

De ſecundo Præcepto.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum; non enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra: 500.

Quæſtio 1. Qui actus virtutum præcipiuntur hoc præcepto: Non aſſumes nomen Dei tui in vanū, quatenus tacitè continet in ſe affirmatiuum præceptum: 501.

Diffi. 1. Quid eſt Iurare: 505.

Diſſ. 2. An ſit iuramentum cùm ad faciẽdam fidem per res creatas iuramus, vt per ſacra Dei Euangelia, per Crucem, per Sanctorũ reliquias & nomen, & cætera id genus; ibidem.

Diſſ. 3. An ſit iuramentum, quod per execrationem profertur, quale eſt illud Sancti Pauli 2. ad Corinth. 1, cap. Ego teſtem Deum inuoco in animã meam: 506.

Diſſ. 4. quotuplex eſt iuramentum: ibidem.

Diſſ. 5. Ad iuramentum vt rectum & ſanctum ſit quæ requiruntur: 507.

Diſſ. 6. quando cẽſetur quis iurare in veritate: ibid.

Diſſ. 7. quando quis cenſetur iurare in iudicio: 508.

Diſſ. 8. quando quis cẽſetur iurare in iuſtitia: ibid.

Diſſ. 9. quibus argumentis probari poteſt licitum eſſe iurare his tribus conditionibus ſubſiſtẽtibus: 509.

Quæſtio 2. qui actus vitiorum prohibentur hoc præcepto quatenus eſt negatiuum: 511.

Quæſtio 3. Cur huic præcepto ſicut & præcedenti cõminatio pœnæ additur, cùm dicitur: Neque enim inſontem habebit Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra: 515.

Diſſ. vnica. quare nullum à Deo certum ſupplicium conſtitutum eſt, ſed tantùm vniuersè minatur, quicumque ſe hoc ſcelere aſtrinxerit nõ impunè laturum: 516.

CAPVT TERTIVM.

De tertio Præcepto.

Memento vt diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septima autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo,

tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, iumētum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo; Idcirco benedixit Dominus die Sabbathi & ſanctificauit eum. 517.

Quæſtio 1. An rectè & conuenienti ordine duobus prioribus præceptis ſubijciatur hoc tertium, Memento, &c. 518.

Quæſtio 2. In quo hoc præceptum differt ab alijs præceptis Decalogi? Et, In quo cum eis conuenit? Et, quare præcepta cęremonialia veteris legis mutanda fuerunt: 519.

Diffi. vnica. Cùm præceptum hoc pro ea parte qua diem Sabbathi ad cultum Dei ordinabat, eſſet cæremoniale, vt iam dictum eſt, à quibus mutatum fuit, & loco illius quis dies cultui diuino fidelibus præſcriptus: 521.

Quæſtio 3. An initio præcepti verbum illud, Memento, ſit appoſitè additum: ibidem.

Quæſtio 4. Quid Sabbathum? Et, quare dies ſeptimus apud Iudæos fuit vocatus Sabbathum? Et, quomodo ſanctificamus Sabbathum: 522.

Quæſtio 5. Cur dies ſeptimus apud Iudæos dedicatus fuit cultui Dei: 524.

Diffi. vnica. Erántne præter Sabbathum & alij dies apud Iudæos cultui diuino dedicati: 525.

Quæſtio 6. Quare Apoſtoli non ſeptimum Hebdomadæ diem, ſed primum diuino cultui conſecrarunt: 526.

Diffi. vnica. Súntne præter dominicum diem, & alij dies apud chriſtianos cultui diuino dicati: 527.

Quæſtio 7. Quid ſignificãt hæc verba, Sex diebus operaberis, ſeptimus autem dies ſabbathum Domini Dei tui eſt: ibidem.

Quæſtio 8. Quæ opera prohibentur, vel non prohibẽtur diebus feſtis: 528.

Diffi. vnica. Quare iumẽta operari diebus feſtis prohibentur, cùm non ſint capacia præcepti: 530.

Quæſtio 9. Quæ opera virtutum præcipiuntur, & cõſuluntur chriſtianis diebus feſtis peragenda: 531.

Quæſtio 10. Quo potiſsimum argumento adduci poteſt populus ad diligenter ſeruandum hoc præceptum: 533.

Quæſtio 11. & poſtrema. Quod eſt peculiare encomium eorum qui hoc præceptum ſeruant? Et contra, quod vituperium illud tranſgredientiũ: ibidem.

CAPVT QVARTVM,

De quarto Præcepto.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 536.

Quæſtio 1. Quid eſt honorare: 540.

Quæſtio 2. Qui nomine parentum veniunt intelligendi: ibidem.

Quæſtio 3. Quibus de cauſis potiſsimum honorandi ſunt parentes ex quibus nati ſumus? Et, quibus modis illos honorare debemus: 542.

Diffi. vnica, ad concl. 1. Quid opus fuit cùm Patris nomine, etiam Matris nomen in præcepto exprimere: ibidem:

Diffi. vnica, ad concl. 7. Quando maximè hoc honoris officium, id eſt, ſubuentionem debemus tribuere parentibus: 545.

Quæſtio 4. An honorandi ſunt ij ex quibus non nati ſumus, ſed tamen parentum nomine digni ſunt, & qualiter: 546.

Diffi. 1. Quod honoris, cultus, & obſeruantiæ genus tribuendum eſt magiſtratibus ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus: 547.

Diffi. 2. An etiam magiſtratibus improbis ſit obedientia præſtanda? Et, quando? Et, quando non: ibidem.

Quæſtio 5. Quòdnam præmium, quamque conſentaneum ijs propoſitum eſt, qui huic præcepto obediunt? Et contra, quæ pœna ijs propoſita, qui illius ſunt præuaricatores: 548.

Diffi. 1. De qua vita intelligenda eſt hæc promiſsio: ibidem.

Diffi. 2. quid ſignificat quod in promiſsione additur, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: 549.

Diffi. 3. An ergo qui parentes honorant, etiamſi citò moriantur, poſsint dici præmium huius præcepti capere: ibidem.

Diffi. 4. Quibus ex cauſis contingit vt interdum qui maiorem pietatem præſtiterunt, eis vita breuior ſit: ibidem.

Quæſtio 6. Quæ ſunt parentum officia & munera: 551.

Diffi. vnica. Quæ & quot ſunt vitanda probis parentibus in quibus ſæpius offendere conſueuerunt: ibidem.

CAPVT QVINTVM.

De quinto Præcepto.

Non occides. 553.

Quæſtio 1. Quæ cædes prohibentur, vel non prohibentur hoc præcepto: 554
Diffi. 1. An cædes ſui ipſius ſit prohibita: 558.
Diffi. 2. An voluntas occidendi ſit etiam prohibita: ibidem.
Diffi. 3. An iraſci ſemper ſit prohibitum: 559.
Diffi. 4. An reſiſtere malo ſit etiam prohibitum hoc loco: ibidem.
Quæſtio 2. Quæ ſunt remedia contra peccatum homicidij: ibidē.
Diffi. vnica. Vnde perſpici poteſt grauitas huius peccati: 560.
Quæſtio 3. Quæ præcipiuntur hoc præcepto quatenus tacitè includit præceptum affirmatiuum: 561.
Diffi. vnica. Quibus præcipuè argumentis perſuaderi poteſt remittendas eſſe ex animo iniurias: 564.
Quæſtio 4. Quæ ſunt prȩcipua aduerſus odium remedia, quod hîc præcipuè prohibetur: 566.

CAPVT SEXTVM.

De ſexto Præcepto.

Non Mœchaberis. 568.
Quæſtio 1. Quæ prohibentur hoc præcepto: 569.
Diffi. vnica, ad concl. 2. Quare ſpeciatim in præcepto facta eſt mētio adulterij, ſi omnis luxuriæ ſpecies hoc loco cenſeri debet prohibita: 570.
Diffi. vnica, ad concl. 3. Cùm ſub adulterio vetentur tacitè oēs luxuriæ ſpecies, expediétne publicè de illis ſigillatim populum inſtitui: 571.
Quæſtio 2. Quæ pœnæ in adulteros, & eos qui ſcorta & pellices alunt, à Concil. Trident. decretæ ſunt: ibidem.

Qua-

Quæſtio. 3. Quæ virtutum officia hoc præcepto, quatenus eſt affirmatiuum, præcipiuntur: 572.

Quæſtio 4. Quæ ſunt remedia contra luxuriam, & ſpeciatim contra peccatum adulterij: 573.

Diffi. vnica. Ex quibus poterit intelligi quanta ſit peccati luxuriæ pernicies: 574.

CAPVT SEPTIMVM.

De ſeptimo Præcepto.

Non furtum facies. 580.

Quæſtio 1. quæ peccata prohibentur hoc præcepto: 581.

Diffi. vnica. Cùm rapinæ grauius ſint peccatũ quàm furtum, quæ nimirum præter rem quam alicui adimunt, præterea vim afferunt, & maiorem imponunt ignominiam; quare in præceptó potius furtum quàm rapina nominatur: 582.

Quæſtio 2. Ex quibus oſtendi poteſt grauitas furti: ibidem.

Quæſtio 3. quæ ſunt præcipua furtorum genera? Et, qui ſunt furum & raptorum nomine appellandi: 584.

Diffi. vnica. quid faciendum de rebus inuentis ſi rerum Dominus nulla ratione inueniri poteſt: 585.

Quæſtio 4. quæ præcipiuntur hoc præcepto pro ea parte qua affirmatiuum eſt: 589.

Diffi. vnica. quoniam non ſolùm is qui furtum facit ei cui furatus eſt id debet reſtituere, ſed ſubinde etiam plures alij; quæritur qui ſint illi qui ad hanc ſatisfaciendi vel reſtituendi neceſsitatẽ tenentur: 590.

Quæſtio 5. Quibus argumentis populus à furtis & rapinis deterrendus? Et contra, quibus rationibus ad eleemoſynas agendas adducendus? 593.

Quæſtio 6. & poſtrema. An furtum & rapina aliquâ ratione excuſari poſsint apud Deum? Et, quid reſpondendum eſt quorundam furum & raptorum excuſationibus? 594.

CAPVT OCTAVVM.

De octauo Præcepto.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. 598.

Quæſtio 1. Quæ peccata prohibentur hoc præcepto quatenus eſt negatiuum? 599

Diffi. 1. Quare præcipuè prohibetur falſum teſtimonium in iudicio dictum? 600.

Diffi. 2. Quid vocabulo proximi intelligi debet in præcepto? ibidem.

Diffi. 3. An etiam ſibi ipſi quis poſsit dici proximus? ibidem.

Diffi. 4. An liceat alicui in ſeipſum dicere falſum teſtimonium? ibidem.

Diffi. 5. An ſaltem liceat falſum teſtimonium loqui pro priximo, vt ei aliquid vtilitatis & commodi conciliemus? 601.

Diffi. vnica ad concl. 5. Qui ſunt in numerum detractorum referendi? 604.

Diffi. 1. ad concl. 6. Quomodo cenſeri poteſt prohibita eſſe hoc loco aſſentatio, cùm aſſentatores proximo minimè maledicant? 605.

Diffi. 2. Quæ inter aſſentationes ſunt magis pernicioſę? ibidem.

Queſtio 2. Quæ præcipiuntur hoc præcepto quatenus eſt affirmatiuum. 606.

Diffi. vnica. An ergo nullo caſu liceat verum tacere: 608.

Queſtio 3. Quæ ſunt præcipua remedia aduerſus mẽdacium & huiuſce generis crimina: 609.

Queſtio 4. & poſtrema. An mendacium aliqua ratione excuſari poſſit? Et, quid reſpondendum eſt vanis quorundam hominum mendacium excuſationibus: 612.

CAPVT NONVM.

De nono & decimo Præcepto.

Non cõcupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. 615.

Queſtio 1. Quæ prohibẽtur his duobus præceptis quatenus ſunt negatiua: 618.

Diffi. vnica, ad concl. 3. Quibus indicijs agnoſcere licebit motum concupiſcentiæ prauum eſſe, & prohibitum: 620.

Diffi. 1. ad concl. 4. Poſt vetitam prauam concupiſcentiam domus, id eſt, totius hæreditatis proximi, quid neceſſe fuit ſubijcere: Non bouem, nõ aſinum, &c. 621.

Diffi. 2. Quid inſuper fuit opus ſubijcere: Non ſeruũ non ancillam: ibidem.

Diffi. 3. quare in præcepto fit mentio proximi: 622.

Diffi. 4. & poſtrema. An hoc præceptum violent qui res proximi emere cupiunt: ibidem.

Diffi. vnica, ad concl 7. An peccet contra hoc præceptum, qui mulierem quæ nupta eſt, cùm eam innuptam eſſe opinetur, vxorẽ ſibi dari cõcupiſcit, neque

neque ſi in matrimonium alteri collocatam intelligeret, eam ſibi dari nuptam cuperet: 624.
Quæſtio 2. Quæ præcipiuntur nono præcepto quatenus continet præceptum affirmatiuum: ibidem.
Quæſtio 3. Quæ ſunt remedia ad tollendum hoc cupiditatis vitium accommodata: 625.
Quæſtio 4. & vltima. Qui ſunt præ cæteris qui hoc cupiditatis vitio laborant, & ad colendum hoc præceptum diligentius cohortari debent: 627.

PRAEFATIONIS QVARTAE PARTIS,

De oratione in genere.

Quæſtio 1. An oratio ſit ad ſalutem neceſſaria: 631.
Quæſtio 2. Quare Deus liberaliſsimus voluit nobis imponere neceſsitatem orandi: 633.
Quæſtio 3. Quibus partibus conſtat oratio? Et, qui ſunt illius gradus, hoc eſt, An vna ſit alia perfectior: 637.
Quæſtio 4. Quænam licet petere à Deo: 642.
Diffi. 1. An liceat à Deo petere bona corporis, ſiue externa, quæ vocant, vt ſunt ſanitas, robur, pulchritudo, diuitiæ, honores, gloria: 643.
Diffi. 2. An etiam liceat à Deo petere ingenij bona & ornamenta, cuius generis ſunt artes atque doctrinæ: 644.
Diffi. 3. Quæ eſt differentia inter petitionẽ quã ſummum bonum petimus, & illa quæ nos illi coniũgunt, vt ſunt fides, timor Dei, amor, & petitionẽ illorum bonorũ de quibus duabus ſuperioribus difficultatibus diximus: ibidem.
Quæſtio 5. Pro quibus orare debemus: ibidem.

Diff. vnica. Si pro impijs & inimicis noſtris orandum eſt, quomodo ergo intelligendæ ſunt execrationes ſanctorum hominũ, quibus, teſte ſcriptura, contra impios vtuntur: 648.
Quæſtio 6. Pro quibus agendæ ſunt Deo gratiæ? Et, quæ inter omnes gratiarum actiones eſt præſtantiſsima: ibidem.
Diff. vnica. An ſancta Dei Eccleſia benè huic gratiarum actioni preces illas addiderit: Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ, Amen: 649.
Quæſtio 7. Quis eſt orandus & inuocandus: 650.
Diff. 1. Eſtne aliqua differentia inter orationẽ quæ fit Deo, & illam quæ fit Sanctis: ibidem.
Diff. 2. Quo ſenſu quis orationem Dominicã ante imaginem alicuius ſancti pronũciare poteſt: 651.
Quæſtio 8. An ſit præparãdus animus ad orationem, & quibus maximè virtutibus: ibidem.
Diff. 1. Quæ ſunt quæ gignunt in nobis certam fidẽ & ſpem impetrandi quæ petimus à Deo: 654.
Diff. 2. Quid facient qui titubant interdum, nec ſe ſatis eſſe firmos in fide ſentiunt: 656.
Quæſtio 9. Quæ eſt optima ratio orandi: ibidem.
Diff. 1. An oratio quæ fit voce adhibita ſit mala: 657.
Diff. 2. An ſit interdum vtile, vel etiam neceſſariũ orare voce: ibidem.
Diff. 3. qui cenſendi ſunt malè orare, quia non orãt in ſpiritu & veritate: 658.

QVARTAE PARTIS.

CAPVT PRIMVM.

De Orationis Dominicæ proœmio.

Pater noſter qui es in cælis. 663.

Quæſtio 1. QVare Chriſtus Dominus antequam ad preces poſtulationesque veniamus, certis his verbis loco proœmij nos vti voluit, Pater noſter qui es in cælis? Et, quare hanc diuinam orationem inchoari voluit à nomine Patris, non creatoris aut Domini, aut alio ſimili, quod plus maieſtatis haberet? Et quibus de cauſis homines Deum Patrē ſuum appellare poſſunt: ibidem.

Diffi. 1. Vnde paterna Dei cura & prouidentia circa homines facilius agnoſci poteſt: 664.

Diffi. 2. Quid vtilitatis adfert hominibus cuſtodia Angelica: ibidem.

Diffi. 3. An ergo Angeli certa aliqua & priuata de rē ad vnumquemque noſtrum à Deo mittantur: 665.

Diffi. 4. Vnde præterea paterna Dei cura & prouidentia circa homines agnoſci poteſt: ibidem.

Quæſtio 2. Cùm ſinguli Patrem inuocamus, cur noſtrum pluralitatis vocabulo appellare iubemur: 669.

Quæſtio 3. An Deus ſit vbique? Et, quare Chriſtus Dominus vult nos dicere, qui es in cælis, potius quā, qui es vbique: 673.

CAPVT SECVNDVM.
De prima petitione orationis Dominicæ.

Sanctificetur nomen tuum. 676.

Quæſtio 1. Quare petitio de ſanctificatione diuini nominis ponitur primo loco inter petitiones orationis Dominicæ? Et, An inter illas petitiones ſit aliquis ordo: ibidem.

Diffi. 1. Deſiderium & oratio ſunt earum rerum quibus caremus; Deus verò nulla re caret: neque enim augeri poteſt vlla re diuina ſubſtantia, quæ inexplicabilem in modum eſt omni perfectione cumulata; quomodo ergo dicimus nos Deo aliqua cupere & petere? 677.

Diffi. 2. An benè dicatur à quibuſdam verba illa, Sicut in cælo & in terra, quæ in tertia petitione ponuntur, pertinere quoque ad primam & ſecundã petitionem: ibidem.

Quæſtio 2. An nomen Dei Sanctum poſsit à nobis Sãctificari? Et, quæ petimus cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum: 678.

Diffi. vnica. An nomen Dei poſsit ab hominibus in terris ſanctificari ſicut ſanctificatur à cælitibus in cælo: ibidem.

CAPVT TERTIVM.

De ſecunda petitione.

Adueniat regnum tuum. 683.

Quæſtio 1. Quid ſignificatur vocabulo, Regni, in ſacris ſcripturis: 686.

Diffi. 1. quomodo ergo Chriſtus dixit Pilato regnũ ſuum non eſſe ex hoc mundo: 687.

Diffi. 2. quómodo Chriſtus in pijs & ſanctis hominibus regnat: ibidem.

Diffi. 3. quo ſenſu hoc Chriſti regnum ab Apoſtolo ſupra vocatur Iuſtitia: 688.

Diffi. 1. ad concl. 3. Quid eſt gratia, & quid gloria: 689.

Diffi. 2. Quomodo differunt regnum gratiæ & regnũ gloriæ: ibidem.

Quæſtio 2. Quæ ergo rogamus hac petitione: ibidem.

CAPVT QVARTVM.

De tertia petitione.

Fiat voluntas tua. 695.
Quæſtio 1. Quid ſignificat voluntas Dei in hac petitione. 696.
Quæſtio 2. Quæ ergo petimus hac petitione: 697.
Diffi. vnica, ad concl. 1. Quibus potiſsimum datum eſt feruenter hanc precem fundere: Fiat volūtas tua: 698.
Diffi. vnica, ad concl. 7. An hæc verba: Fiat voluntas tua, præter petitionem etiam gratiarum actionē contineant: 701.
Quæſtio 3. Quid ſibi vult illa clauſula adiecta: Sicut in cælo & in terra: 702.
Diffi. vnica. Quomodo maximè ſibi ſeruiri & obediri vult Deus? Et, An ſpe mercedis liceat Deo ſeruire: ibidem.

CAPVT QVINTVM.

De quarta petitione:

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: 705.
Quæſtio 1. Quid panis nomine intelligitur: 708.
Quæſtio 2. Quæ ſunt ergo quæ hac precatione poſtulamus: 709.
Diffi. 1. Si nomine panis tam multa intelligantur, quare Chriſtus Dominus illa non expreſsit, ſed panis tantum mentionem fecit: 711.
Diffi. 2. Cur iubemur petere nō panem ſimpliciter, ſed noſtrum: ibidem:
Diffi. 3. Quibus de cauſis panis quem hic petimus dicitur noſter: ibidem.

Diffi. 4. Cur etiam iubemur petere non ſimpliciter panem ſed quotidianum: 712.

Diffi. 5. Quid docemur his duabus vocibus: Da nobis: 713.

Diffi. 6. An diuitibus ſit etiam impoſita neceſsitas dicendi, Da nobis, id eſt, petendi panem quotidianum, cùm rebus omnibus abundent: ibidem.

Diffi. 7. Quid eſt quamobrem Da nobis, numero multitudinis dicimus, non autem mihi: 714.

Diffi. 8. Quare poſtrema hęc vox adijcitur, hodie: ibi.

Diffi. 1. ad cyncl. 3. Quare ſpiritualis panis, id eſt, Chriſtus, qui in ſacramento Euchariſtię continetur, vocatur noſter: 716.

Diffi. 2. Quare idem panis Chriſtus in Euchariſtia vocatur quotidianus: ibidem

CAPVT SEXTVM.

De quinta petitione,

Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 718.

Quæſtio 1. Quid poſtulamus hac petitione: 723.

Diffi. 1. Si nos ſumus debitores Deo, & non ſumus ſoluendo, quomodo ergo Deo à nobis ſatisfieri poterit: 724.

Diffi. 2. quorum peccatorum remiſsionem hic petimus venialium vel mortalium: ibidem.

Diffi. 3. An eodem modo debita dicantur noſtra, ſicuti panis antea dictus eſt noſter: ibidem.

Diffi. 4. quare non dicitur in petitione, Dimitte mihi, ſed nobis: 725.

Diffi. 5. quid ſignificat hæc vox, ſicut, in petitione: ibidem.

Diffi. 6. An ergo neceſſarium ſit ad ſalutem remittere

tere iniurias nobis illatas: 726.
Diffi. 7. Cùm difficile ſit iniurias illatas remittere quibus rationibus ad id flecti poterunt fidelium animi: 727.
Diffi. 8. Quomodo cum eis agendum, qui etſi maximè velint omnem iniuriam remittere, tamen non poſſunt omnē iniuriæ memoriā deponere: ibidem.
Diffi. 9. An illi qui ex animo non remittunt iniurias ſibi illatas poſsint & debeant hanc petitionem recitare: 728.
Quæſtio 2. Quæ facienda ſunt illi qui fructum huius petitionis vult conſequi: ibidem.

CAPVT SEPTIMVM.

De ſexta petitione.

Et ne nos inducas in tentationem. 731.
Quæſtio 1. Quid tentatio ſignificat? quid item Induci in tentationem: 735.
Diffi. prima, ad concl. 2. Quibus inſtrumentis vtitur Dæmon in tentandis hominibus: 737.
Diffi. vnica ad concl. 3. An Deus inducat in tentationem: ibidem.
Diffi. 2. Si Deus inducit in tentationem tantùm permittendo, quomodo dicit ſcriptura quod quoſdam indurat, excæcat, tradit in reprobū ſenſum: 739.
Quæſtio 2. Quid in hac precationis parte poſtulamus. ibidem
Diffi. vnica ad concl. 1. Quare Deus voluit hominum vitam eſſe tentationem? vel, An tentari ſit vtile vel ſalutare: ibidem.

Diſſ. vnica, ad concl. 2. An ſufficiat petere auxilium Dei generatim ad ſuperandas tentationes; An verò etiam neceſſe ſit petere nominatim ad ſingulas tentationes: 740.

CAPVT OCTAVVM.

De ſeptima petitione.

Sed libera nos à malo. 744.

Quæſtio 1. Quæ petimus hac petitione: 748.

Diſſ. vnica ad concl. 9. Quibus modis nos liberat Deus à malis pœnæ, id eſt, miſerijs & calamitatibus: 750.

Diſſ. vnica ad concl. 10. Quare in petitione dicimus à malo, non à malis: 751.

CAPVT NONVM.

De extrema orationis Dominicæ particula, quæ eſt, Amen. 754.

Quæſtio 1. Qualis eſt vox, Amen, & quid ſignificat poſita in fine orationis Dominicæ: 756.

Diſſ. 1. Quomodo ergo differt hæc vox, Amen, poſita in fine orationis Dominicæ, à ſe ipſa poſita in fine aliarum orationum: 757.

Diſſ. 2. Quomodo interpretatur hæc vox, Amen: ibidem.

CON.

CONSTITVTIO PII QVINTI PONT. MAX.

DE CONFRATERNITATIBVS DOCTRINAE CHRISTIANAE IN ſingulis Ciuitatibus, & diœceſibus erigendis, & earum Indulgentijs.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Ex debito paſtoralis officij, nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſi, ad ea libenter intendimus per quæ diuinus cultus fideliumq; deuotio vbiq; ſuſcipiat incrementum, ac ipſos fideles ad id indulgentijs, & remiſſionibus inuitamus, vt Chriſti fideles ipſi per temporalia quæ egerint conſequi valeant præmia felicitatis æternæ. Nos igitur attendentes, quod infantes & pueri bonis moribus & exercitijs educati quaſi ſemper vitam pudicam, honeſtã, & exemplarem ac aliquando ſanctam agunt, è conuerſo autem qui parentum carentia, ſeu paupertate, aut incuria, vel ignauia, nõ ſic educati, perſæpe ducuntur in exitiũ, & quod peius eſt, ſecum ducunt plures in interitum, vnde ſi diligenter educati, & in doctrina chriſtiana inſtructi fuerint, à vitijs, & multis alijs erroribus retraherentur: Conſiderantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Chriſti fideles, charitate omnium ſuprema virtute, circa hoc tam pium, tamq; Reipublicæ ſaluberrimũ opus accerſiti, in ſingulis feſtiuitatibus & Dominicis diebus in diuerſis Eccleſiis & locis hoc opus Sanctiſſimũ amplexi ſunt, & ibi eoſdem infantes & pueros ac alias miſerabiles perſonas chriſtia-

chriſtianæ veritatis ignaras cõgregari faciũt & eos bonis moribus & ſana doctrina inſtruũt, ac diligẽter in via mãdatorũ Domini dirigunt, ex quo ſalutiferi fructus hactenus prouenerunt, & indies magis auxiliante Domino prouenire ſperamus: Et quod ſi ad hoc opus Sanctiſſimũ vbique locorũ exercendũ, præfatos Chriſtifideles paternis fauoribus & indulgẽtiarum muneribus inuitaremus, proculdubio non ſolũ eorundem infantiũ & puerorum ac perſonarum aliarũ ſaluti conſuleretur, verũ etiam deuotio Chriſtifideliũ omnium ad præfatum opus amplectendũ multo magis augeretur: Cupientes igitur tam pio tamq; laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere Creatori, ex certa noſtra ſcientia vniuerſos & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſq; Eccleſiarum Prælatos, & locorum quorũcumq; ordinarios vbilibet cõſtitutos præſentes & futuros rogamus & hortamur attentè, eis ac eorum in ſpiritualibus & temporalibus Vicarijs ſeu Officialibus generalibus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hoc opus Sanctiſſimum toto pectore amplectẽtes, aliquas Eccleſias in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus reſpectiuè, ſeu loco honeſto, in quibus præfati infantes & pueri ad audiendum doctrinã chriſtianam cõuenire poſſint, deputent, & viros ad id idoneos vita & moribus approbatos, qui diebus ſaltẽ dominicis eoſdem infantes & pueros ac alias perſonas diuinæ legis expertes in articulis fidei, & præceptis ſanctæ Matris Eccleſiæ inſtruant, confirmẽt, & eligant, atque tot ſocietates, ſeu confraternitates quot ad hoc tam Sanctiſſimũ opus exercendum eis oportunæ videbuntur, inibi auctoritate noſtra erigant & inſtituant. Nos enim vt promptius & alacrius ad hanc curã ſubeundam oẽs Chriſtifideles alliciantur, & eò libẽtius curã ipſam ſuſcipiãt, quò ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberius refectos: De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis

vtriuſ.

vtriuſq; ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & cõfeſſis, ſeu ſtatutis à iure temporibus firmũ cõfitendi propoſitũ habentibus, qui in aliqua dictarũ ſocietatũ, ſeu confraternitatũ vbilibet conſtitutarũ intrauerint, & adſcripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint, quàm qui ab alijs in articulis fidei & præceptis Eccleſiæ huiuſmodi inſtructi fuerint, quotieſcũq; in præfato ſanctiſſimo exercitio ſe occupauerint, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitẽtijs auctoritate apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris tẽporibus valituris. Cæterũ quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæq; loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri, volumus quod ipſarum trãſumptis manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio & extra vbi opus fuerit eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctũ Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſexta Octobris, millesimo quinquenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

CONSTITVTIO GREGORII XIII. PONT. MAX.

DE AMPLIATIONE INDVLGENTIARVM A PIO V. CONFRAternitatibus doctrinæ chriſtianæ conceſſarum.

GREGORIVS *Papa* XIII. *Vniuerſis Chriſtifidelibus præſẽtes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

Illius qui pro gregis dominici ſaluationem in ara crucis immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris

omni

omni ſtudio circa ſalubrē Reipublicæ chriſtianæ directionem, & augmentum intendimus, & vt ad ea Chriſtifidelium vota facilius concurrant, ipſos Chriſtifideles ſpiritualibus muneribus inuitamus. Cùm itaque ſicuti nuper accepimus, dudū fel. recor. Pius Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas litteras omnibus, & ſingulis vtriusq; ſexus Chriſtifidelibus tunc expreſſis, qui eſſent deſcripti in ſocietatibus, ſeu confraternitatibus, ad pueros, & alios Chriſtifideles in bonis moribus, & doctrina chriſtiana erudiēdos, in quocūq; loco deputatis, ſeu deputādis, ac pueros, & chriſtifideles rudes huiuſmodi in præmiſſis benè inſtruerēt, & qui ab eis inſtruerētur in eiſdē certis diebus, & tēporibus tūc expreſſis, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitētijs Apoſtolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis litteris, quas idē prædeceſſor perpetuo valere decreuit, plenius cōtinetur. Nos tā piū, & nunquā ſatis laudandū opus amplioribus etiam gratijs, & ſpiritualibus muneribus proſequi volentes, dictos quadraginta dies, ad centū dies, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus, ita quod perſonæ ſupra dictæ, præmiſſa adimplendo non solū dictos quadraginta dies, ſed centū dies indulgētiæ, præfati rudes, & temporibus, vt præfertur in totū conſequātur, & cōſequi poſſint, præſentibus perpetuis futuris tēporibus duraturis. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, manu alicuius publici notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, eadē prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forēt exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo piſcatoris, die vigeſimaprima Octobris, 1572. Pontificatus noſtri anno primo.

DE INDVLGENTIIS PRO CONFRATRIBVS SOCIETATUM doctrinæ Chriſtianæ.

S*ANCTISSIMVS D. N. Gregorius Papa XIII. per litteras ſuas ſub dat. Tuſculi anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, VI. Kal. Iunij anno quinto Côceßit omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui in dictam Confraternitatẽ doctrinæ chriſtianæ, ex nunc deinceps intrauerit, in eorũ ingreſſu huiuſmodi, quotieſcunq; peccata ſua confeßi fuerint, & ſacram communionẽ receperint, decẽ annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs.*

Item conceßit dictis Confratribus vtriuſq; ſexus ſi confeßi fuerint & receperint ſacrã communionẽ, decem annos, & totidẽ quadragenas bis in anno. Item conceßit dictis Confratribus deſcriptis, & deſcribẽdis centũ annos indulgẽtiæ quotieſcumque in huiuſmodi ſancto exercitio ſe occupauerint.

Item dicti Confratribus quotieſcumque ſe in vnũ congregauerint, & de rebus ad promotionem & felicem ſucceſſum inſtitutionis puerorum in doctrina pertractauerint, centum dies de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitẽtijs in Domino miſericorditer relaxauit.

Item dictis Cõfratribus qui ſingulis annis ſemel iuxta determinationẽ & prouidam ordinationem ſuorum Superiorũ verè pœnitentes, & confeßi ſacram communionẽ receperint, necnon eiſdem ſimiliter contritis & pœnitentibus pro tempore decedentibus, in cuiuſlibet eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino conceßit & elargitus eſt. Dictis litteris perpetuis futuris temporibus duraturis.

ERRATA.

Pag. 4.	lin. 5.	quos.	Corrige.	quod.
pag. 13.	lin. 17.	tradita ſunt.	adde,	Diuinitus.
pag. 14.	lin. 1.	&.	corrige.	vt.
pag. 16.	lin. 6	veritate.	corrige.	vnitate.
pag. 20.	lin. 2.	labore.	corrige.	ſplendore.
pag. 31.	lin. 26.	ex.	corrige.	eo.
pag. 82.	lin. 2.	iſta.	corrige.	ita.
pag. 90.	lin. 14.	quæ.	corrige.	qui
pag. 97.	lin. 9.	&.	corrige.	ad.
pag. 99.	lin. 15.	hortatur.	corrige.	hortabatur.
pag. 113.	lin. 15.	non nihil.	corrige.	nihil non.
pag. 150.	lin. 14.	collectis.	corrige.	collatis.
pag. 167.	lin. 14.	virtutem.	corrige.	veritatem.
pag. 194.	lin. 22.	illi.	corrige.	illa.
pag. 221.	lin. 8.	dele &.		
pag. 261.	lin 5.	ſuperant.	corrige	ſuperat.
pag. 262.	lin. 19.	vnxit enim.	addé.	eum.
pag. 275.	lin. 29	an conuenienter.	adde.	hoc.
pag. 325.	lin. 5.	pietas.	corrige.	poteſtas.
pag. 356.	lin. 10.	queat.	corrige.	queant.
pag. 424.	lin. 17.	quod.	corrige.	qui.
pag. 433.	lin. 9.	venerabili.	corrige.	vniuerſali.
pag. 440.	lin. 11.	quæ.	corrige.	qui.
pag. 491.	lin. 6.	deſcribi.	adde.	queat.
pag. 594.	lin. 26.	dele.	ſecundo.	
pag. 583.	lin. 8.	conſtitutas.	corrige.	confirmatas.
pag. 708.	lin. 6.	poteſtate.	corrige.	neceſſitate.
pag. 713.	lin. 4.	efficiatur.	corrige.	reficiatur.

FINIS.

7-1-1